FEBRONIUS ABBREVIATUS, CUM NOTIS, ADVERSUS NEOTERICOS THEOLOGOS ET CANONISTAS etc.

TOMUS III.

FRANCOFURTI ET LIPSIAE.

1785.

cilia in Spiritu S. legitime congregata immediate a Chriſto ſuam habere authoritatem: Itaque quæcunque de authoritate Eccleſiæ dicuntur, trahi ad Concilium generale, ſecus non eſſet recta repræſentatio, ſi eadem in repræſentante et repræſentato Authoritas non eſſet. Hæc Authoritas Eccleſiæ ſe extendit ad omnes et ſingulos, quia ipſa eſt *Mater*. Singulis Eccleſiæ Paſtoribus poſt dioœceſium diviſionem pars eccleſiaſticæ Jurisdictionis in certas perſonas, certas cauſſas, certosve diſtrictus credita eſt: at univerſæ Eccleſiæ Authoritas et Poteſtas in omnes data eſt. Nulla lege divina primum Eccleſiæ membrum ab univerſali hac Eccleſiæ authoritate exceptum legitur. Rom. Pontifices in errores prolabi poſſe, et gravibus vitiis depravari, nemo dubitat. Aliunde conſtat, ab Eccleſiaſtica Communione ejiciendos, et ab Epiſcopatu deturbandos, qui in fide et moribus graviter et cum ſcandalo peccant. Quis Papam dejiciet, niſi Eccleſia in Spiritu S. congregata? Hoc vero non poſſet, niſi eo eſſet ſuperior, nec remedium foret erroribus et ſcandalis, quæ toties a Romanis Epiſcopis

in Ecclesia caussata fuisse prodit historia Ecclesiastica. Exortis gravioribus controversiis semper universalia Concilia convocata fuerunt, quod necesse non fuisset, si unius Papae Authoritas illam Concilii superaret, aut aequaret. Non inepte interrogavit quis: cur non miserint Romani, post enatas seculo XVI. haereses, nuncios et cursores ad Principum aulas potius pro deferendo illuc ultimato Leonis X. judicio, quam ad tractandum cum eis de convocatione Concilii Tridentini, si tunc existimatum fuit, Rom. Pontificum sententiam absolute definitivam, nec Conciliorum examini subjectam esse. Haec generatim. Alia plura videri possunt apud Natal. Alexand. Histor. Eccles. Tom. 8. Dissert. 4. in sec. 15. Andream Magor. Gubernac. Concil. part. 9. C. 4. Hermann. von der hardt. Tom. 6. part. 4. in act. Concil. Constant.

Interim exposita prius sententia Conciliorum Constantiensis, Basileensis et Tridentini, postea per singulas reliquorum Conciliorum Generalium partes demonstrabimus

 eo-

eorum supra Papam superioritatem, et inde concludemus, sancta, æqua, et justa fuisse Synodorum Constant. et Basileens. de hac re decreta.

1. Concilium Constantiense sess. 4. declarat, *quod ipsa synodus, in Spiritu S. congregata legitime, generale Concilium faciens, et Ecclesiam Catholicam repræsentans potestatem a Christo immediate habeat, cui quilibet, cujuscunque status, vel conditionis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite et membris.* Sess. V. vero: *quod quicunque, cuiuscunque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis aut præceptis huius sacræ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati — — — obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur.* Hæc Decreta Bellarminus, generoso transiliens pede, asseruit, Concilium quoad hoc in Concilio Florentino et Lateranensi reprobatum

tum esse. Sed cum bina hæc juniora Concilia pro generalibus universim non agnoscantur, Emmanuel Schelstrate notam illam fabulam excogitavit, ac si verba *in Capite et membris*, in primo Decreto quartæ Sessionis non fuissent a Patribus inserta, cum tamen certo constet, ea inveniri in præambulo hujus decreti, et adhuc magis authentice in primo decreto Sess. 5. Prætendit quidem Schelstrate quintæ Sessionis Decreta non fuisse cum debita deliberatione, et consentientibus omnibus, quorum intererat, condita. At sic sub prætextu insufficientis deliberationis post secula etiam aliorum Conciliorum placita enervare liceret. Præter alios Schelstrate ineptias confutarunt Natalis Alexander, Gerson duabus orationibus coram universa Synodo habitis, genuina utriusque Decreti verba recitavit, nemine reclamante pronuntians ut hæreticum, qui his veritatibus ausit contradicere, quod fieri non potuisset, nisi ipsa Decreta ab omnibus ut legitima fuissent agnita. Adde von der hardt acta Concil. Constant. tom. 6. Part. 2.

Conſtat, Canones IV. et V. Seſſionis, a ducentis Patribus communi ſenſu fuiſſe conditos, nihil ab ullo Rom. Pontifice contra eos Canones geſtum eſſe: Tota Conſtantienſis Synodus æque ac ceteræ Concilii Generalis titulo Pauli. V. juſſu prodiit. Solus Binius, uno præeunte Bellarmino, tanto Concilio auſus eſt, hanc notam apponere: *Concilium Conſtantienſe ex parte approbatum.*

2. Concilii Conſtant. Decreta confirmavit Synodus *Baſileenſis* Seſſ. 2. et pluries. Cardinalis Julianus Pontificis legatus et Concilii Præſes die 5. Junii anno 1432. in Opp. Aeneæ Sylvii ſic ſcripſit ad Eugenium P. *An hoc Concilium legitimum ſit, ex Concilio Conſtantienſi dependet: ſi illud verum fuit, et iſtud. Nemo autem dubitare viſus eſt, an illud legitimum fuerit: ſimiliter et quidquid ibi decretum eſt. Nam ſi quis dixerit, Decreta illius Concilii non eſſe valida, fateri neceſſe habet, privationem olim Joannis XXIII. factam vigore illorum decretorum non valuiſſe. Si illa non valuit, nec*

Papa

Papæ Martini tenuit electio, facta adhuc illo superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est. Nullius ergo magis interest, defendere Decreta illius Concilii, quam Sanctitatis vestræ.

Ulterius ait Julianus, quod si qualecunque decretum Concilii Constant. revocaretur in dubium, eadem ratione et reliqua ejusdem Concilii et aliorum Conciliorum Decreta, imo omnia titubare. Item Concilium Constant. statuisse, ut post quinquennium aliud Concilium, et iterum aliud post septennium fieret. Elapso quinquennio Papiense seu Senense, et post septennium ab illo Basileense celebratum esse. Valde convincenti argumento ad hominem probat Cardinalis subsistentiam Concilii Constant. et singulorum ejus Decretorum; inde etiam satis apparet, neminem eousque de eadem subsistentia dubitasse.

3. Idem Julianus ex Decretis Sess. 4. et 5. Concilii Constant. probat, Papam Concilio

cilio subjectum esse, et ideo non posse dissolvere Concilium Basileense. *Ecce*, ait; *posse statuere in aliquem, posse præcipere, posse punire non obedientem, signa sunt evidentia Superioritatis in his, in quibus statuit, præcipit, aut punit. Teneri autem obedire, subjici ac parere, signa sunt inferioritatis in prædictis casibus. Ergo in prædictis casibus cum Papa, ut dicunt, sit inferior Concilio; quod etiam facto probatum fuit (nam propter unum de tribus casibus Concilium privavit Joannem, et propter alterum privavit Benedictum) non poterit Papa dissolvere Concilium etc.* Quis sibi persuadeat, Julianum virum egregium, pium, Sedi Romanæ apprime addictum cum omnium Nationum Prælatis, Italis, Gallis, Germanis, Hispanis conspirasse ad falsificanda verba Decreti Constant. in Epistola ad ipsum Eugenium P., vel hoc falso voluisse aut potuisse imponere Curiæ Romanæ in re gravissima, ante sedecim solum annos in conspectu totius Europæ singulari cum strepitu decisa, cujus Decisionis, etiam executioni mandatæ, tabulæ in omnium manibus erant.

4. In

4. In eadem Epiſtola Julianus ulterius ait: Si Pontifex accuſaretur de hæreſi, tunc non poſſet diſſolvere Concilium, ſecus non poſſet judicari, quod eſt contra Cap. *ſi Papa.* Diſt. 40. Sicut autem in hæreſi, ſic et in duobus aliis caſibus in Concilio Conſtant. expreſſis judicari poteſt, et illud Concilium defacto judicavit, et depoſuit Petrum de Luna propter ſchiſma, et Joannem propter deformitatem vitæ. Jura vero, quæ dicunt, *primam Sedem a nemine judicari*, intelligenda ſunt his tribus caſibus exceptis. Quod ſi dicatur, in Conciliis intelligitur excepta Authoritas Papæ, hoc verum eſt, quando Perſona Papæ ſpecialiter non includitur, ſed ſi ſpecialiter includitur, non poteſt excipi, quia ſaperet contradictionem. Stetit dein, pergit Febronius, Baſileenſis ceu œcumenici Authoritas inconcuſſa et Eugenio ſuperior, donec Ferrariam tranſlatum eſt: et Conſtantienſia Decreta de ſuprema Conciliorum Generalium Authoritate, non ſolum ſchiſmatis, ſed quovis tempore, à Baſileenſi egregie explicata ſunt, et invictiſſimis argumentis ac Decretis totius mundi reverentiam poſtulantibus

tibus confirmata; uti ſolide probat Natalis Alexander, et adverſarios refellit. Conciliorum Conſtant. et Baſileenſis Decretis nullatenus derogavit Concilium Lateranenſe, uti demonſtrat Tournelius prælect. theolog. Tom. 5. pag. 160. etc.

5. Concilium Tridentinum ſuperioritatem in Papam variis locis *actu* exercuit. Sic concipit Decreta et Canones ſuo nomine, ac etſi nominentur legati ſummæ ſedis, id ſolum fit, ut præſediſſe dicantur. Licet Paulus III. legatis dederit facultatem alio transferendi Concilium, tranſlatio ipſa tamen Bononiam non niſi authoritate ipſius Synodi decreta, ordinata et effectuata fuit. Abolevit mandata apoſtolica, et mentales reſervationes Seſſ. 24. C. 19. Item acceſſus et regreſſus a Rom. Pontificibus eo ævo concedi ſolitos, et Coadjutorias, Epiſcopatibus et Abbatiis inferiores: dein etiam varia circa munus et obligationes Cardinalium, etiam reſpective ad Papam ſtatuit. Seſſ. 23. Cap. 1. et 2. Seſſ. 24. Cap. 11. et 18. Seſſ. 25. Cap. 1. et 7. Concilium inſinuat, Papam

quas-

quasdam Poteſtates *ab Eccleſia* tenere, ſicuti jus ſtatuendi et diſpenſandi in impedimentis matrimonii. Sic etiam primo ſibi reſervavit diſpenſationem in uſu Calicis pro aliquo Regno, poſtea hanc facultatem Papæ committit. Quod Sacra Synodus *de conſuetudine, conſenſu, interpretatione, judicio* et *inerrantia Eccleſiæ* dicit, hoc nunquam dicit de Papa. Igitur Eccleſia ſeu generalis Synodus plus aliquid habet, quam ſolus Papa.

Per clauſulam, *ſalva ſemper in omnibus Sedis apoſtolicæ authoritate*, inferri non poteſt, quaſi Sacra Synodus ſuorum Decretorum vigorem ſummi Pontificis Authoritati, et Concilii jura ejus Poteſtati ſubjecerit Boſſuet refert tamen, his clauſulis Gallos ita commotos fuiſſe, ut vel ea cauſſa Tridentinam Synodum admittere recuſarent.

6. Doctrinam Proſperi Fagnani, *quaſi Epiſcopi in Conciliis ſint tantum Conſultores Papæ, non Conjudices*, perſtringit, atque contra hanc multa ex Boſſueto profert, quibus etiam refellit Bellarminum.

7. Re-

7. Reſpondet ad objectionem, quod ſic ſine Generali Concilio videretur, nihil eſſe in fide definitum, et eo prætextu, quod multa gravia in adminiſtratione officii Papalis emendanda occurrant, continuo poſſet ſollicitari Eccleſia, chriſtianus orbis commoveri, apoſtolicæ Sedis authoritas ſuſpendi, impediri, imo tantum non pro invalida teneri, quod malum gravius foret, quam cui ex Conciliis generalibus quærimus remedium. Ait: ad primum ſe §. 8. reſponſa daturum. Ad alterum: ſe regulas tradere, queis inprimis ea, quæ a pluribus ſeculis absque alia ſpe emendationis peccata ſunt, cum effectu corrigantur; tum ut Pontificiæ authoritati ſui ponantur fines; demum ut in omnem eventum noverit Romana Curia, dari remedium, quo uſurpationibus occurratur. Nempe mortalem tanta Poteſtate præditum, tot tentationibus obnoxium, tanta adulatione circumdatum aliquo Canonum metu coerceri oportet.

Nota.

Nihil hactenus contra Rom. Poteſtatem, etiam *Monarchicam*, in noſtro et ſano ſenſu

ſenſu intellectam demonſtravit Febronius ex S. Scriptura, uſu ſeculorum, ex diſciplina circa cauſſas majores, poteſtatem legislativam, et Appellationes; quippe attentis iis, quæ hucusque in notis dedimus, non ſolum omne in contrarium prætenſæ *Demonſtrationis* robur evaneſcit, ſed et multa funditus deleta ſunt ſic, ut Febronius et adverſarii hactenus congruam, atque directam reſponſionem non dederint, nec dare unquam poterunt. Videbimus jam, quale ſibi ex Conciliis generalibus lucrum reportet.

Inprimis iterum æquivoce incedit Febronius. Nos non intelligimus *Eccleſiam univerſam* repræſentatam, niſi ſimul adſit *Caput*, principalis pars Corporis Eccleſiæ, et illa ſolum Concilia generalia *legitime* congregata eſſe, ac immediate a Chriſto habere Poteſtatem, quibus Caput, Rom. Pontifex unitur; ſecus acephala ſunt, nec *totam* faciunt aut repræſentant Eccleſiam. Ais: *a ſolo Rom. Pontifice non univerſam repræſentari Eccleſiam.* Sed quid facies Auguſtino multis in locis clare dicenti, Petrum per-

personam et figuram gestasse Ecclesiæ? sic serm. 24. de divers. *Petrus multis locis Scripturarum apparet, quod Personam gestet Ecclesiæ.* Et infra: *quoniam in significatione Personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est.* Ipse Febronius pariter multis in locis Tom. II. III. et IV. contendit ad illum textum Matthæi; *Tu es Petrus, tibi dabo Claves etc.* Petrum ibi gestasse Personam Ecclesiæ, neque hoc tantum ut *legatum* vel *vicarium*, sed ut *Principem* et *Primatem* Ecclesiæ; sicuti rursum ait Augustinus in Psalm. 108. *Petrum gestasse Personam Ecclesiæ propter Primatum, quem in Discipulis habuit*, quod et Febronius Tom. IV. pag. 73. et 76. etc. cum suo Bossueto fateri cogitur. Verum sicut Concilium generale non solum *vicario modo* sic repræsentat Ecclesiam, ut *ab ipsa*, sed ut *a Christo* immediate habeat, gerat, exerceatque Potestatem: ita Petrus *propter Primatum* sic repræsentabat Ecclesiam, ut ipse tanquam Princeps *a Christo* et principaliter acceperit Potestatem in universa Ecclesia gerendam et exercendam. Nihil hic

mo-

moror inanes glossas et argutas distinctiones Natalis atque Bossueti, quas iste inter *figurandum* et *repræsentandum* ponit: sufficit, Petrum gestasse Personam Ecclesiæ; Personam alicujus gestare, non solum qualiscunque figura, sed et perfecta repræsentatio est; at Augustinus ait, Petrum gestasse Personam Ecclesiæ. Sufficit quoque, Augustinum dixisse, Petrum *propter Primatum* gestasse Personam Ecclesiæ. Ostende prius, Augustinum non admittere in Petro *Primatum* universalem, nec *Jurisdictionis*, et tum primum conclude, Petrum tantummodo sterilem et umbratilem sustinuisse figuram Ecclesiæ. Quod si vero Augustinus et *Universitatem* et *Jurisdictionem Primatus* in Petro admittat, tunc illa Bossueti verba in Defens. Declar. Cler. Gall. L. 3. C. 13. alias de se quidem ambigua, nihilominus absque limitatione adhuc omnem illum sensum, quem nostra sententia profert, exprimunt, atque verissimum est, quod ait: *hoc habuit præ cæteris* (Petrus) *ut cum esset omnium Princeps, illud Potestatis a Christo proxime et immediate manantis depositum*

principali jure et ipse acciperet, et ad successores transmitteret, ut cæteros Episcopos meminisse oporteat, se primum in Petro, ut unitatis Capite designatos, formatos, constitutos. Juxta Augustinum ergo Petrus in S. Scriptura multis locis tanquam Primas totam repræsentabat Ecclesiam: et in nullo aptius meliusque corpus Ecclesiæ repræsentari poterit quam in suo Capite, in Primate, in centro unitatis, in quo omnium fides, sensus et Doctrina collimare debent, ut sint una, certa atque communis? Nunquid quivis Episcopus suam singularem repræsentat Ecclesiam, quia hujus Caput, Pastor et Rector est? Sic Rom. Pontifex, cum sit Caput, Pastor et Rector universalis Ecclesiæ, eam totam repræsentare poterit. Econtra quantumcunque numerosum sit Concilium Episcoporum, illud nunquam principalem partem, Caput Ecclesiæ, et Primatem repræsentare poterunt, neque in suo medio centrum unitatis habent, quia hæc omnia nec singulis, nec congregatis in unum Episcopis, sed singulariter soli Petro et successoribus datum est: ideoque Concilium Generale maxi-

mum

mum nec vices Primatis Ecclesiæ supplere, nec sine eo totam Ecclesiam repræsentare valet. Proinde falsissimum est, a Concilio generali, præciso Capite Rom. Pontifice, *totam* repræsentari *Ecclesiam*, vel proprie et perfecte *Generale Concilium* esse sine Capite Rom. Pontifice. Ait ulterius Febronius, singulis Ecclesiæ Pastoribus post Diœcesium divisionem tantum partem ecclesiasticæ jurisdictionis creditam esse, quod verissimum, atque etiam nostra sententia est. Verum quomodo sic stabit Febronii Episcopatus in Ecclesia omnibus Episcopis communis in tota Ecclesia, et jura æqualia inter Apostolos, et eorum successores per omnia, sicuti C. I. et III. ostendere voluit? Quod postea addit: universæ Ecclesiæ Authoritas et Potestas in omnes data est, id tum verum est, si addas, *simul* cum Petro et ejus successoribus, tanquam cum Capite et fundamento Ecclesiæ, atque principaliter Petro tanquam Pastori et Rectori universali.

Dicis: Nulla lege divina primum membrum ab universali authoritate Ecclesiæ ex-

ceptum esse. At iterum falleris: primo membro seu Capiti dictum fuit, *pasce oves meas*, *confirma fratres tuos*: non, *tu pascêris ab ovibus*, *fratres te confirmabunt*, sic ut Petrus sit Pastor et Rector omnium, non ut ipse pascatur, et confirmetur ab aliis.

Ais, Pontifices errare posse, vitiis depravari, hos corrigi et judicari non posse, nisi Ecclesia sit superior. Non nego primum membrum. Sed et Episcopi omnes errare possunt, atque vitiis depravari: quis hos corriget, aut judicabit, nisi Rom. Pontifex, quod tu negas? sed quid in Conciliis? num malus malum corriget, errans errantem recta docebit? dices, assistentiam Spiritus S. obstituram, ne id unquam in fide et doctrina contingat: id ipsum de Rom. Pontifice dico, quia talis promissio singulariter Petro et ejus successoribus facta est. Ne ergo tibi et Ecclesiæ timeas: promissio Christi non errabit, cujus Spiritus semper manebit cum Ecclesia. Mali jam fuerunt Pontifices, et scandalosæ vitæ, sed per hos nec fides detrimentum accepit, nec doctrina morum depra-

pra-

pravata fuit. Errores et vitia ad particulares eorum perſonas pertinent, puritati fidei et doctrinæ nunquam obfutura; quod ſi in illis et corrigi et judicari vis Rom. Pontificem, ſummum Antiſtitem et Vicarium Chriſti, prius iſta cogita, et meditare. Nonne tu admittis, et Galli omnes defendunt, nec ego abnuo, Monarchas omnes, et ſupremas atque independentes Poteſtates in terris a nemine judicari: admittis, eos ſupremo judicio Dei reſervari: admittis, inferiores Clericos ſuo Epiſcopo, quantumcunque depravato obedientiam et ſubjectionem debere: ſcis tandem, Apoſtolum præcipere, quod ſuperioribus etiam malis et diſcolis ſubeſſe, et obedire debeamus. Quid? Principia adverſariorum vel ipſis ſupremis hujus mundi Monarchis adverſantur, vel ſingularem in Rom. Pontifices invidiam produnt: quippe rationis paritas haud vacillat. Suprema et independens Poteſtas, nulli hominum judicio vel Correctioni ſubjecta in Monarchis, ſive dein ab ipſis hominibus in unum hominem collata, ſive quacunque via introducta non terret, æqua, juſta et bona eſt,

 ut

ut ſupremi Principes tuto atque pacifice regnare poſſint, ſeditionibusque janua obſtruatur, quantumvis Perſona illâ Poteſtate præfulgens vitiis depravari, et ipſa poteſtas in Tyrannidem degenerare queat; at terret Poteſtas ſuprema Rom. Pontificis, periculoſa, noxia eſt, quamvis non ſit adeo abſoluta, ſed vicaria, et certis adhuc limitibus, attamen a ſolo Chriſto abſoluto Monarcha, circumſcripta, uti Cap. I. oſtendi, et inſuper tum ipſe Vicarius, tum Eccleſia a Chriſto promiſſam et æternam habeant aſſiſtentiam, ne ipſa illius erroribus et vitiis, ſi in quæ prolabatur, depravari poſſit.

Aïs, tali modo Concilia generalia ſuperflua fore: ad hoc tibi in præſenti Capite ſuo loco reſpondebo. Lepida illa interrogatio, quare Romani non potius miſerint Bullam Leonis X. ad Principes etc., quam quod convocationem Concilii petierint, ab homine, uti videtur, quæſtionis noſtræ ignaro profecta noſtrum punctum, in quo verſamur, non tangit. In vanum Princeps mitteret ſua edicta et ordinationes ad ſubditos

ſibi

ſibi rebelles, et qui jamjam evaginato enſe, atque obdurata cervice ipſum non amplius ut ſuum Dominum et Principem recognoſcerent: tantis malis aliis remediis obviandum foret, atque in primis agendum, ut ipſum tanquam Legitimum ſuum Superiorem agnoſcant, et tum primum ut ſuis mandatis pareant, ſuæque poteſtati colla ſubmittant. Novatores illius temporis præter alios errores etiam Poteſtatem Rom. Pontificis exterminatum ibant, atque ad nihilum redigere volebant: num ſatis fuiſſet Leonis Papæ judicium, quem Judicem non agnoſcebant, illis opponere? Sed nec œcumenico Concilio Tridentino, ad quod prius appellabant, paruerunt: num idcirco hoc Concilium ſuperfluum, hujus judicium vero inſufficiens aut illegitimum fuit? Vides, quam inane et incongruum ſit, contra legitimam Poteſtatem argumentum a Renitentia inferiorum ſumere.

Ad 1. Quæ ſit Authoritas, ſenſusque Decretorum Conſtantienſium, mox infra in ſpeciali, quam in hunc finem dabimus, dig-

 greſ-

greſſione demonſtrabitur. Tantum obiter hic noto, Concilia Florentinum et Lateranenſe longe majorem in Eccleſia authoritatem habere, mererique, quam Concilium Conſtantienſe, illa omnino vere generalia eſſe, quidquid Galli quidam contradixerint, Baſileenſis Conciliabuli decretis innixi; econtra Conſtantienſe *eo tempore*, quo decreta de Superioritate Concilii condebantur, certo generale non fuit, quod infra ad oculum demonſtrabitur. Falſum inſuper eſt, verba *in Capite et membris* fuiſſe *a Patribus* inſerta: a Nationibus et hominibus Laicis, qui tum Concilium conſtituebant, potius, quam ab Epiſcopis inſerta ſunt: pariter falſum eſt, illa decreta a ducentis Patribus *communi conſenſu* fuiſſe condita, quæ omnia in ſequenti diggreſſione patebunt, ubi etiam Bellarminus, Schelſtrate, aliique contra adverſariorum dicteria ſatis vindicabuntur.

Ad 2. 3. *et* 4. Si de toto Conſtantienſi Concilio ſermo eſt, non ſolum multi præſentes in eo decretis Seſſ. IV. et V. contradixerunt, ſed et hi et alii tunc Generale Le-

giti-

gitimum esse non agnoverunt, atque ipse Julianus num. 4. argumenta, quæ contra superioritatem Concilii opponebantur, exceptione dissolvere tentans, eo ipso ostendit, eo tempore fuisse, qui hisce decretis Constantiensibus non assentirentur, qui igitur Julianus, vel quisquam alius affirmare audet, neminem eo usque de subsistentia Concilii Constantiensis et singulorum ejus Decretorum dubitasse? et qualiter hujus Cardinalis argumenta invicta sunt, quando nec ipsum in tantum convincebant, quin postea ea errores vocabat, suam mentem mutabat, atque sententiam revocabat? Nempe Julianus prius ubique falso supposito laboravit. Nos non negamus, sed plane admittimus, Decreta Constantiensia valere contra Papam dubium, et tempore Schismatis, imo in hoc solo sensu, si quid valent, intelligenda esse dicimus: valuit ergo privatio et depositio Joannis XXIII. Papæ dubii et incerti, quia aliter Schisma aboleri non potuit: dein hæc privatio post unionem trium obedientiarum acceptata et approbata fuit, scilicet quando Concilium integrum et generale fuit: te-

nuit ergo et electio Martini Papæ. At illa decreta non valent, nec se extendunt contra Caput Ecclesiæ verum et legitimum, dumque Card. Julianus ait, Concilium Constantiense facto probasse, Papam esse inferiorem Concilio, nempe quia deposuit Joannem et Benedictum seu Petrum de Luna, his exemplis eo ipso nihil probat, quam Potestatem Concilii exercitam in Pontifices dubios atque Schismaticos. Num autem hoc etiam vi decretorun Constantiensium inferri possit contra Papam certum et legitimum, de hoc adhuc quæritur? et nos mox contrarium demonstrabimus.

Nihil ergo contra nos valent Argumenta Juliani, qui tempus Schismatis cum tempore pacis et unionis, Papas dubios et Schismaticos cum veris et legitimis confundit. Neque plus valet in hac re ipsa Cardinalis Juliani Authoritas, qui ab hac opinione resipuit, atque revocavit. De quo inferius.

Ad 5. Neque ex Concilio Tridentino probatur superioritas Concilii supra Papam.

Quæ-

Quæſtio noſtra utique verſatur inter Concilium, utut ſejunctum a Papa, non inter Concilium, in quo præſidet ipſe Pontifex per ſe, vel per ſuos legatos, et in quo ipſe in decreta conſentit, ea approbat, atque confirmat. Nam nemo negat, quod Epiſcopi poſſint proponere, atque etiam ſtatuere, conſentiente, volente et approbante ipſo Rom. Pontifice, quæ ipſis circa diſciplinam, Regimen Eccleſiæ pro circumſtantiis meliora vel utiliora videntur, etſi ipſum Pontificiæ Poteſtatis exercitium attingant. At ideo jurisdictio in Papam, qui in talibus vel ſua authoritate volens cedit, vel etiam ſua authoritate confirmat, haudquaquam exercetur: et ita factum fuit in Concilio Tridentino. Papa per legatos præſidebat, inter ipſum et hos vivum epiſtolarum commercium vigebat, legati identidem inſtructiones recipiebant, propoſitiones et concludenda, antequam ad Seſſionem venirent, ad Papam mittebantur, iſte conſentiebat, remittebat etc.

Rurſus æquivocatio eſt, quando Febronius ait, *Concilium Eccleſiæ Poteſtatem aſ-*

ſerere.

ſcrere. Quid Concilium intelligit *per Eccleſiam?* Num Corpus truncum ſine Capite? Num tota Eccleſia ſine Papa intelligitur? At ibi in Tridentino utique Corpus cum Capite, Eccleſia cum Primate et Rectore conjuncta fuit? Et dum Concilium Poteſtatem Eccleſiæ afferit, num per hoc eidem etiam contra caput attribuit? Porro Febronius quoque fatetur, Tridentinum non ſemel adhibuiſſe illam clauſulam: *ſalva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate, et Gallos his clauſulis ita commotos fuiſſe, ut vel ea cauſſa Tridentinam Synodum admittere recuſarent.* Igitur Concilium Poteſtatem Sedis Apoſtolicæ non depreſſit, non ſubjecit, in eam ſuperioritatem non exercuit, ſed eam agnovit, ſalvavit, veneratum eſt. Quod ſi Galli his clauſulis ita commoti ſunt, tunc ideo, quia directe adverſantur eorum ſententiæ de ſuperioritate Concilii ſupra Papam.

Ad 6. Aio, Epiſcopos in Conciliis non eſſe tantum *Conſultores*, ſed *conjudices*, quidquid dicat Proſper Fagnanus: neque id tuo Boſſueto convictus affero, ſed aliis argu-

mentis

mentis et authoritate iſta ſententia, quam veram agnoſco, mihi inſedit. Hanc docent Cardinalis Turrecremata, Melchior Canus, et præcipue Benedictus XIV. Lib. 8. de Synod. n. 2. aliique præſtantiſſimi etiam in Italia. Sed de his ſuo loco.

Ad 7. Tandem Rom. Pontificibus inſultat, atque improperat Febronius. *Pontificiæ poteſtati*, quam Petrus *a Chriſto* accepit, Concilia limites ponere, aut fines declarare non poſſunt. Quod autem *exercitium* et *uſum* hujus poteſtatis attinet, utique jam Chriſtus finem et modum præſcripſit: *Reges gentium dominantur eorum*, nempe deſpotice, arbitrarie et pro libitu: *Vos autem non ſic*, ſed *ſicut ego*, qui *major* eſt, fiat ſicut *miniſtrator*. Hinc etiam Chriſtus ad paſcendas oves ſuas a Petro non magnitudinem animi, non ſeveritatem, non majorum tabulas, veteris proſapiæ et nobilitatis teſtes, ſed ſolam charitatem exquiſivit. Quod ſi Primas Eccleſiæ nihilominus limites a Chriſto poſitos ſupergreſſus ſua Poteſtate in detrimentum Eccleſiæ abutatur, poterunt

terunt utique reclamare Ecclesia et Concilia, fines ponere *abusui*, non vero recto *usui*, minus adhuc *Potestati*, quæ Ecclesiæ subjecta non est, et suos limites a Christo accepit: attamen media, quæ Febronius proponit, tollendo tali abusui nequaquam sunt proportionata, et congrua, quin potius tanquam Schismatis semina abjicienda et fugienda.

Rigidi Censores quid semper Concilia et veteres Canones vociferantur? Revocet Rom. Pontifex antiqua Concilia et Canones, hos observari faciat, primævam disciplinam restauret, num idcirco omnes pristino candore, primævo spiritu et fervore flagrabunt? quot obstacula ponentur? an non illi ipsi primi erunt, qui fræna recusantes lenitatem Matris, atque talia nostris temporibus non amplius congruere inclamabunt? et ne amplius quid dicam, videbimus, quod hodie rarum non est, eorum doctrinas ab eorum praxi et vita penitus discordare. At iis ipsis de hoc serio non agitur: solus Petrus piscatum eat: ejus Potestas deprimatur, Potesta-

tis

tis exercitium coarctetur, vel adimatur, ipse Papa subjiciatur, eidem resistatur, et ne per hoc Regimen et Ordo in Ecclesia deesse videantur, Concilia ad speciem obtenduntur, Concilia, quæ non aut raro existunt, quæ sæpe pessimum exitum habuere, quandoque in latrocinia abiere, et si omnia bene cedunt, citra materiam fidei a Populis, a Nationibus pro libitu acceptari vel recusari possunt. Hæc omnia in opere Febroniano clare comprehenduntur. Appello quosvis, qui tantum mentis suæ compotes sunt, num taliter consultum foret Ecclesiæ, si tales Consiliarios audiat? profecto an non tota in Anarchiam et dissolutionem recideret?

Interim dum reliqua hujus paragraphi, quin et totius Capitis, ut plurimum, duobus Conciliis Constantiensi et Basileensi, tanquam basi et fundamento superstruantur, necesse est, ut præprimis fidem et authoritatem Decretorum Concilii Constantiensis (de Basileensi Concilio inferius dicemus) intimius perspiciamus, ne semper in cespite hæsitemus, et tot repetitis citationibus atque Respon-

ſponſionibus circa hoc Concilium Lectorem fatigemus. Sit igitur Nobis argumentum et

Diggreſſio
Theologico - Critica
De
Concilio Conſtantienſi, hujusque Decretis Seſſ. IV. et V.

Bene monet Italus, ſeu P. Viator a Coccaleo, nobis controverſiam eſſe de Pontifice ſejuncto a Concilio, non autem cum unitur Concilio, ſic ut iſtud etiam nolentem, et invitum judicare, corrigere, punire, eique leges præſcribere poſſit, hicque eidem tanquam Primas, et Paſtor univerſalis ſubjacere debeat. In hunc finem ab Adverſariis et ipſo Febronio pro more allegantur verba Concilii Conſtantienſis Seſſ. IV. *Quod ipſa Synodus in Spiritu S. congregata, legitime generale Concilium faciens, et Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem immediate a Chriſto habeat, cui quilibet, cujuscunque Status vel conditionis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem dicti Schiſmatis, et Re-*

Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite et membris.

Item Seff. V. *Quod quicunque cujuscunque conditionis, Status, Dignitatis, etiamfi Papalis, qui mandatis aut præceptis hujus Sacræ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii Generalis legitime congregati, fuper præmiffis, feu ad ea fpectantibus factis aut faciendis obedire contumaciter contempferit, nifi refipuerit, condignæ Pœnitentiæ fubjiciatur, et debite puniatur.*

Hæc duo Decreta tanquam peremptoria pro fuperioritate Concilii Generalis fupra Rom. Pontificem multo plaufu in Triumphum deducuntur, ita quidem, ut Febronius aufus fit, Bellarminum hæc Decreta generofo pede tranfiliiffe dicendo, Concilium Conftantienfe, quantum ad primas Seffiones, reprobatum fuiffe: Item Tom. II. Apolog. pag. 214. *Cui ex Febronii Adverfariis per hoc plene fatisfactum vifum non fuerit, ille fæpe laudatum, et nunquam fatis laudandum Natalem Alexandrum porro adeat: fed fi ad-*

versum Decreta Sess. IV. et V. ultra quid moliri intendat, gravia momenta ab eodem Alexandro allata suos lectores non celet, aut insalutata non transiliat.

Ad ista repono: etiam Febronius suos lectores non decipiat, quasi Bellarminus illis Decretis nihil opponere sciverit, nisi quod sint reprobata, et quasi Natalis Alexander suis argumentis totam caussam vicerit, adversariosque plane prostraverit. Bellarminus sat solide probavit, illa Decreta debitam vim et authoritatem non habere, nec argumenta Natalis tantum ponderis continent, ut non facile dissolvantur, multo minus convincentia sunt, prout per decursum videbimus.

Pariter haud minoris magniloquentiæ, atque falsitatis arguendus erit Febronius, qui Tom. III. *in Daniel. Bertono pag.* 143. non veretur asserere, adversum illa Decreta a Viatore Italo et aliis objecta *plene enervata fuisse a Joanne a Calore in Apologia Febronii art. IV.* et tamen Italus queritur, ac jure queritur, sibi ad sua argumenta respon-

sum

ſum non fuiſſe. Interim ut ad Scopum propius accedamus, plura circa illa duo Decreta Conſtantienſia in quæſtionem veniunt, amplius examinanda, et quæ permagnam attentionem merentur. *Primo.* An Decretum Seſſ. IV. integrum, uti ſupra refertur, fuerit editum, nihilque ſit in eo redundans aut interpolatum? *2do.* Utrum Decretum tum Seſſ. IV. tum Seſſ. V. *conciliariter* et ab æcumenica Synodo conditum fuerit? *3tio.* Quem ſenſum habeant illa Decreta? *4to.* Utrum ea approbata fuerint a Martino V., aliisque Pontificibus? ne igitur omnia confundamus, ſingula ſingulis numeris rite examinabimus, nec etiam reſponſiones et argumenta Febronii, aliorumque, quæ alicujus momenti eſſe videntur, ſuis locis tacebimus.

I.

Utrum Decretum Seſſionis IV., prout nunc allegatur, ſit genuinum, nihilque in eo interpolatum?

Norunt omnes, Decreta in Conciliis generalibus tunc ſuam authoritatem et robur obtinere, ſeu potius tunc tanquam

Decreta condi, quando Epiſcopi in publica Seſſione per ſua vota et verbum, *Placet*, aſſentiuntur, quidquid dein prius in materia deliberatum, tractatum, concluſumque fuerit.

Porro Emmanuel Schelſtrate Bibliothecarius vaticanus in ſingulari diſſertatione demonſtrare conatur, iſtud Decretum Seſſ. IV. adulteratum, et corruptum fuiſſe, prout hodie legitur, quia illa verba, *et ad Reformationem Generalem in Capite et in membris*, poſtmodum adjecta ſunt. Nititur autem his argumentis.

Cum Nationes in Concilio Conſtantienſi congregatæ authoritatem Concilii ſupra Pontificem extollere molirentur, et illam clauſulam, *ad Reformationem Eccleſiæ in Capite et in membris*, inſertam vellent, Cardinales, una cum Oratoribus Regis Galliæ ad dictam Seſſionem IV. venire recuſaverunt, niſi deleta illa clauſula, et omiſſo Decreto de Poteſtate coercitiva Concilii ſupra Pontificem. Citat in hunc finem Schelſtrate Re-

ge-

geſtum ex duobus M. SS. Codicibus. Dum vero in ipſa Seſſione IV. Cardinalis Florentinus, cujus erat pronuntiare Decreta, ad verba, *de Reformatione Eccleſiæ in Capite*: quæ Nationes in Schedula delere intermiſerant legendo pervenit, ſubſtitit, eaque falſa eſſe, et præter communem deliberationem addita palam edixit, atque in eadem Seſſione Cardinales publice admonuerunt, eam materiam obnoxiam eſſe magnis difficultatibus, et indigere maturiori deliberatione, uti conſtat ex geſtis hujus Synodi. Igitur illa verba, quantumvis a Nationibus in Schedula appoſita, ad Decretum Seſſ. IV. non pertinent, utpote publica lectione non propoſita, ideoque nec publice communi ſuffragio roborata.

Hoc etiam ulterius confirmatur ex eo, quod Nationes ægre ferentes, illa verba inibi omiſſa fuiſſe, ſtatim petierunt, ut *proxima Seſſione* prætermiſſa expediantur: fuit autem Seſſio V. octiduo poſt IV. habita, atque ex ipſis Concilii actis a quatuor Notariis conſcriptis habetur, in Seſſione V. De-

creta fuiſſe publicata *tanquam prius concluſa et deliberata*, in his vero verba de Reformatione *in Capite* fuiſſe appoſita, notum eſt.

Ulterius probat Schelſtrate, illa verba, *et ad Reformationem Generalem in Capite, et in membris* adjecta, et interpolata fuiſſe in Decreto Seſſionis IV., quia tres Codices M. SS. continentes acta Concilii Conſtantienſis a Notariis illius conſcripta, ex quibus Baſileenſes, ut in titulo Compilationis profitentur, ſua compilarunt, non contineant verba iſta in Decreto hujus Seſſionis, unde Schelſtrato vehemens ſuſpicio inhæſit, ipſos Baſileenſes primitus hujus interpolationis reos eſſe. Item Codices M. SS. alii quatuor continentes geſta indubitata Synodi Conſtantienſis, quorum duo circa ipſam celebrationem Synodi conſcripti ſunt, licet habeant multo plura, quam hactenus edita, nullam tamen faciunt mentionem verborum in hoc Decreto, de quibus controvertitur. Nec etiam illorum mentionem faciunt duo Codices antiqui continentes Regeſtum actorum iſtius Concilii: ſic etiam verba illa de-

ſide-

ſiderantur in Codicibus, qui extant in Bibliotheca Cæſarea Viennæ, aut in Bibliotheca Salemitana prope Conſtantiam, neque in aliis Reliquis Germaniæ, ut in Brunſwicenſi, Lipſienſi, Wolfenbüttelenſi, Gothano etc.; imo nec illa verba inveniuntur in prima editione Concilii Conſtantienſis.

Hæc Febronius Schelſtrati *fabulam* et *ineptias* vocat, quas multi confutarunt. Sed num fabula et ineptiæ ſunt, quando Schelſtrate tabulas teſtes, Synchronas et antiquiſſimas producit, quæ omnium oculis patent? nos argumenta illorum, qui Schelſtratum confutarunt, præcipue ſubſtituimus, unde lector dijudicet, utrum *fabula* ſit, quæ Schelſtrate ex ipſis actis Concilii a Notariis illius conſcriptis, et codicibus minime ſuſpectis deprompſit; neque etiam Natalis Alexandri atque Febronii in hanc rem momenta, atque Reſponſiones celabimus.

Primo ajunt, Concilium Baſileenſe ſeptem viros probitate morum et eruditione conſpicuos deputavit, qui Acta Concilii Conſtan-

ſtantienſis accurate luſtrarent; quorum compilationem idem Concilium anno 1442. Non: Februarii ſua authoritate roboravit, et ſpeciali Bulla præcepit, huic compilationi plenam in omnibus fidem eſſe adhibendam, proinde ac ſi præfati Concilii Conſtantienſis Bulla foret: ſed in hac compilatione continentur illa verba in Decreto Seſſ. IV. *de Reformatione in Capite etc.* Igitur de integritate et ſinceritate ejusdem Decreti tam accurate diſcuſſi prudenter dubitari non poteſt.

2*do*. Decretum illud Seſſ. IV. ſpatio trium ſeculorum, uti modo refertur, fuit habitum tanquam genuinum, et incorruptum ab omnibus eruditis, atque Codices antiquiſſimi M. SS. in Gallia continent illa verba hujus Decreti, inter quos unus extat Pariſiis apud S. Victorem, in quo teſte Ludovico Maimbourg habetur extractus Seſſionum, quas illi, qui pro parte Nationis Galliæ aderant eo ordine, uti celebrabantur, Lutetiam mittebant. Pariter Balluzius, Natalis Alexander, Crabbe, Laurentius Surius,

Seve-

Severinus Binius in collectis Codicibus haud aliter legerunt, quam cum claufula illorum verborum, prout nunc legitur. Joannes Gerfon tefte Maimbourgo oculatus teftis refert pluribus locis hoc Decretum Seff. IV. coram toto Concilio cum hac claufula, *et Reformationem in Capite et in membris*, fuiffe lectum.

3tio. Natalis Alexander fuftinet: Concilium Conftantienfe fuit continuatio Concilii Pifani, quod Seff. ultima declarat, fe omnino attendiffe ad reformationem Generalem Ecclefiæ in Capite et in membris, et quia tam neceffarium opus perficere non potuerat, ideo ad proximam Synodum illud remittit; hinc fi illa verba, quæ Schelftrate deeffe vult, non addantur, mutilum erit Decretum. Dein Decreta Conftantienfia omnibus nota, et in omnium manibus verfabantur, antequam Patres Bafileenfes Synodum inchoabant, impoffibilis proin erat eorum interpolatio, nifi omnia exemplaria, quæ fparfim in omnes Regiones invecta fuerant, fupprimerentur. Et fi a Bafileenfibus

 falfi-

falſificata fuiſſent, hoc ipſis exprobraſſent Eugenius IV., Cardinales, Epiſcopi, Theologi Papæ adhærentes, quod minime factum fuit. Nec tandem poſſibile fuit, ut tota Synodus, et præcipue ejus Præſes Ludevicus Alemannus Cardinalis Arelatenſis, vir ſanctitate inſignis ſummo conſenſu in interpolationem Decretorum prioris Concilii generalis convenerint.

4to. Natalis Alexander cenſet, nihil intereſſe, utrum verba illa in Seſſ. IV. reperiantur: quippe eadem expreſſe habentur in Seſſione V. item in Seſſ. VII. Ter quoque repetuntur in ſententia ſuſpenſionis adverſus Joannem XXIII. Seſſ. X. idem judicium Febronii eſt Tom. II. Apolog. pag. 209. citantis P. Berthier Jeſuitam Gallum.

Verum hæc omnia nequaquam tanti ſunt, ut animum minus præoccupatum perſuadere valeant. nam

Ad primum. Etſi Concilium Baſileenſe compilationem illorum ſeptem virorum tanquam

quam authenticam, et omni fide dignam declaraverit, tamen adhuc verum manet, quod illa verba, de quibus controvertitur, in prima editione Concilii Constantiensis, et pluribus Codicibus M. SS. antiquissimis, etiam Synchronis non inveniantur, quos Schelstrate produxit. Manet quoque verum, quod illi septem viri præ manibus et oculis habuerint saltem tres Codices M. SS. continentes acta Concilii Constantiensis a Notariis illius conscripta; quippe ipsi in titulo compilationis profitentur, se sua ex his compilasse: in his autem Codicibus verba de Reformatione *in Capite etc.* in Decreto Sessionis IV. non continentur. Cur igitur ipsi addidere? quod si ergo Basileenses etiam ab omni suspicione interpolationis absolvere velimus, consequens est, ut dicamus, illos septem viros in sua discussione, prout oportuit, tam accuratos non fuisse, et fors illud Decretum Sess. IV. ex aliis actis retulisse, quæ illud exhibent, non prout in publica Sessione fuit editum et promulgatum, sed quale fuit a Nationibus conceptum ac præparatum. Et revera hanc compilationem

adeo

adeo accuratam et perfectam non fuisse, ipsi Patres Basileenses per hoc satis profitentur, quando de illis viris ajunt, eos non omnia gesta et Decreta, sed tantum *nonnulla* collegisse. Quare declaratio Patrum Basileensium nostris Codicibus fidem nequaquam detrahit, neque compilationem ipsorum jussu factam ab omni suspicione adhuc liberat, uti infra videbimus, multo minus eidem tantam authoritatem tribuit, ut propterea huic, et subsequentibus editionibus ad Basileense exemplar factis tantum fidem præstare debeamus.

Ad 2. Neque trium seculorum possessio multum suffragari poterit in quæstione facti; quia *veritas sempiterna est*, teste Tertulliano Lib. de Veland. Virg. C. I. *Cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non Patrocinia Personarum, non Privilegium Nationum.* Ipse Febronius contra octo seculorum et amplius Possessionem circa Isidori decretales, quamquam usu, Praxi et Disciplina totius Ecclesiæ firmatam, sæpius exceptionem interponit; ipse igitur noverit, quid

robo-

roboris huic argumento insit, quamvis adhuc longe dispar sit ratio. Quantum vero Codices Gallicanos attinet, nobis tantummodo sermo esse potest de iis, qui non ad exemplar Basileense, et post hoc Concilium editi sunt; quippe sicut Editio prima Actorum Constantiensium a Basileensibus facta non potest censeri genuina, vel saltem de hac ipsa controvertitur, ita et aliæ subsequentes editiones, quæ ex hac compilatione prodiere, sunt ejusdem Commatis. Equidem Maimbourg præfert suum Codicem S. Victoris, et alios Parisinos Codicibus Vaticanis et aliis abs Schelstrate adductis: sed hic contendit, perperam a Maimbourgo fieri talem præferentiam, quandoquidem ipse Codices Vaticanos non viderit, quin potius quemvis ex his præferendum judicat Codici Victorino, sibi et aliis notissimo, cujus Author, Parisiis commoratus, gesta Concilii de tempore ad tempus, tanquam ex novellis aut Epistolis accepta conscripsit, ideoque facillime decipi potuit, quando Decretum a Nationis Gallicæ Deputatis, Constantia Parisios præcipitanter missum, non

ut

ut promulgatum, sed ut in sua Natione conclusum scripsit, præsertim cum ipsemet conqueratur de inverso aliquoties ordine eorum, quæ de his actis in Codice suo notaverat. Post hæc Maimbourgus ex operibus Gersonis citat Decretum illud Sess. IV., in quo illa verba continentur de Reformatione in Capite etc.: at Schelstrate illa loca accuratius inspiciendo vel hallucinationem, vel fraudem Maimburgi detexit, quod Gerson locis citatis de Decreto non Sess. IV., de quo solum nunc controvertitur, sed Sessionis V. loquatur. In eodem errore versatur Febronius citans Tomo 1. Cap. 8. et Tom. 2. pag. 215. duas orationes Gersonii in Concilio habitas, ubi Gerson in prima oratione pro Viagio Regis inscripta, et recitata 21 Julii anno 1415. expresse dicit: *Prima Lex, sive directio liberans iter nostrum a primo scandalo, quæ data est in Sessione publica sexto Aprilis anni præsentis:* post recitat Decretum de verbo ad verbum, prout nunc jam in Sessione IV. promulgatum esse prætenditur. At certum est, quod ibi celebrata fuerit Sessio V., et Sessio IV.

jam

jam 30 Martii prius habita ſit. Igitur ex Gerſone pro Decreto Seſſionis IV. ab adverſariis nihil probatur, quantumcunque fundamentum in illo Febronius ſe inveniſſe exiſtimaverit. Maimbourgus vero vel ſe, vel ſuos Codices Victorinos adhuc magis ſuſpectos reddit, nempe quod in iis illa clauſula de Reformatione in Decreto Seſſionis quartæ non contineatur: quippe ipſe fatetur, illam eo modo in M. SS. Victorinis, aliisque Codicibus reperiri, quo modo a Gerſone citatur: at citatur a Gerſone Decretum non Seſſ. IV. ſed V. ergo et in iis ita reperitur, uti etiam reperiri teſtati ſunt plures, qui libros illos Pariſinos viderunt, inter quos unus eſt a Monacho San-Dyoniſiano tempore Concilii Conſtantienſis ſcriptus, in quo Decreta ex ſpeciali Galliæ legatorum relatione continentur ſine mentione Clauſulæ, de qua agitur, fuitque ille Liber editus anno 1663.

Ad 3. Argumenta Natalis, quidquid autumet Febronius, nihil concludunt, et parum roboris habent. Licet enim Concilium

lium Pifanum intenderit reformationem in Capite et in membris, et ad futurum Concilium remiferit, ex eo non fequitur, illa verba de Reformatione fpecialiter Decreto Seff. IV. in Concilio Conftantienfi inferta fuiffe. An vero fine his mutilum foret Decretum, id ipfum eft, de quo controvertitur. Quin potius illo tempore *per Reformationem Capitis* intelligebatur fubftitutio et determinatio veri, certi atque communis Capitis, utpote de quo tunc præcipue agebatur, atque de mediis tollendi, et in pofterum impediendi Schifmatis, quam *de Reformatione Status, Poteftatis et officii Papalis.*

Denique etfi non omnia exemplaria effent fuppreffa, ideo tamen non omnino impoffibilis erat interpolatio; fiquidem ex hoc ipfo, quod quædam genuina exemplaria remanferint, aliorum interpolatio probatur, præcipue dum ut plurimum illa exemplaria, tempore Concilii Bafileenfis, et poft hoc edita, in Seffione IV. adjectam claufulam habeant.

Cæte-

Cæterum ego Patres Basileenses de interpolatione et fraude non accuso; non enim ipsi Codices lustrarunt, sed hanc Provinciam septem viris demandarunt, qui verisimiliter Decretum non prout in Sessione promulgatum et editum, sed prout a Nationibus conceptum ac præparatum fuit, conscripserunt. Dico *verisimiliter*; nam fors nec isti hujus falsificationis rei sunt, maxime quia in sua Præfatione profitentur, se suam compilationem desumpsisse ex tribus Codicibus M. SS., qui continent Acta Concilii Constantiensis a Notariis illius conscripta, in quibus tamen ea verba de Reformatione *in Capite* Sessione IV. non habentur: in quo casu Eugenius Papa, Episcopi et Theologi Basileensibus falsificationem exprobrare utique non poterant.

At impossibile non fuit, quod dissoluto jam Concilio Basileensi quidam Schismate infecti illorum verborum interpolationem in dictam compilationem intruserint, præcipue quia compilatio primum anno 1452. absoluta publicam lucem aspexit; dum vero

Eugenius jam ante quinquennium, Ludovicus Alemannus vero ante Biennium obierant, ille non amplius, reclamare, nec hic in interpolationem consentire poterant.

Ad 4. Utique permagni interest, quod Decretum cum clausula de Reformatione non in Sessione IV., sed in Sessione V. duntaxat editum et prælectum fuerit. Etsi enim neutra Sessio multum vigoris habeat, differt tamen Sessio quarta a Sessione quinta, quod hæc contradicentibus gravioribus de obedientia Joannis Papæ Patribus, Sessio quarta vero consentientibus plerisque celebrata sit, et quod multa gravia argumenta et dubia contra authoritatem Sessionis quintæ et aliorum sequentium militent, uti ex infra dicendis patebit. Febronius autem citans P. Berthier multum abest, ut adversarios premat, quin potius etiam nolens ex eodem absentiam Clausulæ de Reformatione in Decreto quartæ Sessionis fateri cogatur. Quippe Berthier citata a Febronio ejus Histor. Eccles. Gallic. pag. 486. ait, *probabilius esse, quod reipsa primum de-*

cre-

cretum Sessionis quartæ lectum fuerit in Concilio sine clausula de Reformatione. Hoc probat ex eo, quod paucis post diebus Cardinali Zabarella objectum fuerit, ipsum in publica lectione truncasse Decretum, et quod statutum fuerit, in proxima Sessione integrum cum clausula promulgare; inde concludit, illa Manuscripta, in quibus abest ea Clausula, repræsentare Decretum, prout lectum fuit in publica Sessione, econtra quæ illam clausulam continent, exponere Decretum, prout a Nationibus conclusum fuit. Ergo juxta P. Berthier Decretum cum Clausula de Reformatione etc. in publica Sessione promulgatum, et roboratum non fuit. Et hoc id ipsum est, quod nos prætendimus, quidquid sit de anteriori concluso per Nationes facto; nam norunt omnes orthodoxi, non Deliberationes prævias, et conclusiones Theologorum, vel aliorum quorumcunque constituere Decretum Synodale definitivum, sed solum consensum et approbationem Episcoporum in Concilio. Taceo, quod Nationes et Magistratus Civiles in tali materia quidquam statuendi nullum jus et authori-

tatem habuerint. Et revera id ipſum ſenſere Nationes; ſi enim concluſum Nationum pro Decreto conciliari ſufficientem authoritatem habebat, quare tantopere inſtiterunt, ut illud Decretum iterum in publica Seſſione, prout ab ipſis conceptum fuit, proponeretur, et ſuffragiis roboraretur.

Ex dictis jam patet, non meras *ineptias* et *fabulam* eſſe, quæ Schelſtrate, aliique eruditi contra authoritatem Decreti Seſſ. IV., prout nunc in editionibus Concilii Conſtant. ad exemplar Baſileenſe factis paſſim legitur, haud immerito objiciunt. Attamen hæc minora ſunt, majora ſubſequuntur.

II.

Utrum Decretum cum clauſula de Reformatione tum Seſſ. IV. tum Seſſ. V. conciliariter, et ab æcumenica Synodo conditum fuerit?

Ad Concilium generale de jure ſoli vocandi ſunt Epiſcopi, atque hi ſoli de ſe habent jus ſuffragii deciſivi, utpote qui jurisdictionem non ſolum in foro interno, ſed

ſed etiam in foro externo Eccleſiaſtico habent: hoc ex perpetuo omnium retro ſeculorum uſu et praxi Eccleſiæ aperte conſtat, atque dum in Concilio Chalcedonenſi varii Clerici et Monachi Synodum ingreſſi Dioſcori reſtitutionem poſtulaſſent, unanimi Patrum voce conclamatum fuit: *mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* Huc pertinet etiam celebre dictum Theodoſii et Valentiniani Imperatorum in Epiſtola ad Synodum Epheſinam, ejus Actis inſerta: *nefas eſt, qui Sanctorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis et Conſultationibus ſe immiſcere.* Huic veteri traditioni et praxi Concilium Conſtantienſe totum quantum adverſatur a receſſu Joannis XXIII. usque ad unionem trium obedientiarum, ita ut potius Conventus Civilis, et Concilium Nationum, quam Epiſcoporum dici debeat. Equidem nullus negat, quando Eccleſia certo Capite caret, atque tetro Schiſmate ſcinditur, ad quod tollendum Cardinales et ipſi Epiſcopi vel manum non admovent, vel impares ſunt, toti Eccleſiæ plurimum intereſſe, ut opportunis

 huic

huic malo remediis occurratur, Pax et unio omnimode reducatur. Nunquam igitur satis laudandus Imperator Sigismundus, æterna memoria dignus, qui ad finiendum illud Archi-Schisma maxime diuturnum tot labores et itinera suscepit, tot impensas insumpsit. Quamdiu igitur Nationes et Magistratus Civiles in tali casu se intra media et limites pro tollendo Schismate contineant, nullus dubitat, hoc justum, optabile, totique Ecclesiæ proficuum fore; quod si vero se etiam decidendis materiis et quæstionibus immisceant, quæ privative ad forum Ecclesiasticum et judicium Episcoporum pertinent, talibus Decretis ex defectu jurisdictionis robur, et authoritatem abesse, hactenus communis Ecclesiæ sententia et doctrina fuit.

Porro in Concilio Constantiensi omnia per Nationes ordinabantur. Nam uti videre est apud Harduinum et P. Desirant Differt. 3. *incidit quæstio*, ajunt Acta, *quomodo deciderentur agenda in Concilio, et fieret Scrutinium votorum, utrum per Nationes in genere? — — — interim Nationes ulterioris Gal-*

Galliæ, Germaniæ et Angliæ, et ita post Italiæ per se ipsas se congregaverunt, et deciderunt de facto quæstionem, utrum per Nationes, vel per Capita singula procederetur. Et congregaverunt se separatim, et finaliter omnes declinaverunt ad viam Cessionis. Hæc ordinatio, si inter solos Episcopos stetisset, et si non ultra objectum Schismatis, hujusque exterminium se extendisset, adhuc ferenda foret, sed ulterius Nationes progressæ sunt, et circa omnes materias proponebant, statuebant, concludebant; hinc P. Desirant de iis ait, *Cornelium Tacitum Lib.* 1. *annalium legisse videntur, et imitati quosdam milites ibidem tumultuantes, qui contra duces erecti sibi jus dicebant. Hoc initium irregularitatis, hoc fundamentum erroris, ex tumultu natum, in tumultu tumultuose stabilitum, semetipsos Concilium dicere, cunctaque præter antiquorum Conciliorum usum, contra Sacros Canones agere, nec conciliariter deliberare, nec conciliariter definire, sed per Nationes, in quibus sententiam dicerent vocem non habentes eructare.*

 Hæc

Hæc ultima adeo certa ſunt, ut iis contradici non poſſit; ſiquidem ex actis notum eſt, quod Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, dum ad ſtabiliendam novitatem indigeret ſuffragiorum pluralitate, quod per vias Canonicas aſſequi deſperabat, ad technas converſus, ſtatim poſt primam Seſſionem novum conatus fuerit ſuffragandi ordinem inducere, qui conſcripſit Schedulam, in qua Doctoribus Theologiæ, Juris Canonici et Civilis, item Regibus, Principibus, eorumque Legatis aſſeritur votum deciſivum in Concilio: aliam Schedulam communicavit Cardinalis S. Marci, Collega Cardinalis Alliacenſis, qui non ſolum Epiſcopis et Abbatibus, ſed et Doctoribus, Archidiaconis, Parochis, Presbyteris, Diaconis, atque Legatis Principum votum Definitivum deberi prætendit, quæ omnia videri poſſunt apud Harduinum,

Econtra Cardinales Romanæ Eccleſiæ a voce activa, imo et a deliberatione excluſi ſunt. De hoc edocemur ab ipſo Petro Cardinali Alliacenſi, præcipuo Concilii Coriphæo;

phæo;

phæo, qui Cap. 4. p. 1. ait: *Dubium primum: an quatuor Nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ, videlicet Italica, Gallica, Germanica et Anglicana, excluso dicto Cardinalium Collegio, faciant Generale Concilium, cum sint plura Concilia particularia, valde inæqualia et improportionabiliter divisa, et ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclusa deliberatione dicti Collegii, et facta in communi Sessione collatione votorum videtur multis non esse concedenda deliberatio Concilii Generalis conciliariter facta.* Vides, Cardinales a deliberatione exclusos fuisse, quibus tamen longe præ aliis minoribus Clericis et Laicis debebatur votum non modo consultivum; sed et maxime decisivum, de quo jam longius in possessione erant, et quia ipsi proxime cum Capite et centro Ecclesiæ uniti sunt, sic ut semper Ecclesiæ Romanæ ubivis maxima existimatio et honor sit habitus, ob quam etiam vacante Sede ab aliis Ecclesiis consulta fuit, et nihil unquam magni momenti in tota Ecclesia sine illius vel interventione, vel consilio aut judicio actum fuerit: quin et necesse est, Car-

 dina-

dinales in Conciliis, ubi agitur de Statu et Bono totius Ecclesiæ, loqui et audiri, quia ipsi Statum totius Ecclesiæ cum Pontifice tractantes eundem melius utique perspectum habent, quam Episcopi ad suas particulares Ecclesias adstricti. Vides dein etiam ex ipso Petro Alliacensi, ob exclusionem Cardinalium, et alias caussas deliberata et conclusa *multis* non conciliariter facta visa fuisse.

Idem Cardinalis ponit dubium secundum: *an dictæ Nationes, quæ sunt nova Collegia particularia, quæ multis videntur contra, vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licet ex rationabili caussa, et sub debitis circumstantiis ita institui potuerint, habuerunt a jure divino vel humano authoritatem privandi Ecclesiam Romanam et sacrum Collegium, ipsam repræsentans (quod est antiquum Collegium, et in antiquo jure et sacris generalibus Conciliis, et Sanctorum Patrum Decretis fundatum) privandi inquam jure suo, habendi videlicet vocem in sacro Concilio?* En! Cardinales non solum *a deliberatione*, ut supra exclusi,

sed

ſed etiam *voce activa* privati. Patet etiam ex his, jam ipſo tempore Concilii Conſtantienſis propter iſtas novitates contra morem antiquum Conciliorum generalium *a multis* dubitatum fuiſſe de authoritate ejusdem Concilii. Quidquid autem reſolverit Petrus Alliacenſis, certum eſt, ipſum utpote Doctorem privatum has cauſſas authoritative decidere non potuiſſe. Interim revera Cardinales a deliberationibus et ſuffragiis excluſi ſunt. Nam quoad ſuffragia in Seſſionibus publicis Cardinales contemptui habitos, et repulſos fuiſſe, patet non ſolum ex variis Epiſtolis Joannis Papæ, ſed etiam ex actis Concilii, in quibus ſolum Seſſione XIV. pro unione Gregorii XII. admiſſi ſuffragium obtinuerunt, dum reſponderunt quatuor prælati pro quatuor Nationibus, et Cardinalis Oſtienſis pro Cardinalium Collegio, *Placet*, *et hoc*, ut produnt eadem Acta, *nunc primum reſponſum eſt ex parte Cardinalium.* Cæterum iſtæ innovationes tantum præambula ſunt iſtius Synodi. Jam ipſum Concilium intrabimus.

In Conventibus Nationum etiam Parochis, Clericis inferioribus atque Laicis suffragium decisivum concessum, Collegio Cardinalium vero tale suffragium negatum fuisse, modo vidimus. Quando igitur Nationes congregabantur, non auditæ sunt solæ Episcoporum voces, sed etiam illorum, qui de jure vocem in Concilio non habebant, Episcopos numero longe superabant, et tum secundum pluralitatem votorum conclusum fuit. In ipsa publica Sessione Concilii vero tantum quatuor Episcopi vocem promebant, *Placet*, nempe unus pro qualibet Natione, quod ex actis Concilii constat. Jam quæritur, utrum hoc Concilium Episcoporum fuerit? utrum in hoc Concilio dici verum fuerit, *posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei: visum est Spiritui S. et Nobis?* Ostendesis, si potes, tale unquam Concilium verum atque legitimum. In aliis Conciliis legitimis singuli Episcopi in publica Sessione libere loquebantur, singuli suam sententiam promebant, hic tantum unus pro qualibet Natione, et solum quatuor pro omnibus, quod etiam Sessione IV. et quinta circa

ca illa Decreta, de quibus modo controvertitur, jam obſervatum fuit.

Hisce reponunt quidam Scriptores Galli, quod hic novus ſuffragandi modus neceſſarius fuerit ad tumultus compeſcendos, et finem Concilii facilius aſſequendum: quod Epiſcopi libere in Conventibus Nationum ſuffragium dare potuerint: quod illa Decreta in publica Seſſione rite confirmata fuerint per *placet*, *ſcilicet nemine contradicente*. Verum hæ profecto ineptiæ ſunt, neque fallacia carent. Finis Concilii fuit extirpatio Schiſmatis: jam dixi, ad hunc finem aſſequendum utique totius Eccleſiæ plurimum interfuiſſe, ut ad eum quibusvis mediis aptis perveniatur. Num vero idcirco iſta media et novitas ultra hunc ſcopum, pro quo obtinendo neceſſaria videbantur, extendi debebant? num ideo etiam minimis Clericis, Laicis, Doctoribus etc. etc. ad alias quoque quæſtiones decidendas, prout hic prætenditur, et quæ de jure privative ad Epiſcopos pertinebant, ſuffragium deciſivum dandum fuit? nonne Decreta Conciliaria ſuam autho-

rita-

ritatem non in privatis congregationibus et deliberationibus, ſed in publicis Seſſionibus Epiſcoporum obtinent? Sit etiam Epiſcopos in Conventibus Nationum liberam habuiſſe vocem, ſed eam etiam habuerunt alii, Clerici, Laici multo plures: neque ad ſuffragia tantum Epiſcoporum, ſed omnium omnino conclusum fuit, et illi ſuffragia Epiſcoporum poterant numero ſuperare, ideoque illud *placet*, ab uno Epiſcopo cujuslibet Nationis in publica Seſſione pronuntiatum mera Cæremonia fuit, neque conſenſum Epiſcoporum, qui omnes diſſentiri poterant, ſed aliorum ſignificabat. Ais quidem, *Decreta ſic confirmata fuiſſe nemine contradicente.* Sed in hoc fallacia eſt. Nemo contradixit, ſed etiam nemini contradicere licuit. Epiſcopi jam ad ſuas Nationes erant amandati. Quod ſi ibi etiam contradixerint, attamen plurima vota valebant, et quod a pluribus concluſum fuit, illud in publica Seſſione oportuit proponi; igitur nihil amplius profuiſſet, nec audita fuiſſet Epiſcoporum contradictio.

Denique falſum eſt, *neminem contradixiſſe.* Proteſtati ſunt contra has innovationes

tiones Ecclesiæ Romanæ Cardinales jam ante Sessionem IV., sed ad suas Nationes sunt amandati, cum quibus dum se unire nollent, etiam suffragio privati. Contradixit Cardinalis Florentinus, neque legit Decretum Sessionis IV., prout a Nationibus conceptum erat, sed ideo a promulgatione et pronuntiatione Decretorum imposterum fuit exclusus. Contradixerunt Nobiles Bohemi atque Poloni per Epistolam Sess. X. coram quatuor Nationum deputatis, et aliis permultis ab Episcopo Luthomitlensi exhibitam, in qua Patres Constantienses ob istas novitates et excessus acriter perstringuntur: *præcipue*, ajunt, *nostra Natio Germanica in hoc sollicitior esse debet, ut veterem suæ oblocutionis notam aboleat, quæ quasi inconsulta, furore dicitur, non Concilio, regulari.* Postea novum suffragandi modum culpant, quod Synodus a Nationibus regeretur, et in Nationibus votum ferentibus etiam locum habeant Personæ *non pertinentes ad Concilium*, *Personæ viles vota Antistitum in suis clamoribus obruentes.* Contradixit, et protestatus est ipse Joannes XXIII. in Epistolis ad Con-

Concilium, ad Reges, et ad Principes. In Epist. ad Carolum VI. Regem Franciæ apud Harduinum Col. 245. ait: *quod dolenter referimus, nonnullos, quos apostolica gravitas nominari non patitur, appetitum rationi præponentes, et propria sectantes commoda, honestatis et juris calle calcato, non sicut in generalibus Conciliis secundum sanctorum Patrum instituta et observantias hactenus per vota voces habentium, et concorditer celebrantium concedi consuevit, ut in ipso procederetur Concilio, permiserunt: verum facto conflato, et in quatuor Nationes, quæ per quatuor voces totam ejus authoritatem præstarent, diviso Concilio, quod nunquam auditum est hactenus, ne qui per Capita vota eorum in tam arduo negotio dare valerent, rem ad libitum deducere satagebant; et si qui eorum inordinatæ voluntati contradicebant, illos terrebant minis, et injuriis, conviciis et illusionibus affligebant.*

Idem Papa Epistola ad Ladislaum Regem Poloniæ. *Quorumdam cæca et inconsulta temeritas usque adeo ab ipso Concilii*

Prin-

Principio ita omnia pervertere, ita omnia perturbare concupivit, — — — — qui nullo antiquorum Conciliorum ritu observato, non publice, sed sparsim et privatim de rebus Ecclesiæ Concilia celebrabant in contemptum Sedis Apostolicæ. — — — Ac non per viam Spiritus S., ut decet, sed per vim et strepitum et contumelias in rebus singulis adversus nos moliebantur. Item in Epist. ad ducem de Berri, quæ extat publice in Sorbona, et in duobus Codicibus Bibliothecæ S. Victoris: *cum in Conciliis generalibus secundum Statuta Canonum jus suffragii non competat, nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in Sessionibus publicis, et non privatis Conciliis, nihilominus quicunque ad hujusmodi Concilia fuissent admissi, nullo discrimine Personarum habito, etiam Laicorum, subtractis Prælatorum suffragiis, recepti sunt: et licet in Conciliis suffragia debent esse libera, nihilominus multæ extiterunt Cavillationes et subornationes, per minas et terrores ab Imperatore procedentes.* Jam in his Papa Joannes neutiquam potest

 esse

esse suspectus, quando testatur de factis publicis, neque talia ad Reges et Principes scribere ausus fuisset, si veritati consona non erant, cum et illi optime noverant, quid Constantiæ ageretur.

Tandem contradixerunt, vel saltem de authoritate et validitate hujus Concilii publice eo ipso tempore dubitarunt *multi*, quod apparet ex schedulis Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis supra citatis, et quidem ex hac caussa, quod vota fierent per Nationes, quod suffragia concessa fuerint etiam aliis præter Episcopos, quod exclusum fuerit Collegium Cardinalium. Porro non solum ex illis querelis et contradictionibus Joannis P. ad Reges et Principes delatis, sed et ex ipsis actis hujus Concilii facile eruitur, non tantum vota, sed etiam Personas in Concilio non satis liberas et securas fuisse. In his ultimis enim et apud Spondanum ad annum 1415. sic legitur: *in his diebus magnus terror et turbatio dicebatur esse in Concilio: fama enim erat communis, et multi scientes de Consiliis Regis*

gis dixerunt amicis, quod Rex proponebat, et deliberaverat aliquando capere omnes Cardinales, et alii, de quorum proſcriptione dicebatur, conſtanter ſteterunt. Profecto hæc cum libertate et ſecuritate Concilii combinari non poſſunt. Ait quidem noviſſimus Author Ignatius Schmidt in hiſtoria germanorum, hanc maculam a Natione Germanica abſterſurus, hunc rumorem falſum fuiſſe, aliaque affert, quibus omnem diſſidiorum cauſſam et ſuſpicionem in Cardinales et Nationem Italicam rejicit. At quantumvis id, quod ſpargebatur, effectui datum non fuerit, ideo tamen falſum fuiſſe, inde non ſequitur, quin ne quidem veriſimile eſt, quia id non rumore et authoribus incertis, ſed ab iis ſpargebatur, *qui ſcientes de conſiliis Regis erant*, atque hoc communicabant *amicis*, quos fallere voluiſſe præſumi non poteſt. Ideo autem effectu iſtud conſilium caruit, quia certo certius ad tantam violentiam Concilium diſſolutum fuiſſet, cum jam ad ſolum hunc rumorem Legati Regis Caſtiliæ, multique Conſtantia diſcedere parabant; et hæc cauſſa fuit, quare cæteræ Na-

tiones omissis quibuscunque aliis sese Cardinalibus jungebant, et præ omnibus electionem novi Pontificis urgebant, eo quod Imperatori et Nationi Germanicæ haud amplius fidebant. Sed et ipsa caussa hujus *Regii consilii* notatu digna est; nam ut ajunt acta Concilii, *caussa odii Regis* (in Cardinales) *dicebatur, quod Rex seu Imperator volebat habere Papam ad voluntatem suam.* Quid Papa uni tantum Nationi aut Principi obnoxius, atque propitius apud alias dein valeat, et quanta inde mala toti Ecclesiæ sæpe oriri possint, docet nos historia, atque Ecclesia in Pontificibus Gallis atque Avenione sedentibus jamjam experta fuit; siquidem inde teterrimi illius Schismatis, de quo tunc agebatur, semina orta fuisse, manifestum est.

Taceo tandem, quod Concilium post discessum Joannis P. fuerit sine stabili Præside, quod Sessioni XIV. præsederit Sigismundus Imperator in apertum Signum, quod illæ congregationes fuerint conventus mere Civiles, ad tollendum Schisma ab Impera-

 tore

tore coadunati. Sed modo ad prætenſa decreta Seſſionis IV. et V. etiam propius accedamus.

Illa Decreta etiam eo ex capite nullam authoritatem habere, et *conciliariter* facta dici poſſunt, quia ſine deliberatione ſufficiente et debito tantæ rei præmittendo examine, prout in legitimis Conciliis moris eſt, ſed præpropere et tumultuarie condita ſunt, ut obſervat Cajetanus opuſc. de authorit. Papæ et Concil. Cap. 8.

Nam illa deliberatio non potuit fieri ante Seſſionem IV. poſtquam enim Joannes Papa 23tia Martii Conſtantia diſceſſit, Gerſon biduo poſt orationem habuit coram Patribus de authoritate Concilii ſupra Pontificem. Fatetur autem Gerſon, quod pridie requiſitus ad dicendum, eam unica nocte compoſuerit. Interim Seſſio III. celebrata fuit 26 Martii, et immediate poſt, nempe 30 die ejusdem, Seſſio IV. num autem in arcto temporis materia illa maximi momenti, conſultis antiquorum Patrum et Doctorum

monumentis, communi deliberatione mature, riteque examinari potuit? num illa secundum Regulas et Ecclesiæ traditionem, uti decebat, bene discussa et ad fidei normam adplicata fuit? ideo Cardinalis Florentinus in Sessione IV., cum adverteret, a Nationibus verba *de Reformatione in Capite etc.* addita fuisse, ea falsa, et præter communem deliberationem addita esse publice asseruit, atque Cardinales caute admonuerunt Nationes, quod suspenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, et maturam exigunt deliberationem.

Neque apparet, negotium illud gravissimum ante Sessionem V. fuisse sufficienter ad trutinam revocatum. Esto enim, quidam fuerint deputati, qui quasi de re exigui momenti cum Cardinali Florentino de Superioritate Concilii supra Pontificem agerent, publicum tamen examen non fuit institutum, neque tale habendum esse, a Concilio ordinatum fuit, neque etiam communi concsilio ea de re quidquam conclusum, sed postquam aliqualiter inter eos disputatum

 fuit,

fuit, die 2da Aprilis quatuor Nationes inter alia ſtatuunt, *quod proxima Seſſione prætermiſſa* (nempe in Seſſ. IV.) *expediantur*. Fuit autem Seſſio V. habita octiduo poſt quartam, et ex ipſis Actis Concilii a quatuor Notariis conſcriptis habetur, in illa Seſſione V. fuiſſe decreta publicata, *tanquam prius concluſa, et deliberata*, ſcilicet ſine interpoſita nova deliberatione, et Concilium inhæſiſſe priori concluſioni, quam, ut dixi, Nationes die 27 Martii cum ſuperficiali et inſufficiente deliberatione poſuerant. Etiam Cajetanus loc. cit. advertit, in Seſſione IV. et V. nullam diſputationem, aut diſquiſitionem interceſſiſſe, nec delectos fuiſſe ad hoc viros doctos ad differendum et tractandum, quæ in materia fidei eſſent conſtituenda. Hinc Melchior Canus Lib. 5. Cap. 5. bene ſubinfert: *Si quis tradita Seſſione IV. diligenter expendat, inveniet ea non habere formam Decreti, quo videlicet aut fideles obligantur, aut contrarium ſentientes explodantur.*

Hæc omnia ſi animo præjudiciis libero perpendere voluiſſet Natalis Alexander, ſcri-

bere vetitus fuisset, nullam falsitatem esse majori veneratione et confidentia prolatam: fors intermisisset interrogare, unde constet, Decretum illud sine ullo examine factum? quamvis acta et authores coævi hoc expressis verbis non testentur: attamen ex historia temporum et actorum, quæ illis diebus contigerunt, satis clare eruitur. Dein acta et authores coævi saltem contrarium non testantur, quidquid autumet Natalis: igitur de sufficienti deliberatione prudenter dubitamus, quoadusque producantur authores coævi aut suppares, qui veraciter testentur, a Patribus Concilii ante Decreti promulgationem, debitam et sufficientem deliberationem fuisse adhibitam; nam secundum regulam Juris, *facta non præsumuntur, sed probari debent.*

Dum vero Maimbourgus audacter asseverat, præter hanc nullam aliam quæstionem melius discussam et ventilatam fuisse, utpote quia Concilium Constantiense fuit continuatio Concilii Pisani: in Pisano vero ex Universitatibus diversis tres supra centum convenerunt ad deliberandum super hac materia,

ria, quorum judicium de ſuperioritate Concilii ſupra Papam Epiſcopus Novarienſis ex cathedra legit, et Concilium Piſanum decidit.

At per Concilium Piſanum, quod S. Antoninus Conciliabulum vocat, Maimbourg apud ſuos adverſarios parum efficit. Præterquam enim quod Authoritas illius Concilii non ſit extra ambiguum, et ubique agnita, cui etiam Imperator Rupertus et alii Germaniæ Principes nullatenus adhærere volebant; et ſi etiam legitimum ac generale fuit: quare Joannes XXIII. non univerſaliter in Eccleſia (quod neceſſario conſequi debuerat) ut verus et indubitatus Pontifex agnitus fuit? præter hæc, inquam, ex actis hujus Concilii, quæ Lucas D'acherius Tom. 5. Spicileg. ex tribus Codicibus antiquiſſimis edidit, habetur, quod Doctores illi convenerint, et habita fuerit deliberatio ſuper materia, an duo illi de Papatu contendentes eſſent reputandi Schiſmatici et pertinaces hæretici? et poſtea in eam opinionem conſpiraverint, quod ut tales ſint habendi, in

 quo-

quorum opinionem pariter consenserunt Universitates Bononiensis et Florentina, de quibus Maimbourgus.[3] De cætero nihil amplius ad rem faciens inibi reperitur. Cæterum in eo Concilio agebatur de Pontificibus dubiis, non certis et legitimis.

Ex dictis tamdiu satis, superque evictum est, Decreta illa de Superioritate Concilii tumultuarie, præcipitanter et sine debita deliberatione ac examine condita fuisse, quamdiu Maimbourg, Natalis, aliusve non exprimat loca, verba, tempus et Personas, atque indicet, ubi, quando, et a quibus illa materia de authoritate Concilii supra Pontificem tractata fuerit cum diligentia, quæ a festinatione est alienissima, secus decretum, ut præproperum partum rejicimus.

Denique quod Decreta Sess. IV. et V. non canonice et conciliariter condita fuerint, præter ea, quæ hactenus diximus, etiam gravissimum argumentum, cui adversarii nunquam directe respondere audent, neque dissolvere possunt, deducitur ex eo, quod

quod tunc sola obedientia Joannis P. Constantiæ fuerit congregata, et nec hæc tota in illa Decreta consenserit: illa autem unica obedientia non poterat repræsentare totam Ecclesiam, neque Concilium Generale facere. Hæc omnia Cardinalis Turrecremata, qui tunc Concilio præsens aderat, adeoque testis de visu et auditu *in Summa de Eccles. Lib. 2. Cap. 99.* ita exponit: *quod decretum illud factum fuerit ab universali Concilio legitime congregato, et repræsentante universam Ecclesiam militantem, est valde dubium apud multos. Imo plurimorum judicio, scilicet eorum, qui fuerant de obedientia Gregorii et Benedicti, falsum est. — — — Pro quo notandum, quod congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit: primum fuit, in quo sola obedientia Joannis (Balthasar Cossa) Constantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Coriarius, vocatus in sua obedientia Gregorius XII., juri suo cedens præfatæ Congregationi se sub certis modo et formis conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges et Principes ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedi-*

cto

cto XIII. vocato in obedientia sua, per suos oratores, nova facta convocatione Concilii se unierunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præsentes, in minoribus constituti, pro quo solo tempore, convenientibus omnibus simul tribus obedientiis fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia repræsentative congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere, quod sola obedientia Joannis faceret Concilium universale, universalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, et scandalosum aliis duabus obedientiis. Tertio ea, quæ inducuntur de decretis Concilii Constantiensis, non militant, quia Authoritati illius aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorii et Benedicti, apertissima contradictione plena congregatione se opposuerunt; et eorum contradictio fuit accepta. — — in illorum (decretorum) *determinatione non modo non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII., ut dictum est, sed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres Doctissimi illius obedientiæ illis non præstiterunt*

terunt assensum, *item nec ipse in sua obedientia vocatus Joannes XXIII.* Hæc omnia suapte sunt clarissima: attamen ad ea magis illustranda convenit adhuc adnotare.

Sessione XIV. Joannes Cardinalis a S. Sixto coram toto Concilio legit, et promulgat Bullam ab Angelo Coriario, seu Gregorio XII. datam, in qua de novo convocat Concilium, priorem quidem Congregationem per Sigismundum Imperatorem, non vero per Balthasarem Cossam legitime convocatam agnoscit: post hæc Cardinalis a S. Sixto ita pronuntiat: *In nomine Patris et Filii et Spiritus S. amen. Authoritate Domini nostri Papæ — — — — istud sacrum Concilium convoco, et omnia per ipsum agenda Authorizo et confirmo juxta modum et formam, prout in litteris Domini nostri nunc lectis plenius continetur.* His Concilium, seu potius prior obedientia non tantum non contradixit, sed expressis verbis consensit, approbavitque; quippe mox decretum fecit, promulgavitque per Bartholomæum Archiepiscopum Mediolanensem in hæc verba:

Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu S. legitime congregata, Ecclesiam Catholicam repræsentans — — — — dictas convocationem, authorizationem, approbationem et confirmationem nomine illius Domini, qui in sua obedientia dicitur Gregorius XII. nunc facta, quantum ad ipsum spectare videtur, — — — in omnibus et per omnia admittit.

Pariter Benedictus XIII. Concordata iniit cum Deputatis, quod ab utraque parte fieret nova convocatio, et quod Patres Constantienses abstinerent in litteris convocationis a Titulo *Generalis Concilii*, cumque iidem convocationem admisissent, Congregatio in litteris citationis abstinuit a titulo *Generalis Concilii*, et citationum litteræ in publica Sessione lectæ sunt, in quibus nulla Concilii Generalis mentio fiebat; sic tandem hujus obedientiæ unio cum cæteris Patribus Constantiæ Sess. XXII. facta fuit.

Quod autem etiam de obedientia Joannis multi in Decreta Sess. IV. et V. non

non confenferint, patet non folum fupra memorata contradictione Cardinalis Florentini, atque reliquorum Cardinalium et oratorum Galliæ, fed etiam ex ipfa citata fchedula Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenfis, quod tandem confirmat Eugenis IV. in fua Apologia contra Bafileenfes: *qui Conftantiæ fedebant*, inquit, *unius tantum obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam fententiam convenerunt, fed non nulli reclamavere graviores, qui ftrepente multitudine fuperati — — — audiri nequiverunt.* Idem teftatur Rodericus Epifcopus Calaguritanus Dialog. de Authorit. et Poteft. Rom. Pont.

Contra hæc multa opponunt Dupinius, Maimbourg, Natalis cum Febronio, aliisque, et quidem

Primo. Cardinalem Turrecrematam hæc fcripfiffe, dum effet Eugenio IV. addictus contra Bafileenfes.

2do. Proteftatio aut contradictio Cardinalium non obftant authoritati decretorum, dum etiam ex aliis Conciliis conftet, fæpe Epi-

Episcopos quosdam contradixisse, vel consensum non præbuisse. Dein utique Cardinales intererant Sessioni V. sine contradictione. Quod si tamen obstaret absentia Cardinalium, etiam Tridentini et áliorum Conciliorum rueret Authoritas, quia in illo non aderant Episcopi Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Orientis et Aegypti, qui non magis de aliena obedientia dici poterant, quam illi, qui Petrum de Luna, et Angelum Coriarium sequebantur.

3tio. Figmentum est, Oratores Gallos contra Decretum Seff. V. protestatos fuisse, quod receptum est apud Bituriges in Conventu generali Ecclesiæ gallicanæ in Sanctione pragmatica. Certe Gerson unus ex oratoribus protestari non potuit, qui omni modo ea decreta promovit.

4to. Aliud effugium invenit Natalis Alexander, quod Cardinales et Oratores Galliæ Sessioni IV. et V. interesse recusarint, quia ipsis adhuc non fuit plene aperta materia agendorum. Spondanus vero hanc repul-

sam

ſam ad litteras et ſubſcriptiones Synodicas reſtringit. Similia etiam habet Dupinius.

5to. Concilium Conſtantienſe fuit continuatio Piſani: in hoc autem Cardinales utriusque obedientiæ, Gregorii nempe et Benedicti uniti una cum Epiſcopis univerſalem Eccleſiam repræſentabant.

6to. Sufficit, omnes orthodoxos Epiſcopos ad Concilium vocatos eſſe: nihil ergo intereſt, utrum aliarum obedientiarum Epiſcopi præſentes fuerint, vel non.

7mo. Epiſcopi aliarum obedientiarum conſtituebant minimam partem, et ut Boſſuet ait, erant tantum *fruſtula Eccleſiæ.*

8vo. Si obſentiam duarum obedientiarum Concilium non fuit univerſale et legitimum, ſequeretur, quod condemnatio Wicleffi et Joannis Huſſ ſit invalida; quod ſententia Joannis Petit de licita occiſione Tyrani a quocunque facta non eſſet ut hæretica proſcripta: quod Joannes P. non fuiſſet legi-

time depoſitus, neque Martinus legitime electus et verus Pontifex. Verum reſpondeo

Ad primum. Peſſime concluditur, et mirum eſt, viros eruditos tam futili ratione moveri. Turrecremata adhæſit Eugenio Papæ: ergo verum non dixit: ergo mentitus eſt? ſit, eum Eugenio adhæſiſſe, tamen vera loquebatur, quæ etiam ex aliis authoribus et actis conſtant, et quod inde concludit, optimum robur, vimque habet. Nam ſemper certiſſimum eſt, unam tantum obedientiam Joannis alias duas obedientias nolentes et contradicentes, adeoque totam Eccleſiam repræſentare non potuiſſe.

Ad 2. Latiſſima eſt diſparitas. Norunt omnes Theologi, ut Concilium ſit vere æcumenicum, tale eſſe debere *convocatione*, *celebratione* et *fine*. Si in uno deficiat, vere æcumenicum non erit. Jam in aliis Conciliis, de quibus certum eſt, ea eſſe vere æcumenica et legitima, licet in aliqua materia tractanda vel quæſtione decidenda contradicant, aut proteſtentur quidam Epiſcopi, ſi

ta-

tamen major suffragantium Episcoporum numerus cum Capite Ecclesiæ decidat, cedere debent, et eorum contradictio non attenditur. At in Concilio Constantiensi agitur de ipsa legitima *convocatione* et *celebratione*, et quæstio erat de valore et authoritate Concilii: priorem negabant aliæ duæ obedientiæ, posteriorem Cardinales et multi alii, quia a suffragiis exclusi sunt, qui saltem de consuetudine jus ad illa habebant, quia voce decisiva donati sunt, qui in Conciliis tale jus nullo modo habebant, quia tales materias et quæstiones decidebant, quæ ad eos neutiquam pertinebant. Scimus ex jure, nullum vulnus magis esse insanabile, quam incompetentiam Judicis et fori, atque in his contradictio utique attendi debet, et effectum habere. Igitur contradictio Cardinalium et aliorum utique audiri debet, utpote interposita in re maximi momenti, nempe de valore et authoritate ipsius Concilii, profecta ab iis, quorum intererat, et contra eos, qui in Concilio jus non habebant, a quibus, quantumvis *numero*, sed *jure* non potioribus illi opprimi non poterant, nec debebant.

 Cæ-

Cæterum interfuerunt quidem Cardinales Sessioni V.; sed uti prius protestabantur, *quod propter Scandalum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ipso statui debere.* Ita apud Harduin. Coll. 262. Hæc protestatio satis declarat, per suam præsentiam corporalem eos consensum non præstitisse. Neque publice contradicere poterant, quibus ne quidem suffragium concessum fuit.

Ineptissime vero inducitur instantia a Concilio Tridentino et aliis, quæ non a Scriptore Catholico, sed ab hæreticis opponi posset. Concilium non eget eorum præsentia, qui foris sunt, et Ecclesia non potest repræsentari ab his, qui in Ecclesia non sunt: quod si qui Ecclesiam non audierit, habendus est tanquam Ethnicus, si juxta Apostolum Paulum devitandus est hæreticus, si Joannes Apostolus vetet, ejusmodi hominem in domum suam recipere, et Ave ei dicere, qualiter locum habere poterit in Congregatione Sanctorum Episcoporum? at tum Anglia, Dania, Græcia et Orientis Regiones

in

in Hæresin et Schisma prolapsæ erant. Aliud est de Concilio Constantiensi, a quo ipsi Catholici Episcopi aberant, ubi nondum constabat, quanam ex parte certo Schisma staret, qui congregationem Constantiensem non ut legitimum concilium ex rationibus supra memoratis non agnoscebant, imo huic contradicebant, quibus contradicentibus et repugnantibus tota Ecclesia ibi repræsentari non poterat.

Ad 3. Oratores Galliæ una cum Cardinalibus protestatos fuisse, ex actis monstrant Schelstrate et Harduinus Coll. 262. Quod si ista protestatio non ubique in omnibus Codicibus et Manuscriptis legatur, non ideo sequitur figmentum esse; nam juxta regulas critices argumentum negativum ex silentio authorum in re odiosa nullum est, neque in talibus silentium pro ignorantia reputari debet. Dein quando testes coævi aut suppares aliquid affirmant, cæteri vero tacent, aliunde probari debet, illos vera non dixisse.

Quamvis interim verisimile non sit, Gersonem illis Decretis contradixisse, tamen

Gerſon utique ſolus orator non fuit. Imo ne quidem in qualitate Legati aut oratoris videtur adfuiſſe Concilio, vel miſſus a Rege ſuo, ſed potius in qualitate Theologi; quippe P. Deſirant Diſſert. 2. Cap. 17. oſtendit Pariſienſem Univerſitatem revocaſſe, et caſſaſſe omnia, quæ illius nomine ab anno 1413. uſque ad annum 1418. commiſſa, declarata et geſta fuerant. Non fuiſſet autem in poteſtate Univerſitatis revocare et caſſare commiſſiones et acta oratoris Regii. Per hæc autem ruit tota Authoritas eorum, quæ a Gerſone in Concilio dicta et acta ſunt. Pariter ejus authoritati multum detrahit, quod Conſtantiæ tractatum evulgaverit *de Poteſtate Eccleſiaſtica et de origine juris et gentium*, ubi Conſid. 12. ait, *Naturam Generalis Concilii talem eſſe, ut nullus fidelis, qui audiri voluerit, debeat excludi ab audientia, quatenus vel doceatur, vel doceat, ſicut legitur in principio Concilii.* Ubi etiam nec fabris, nec architectis vocem conſultivam denegat, definitivam vero omnibus Parochis et Curatis concedit. Hinc deſirant de eo ait Cap. 23. *Longum ſtudebat Schiſma componere ſine Schiſmaticorum dedecore,* to-

totamque ignominiam satagens in Pontifices devolvere, fictam innocentiam vindicabat suorum etc. Ideo reversus a Concilio in primo occursu a Delphino Caroli VII. filio Cancellarius ille exprobrationem tulit, quod ipsa Principia, quibus Constantienses usi fuerunt, et quorum Gerson non minimus erat Author, vel promotor, ut adversus Papam tumultuarie procederent, vim æqualem habere, ut etiam Reges e throno deturbarent. Qualis porro Gerson, et quod sibi nullibi constans fuerit, alibi jam memini.

Quod vero Decreta Constantiensia Sess. IV. et V. apud Bituriges anno 1438. sint recepta ex Concilio Basileensi, parum refert, quia non minus verum est, eandem sanctionem pragmaticam a Ludovico XI. Caroli VII. successore fuisse rescissam, tanquam *Seditionis et Schismatis tempore natam, et quæ, dum Rom. Pontifici, a quo sacræ leges oriuntur, et manant, quantamlibet eripit authoritatem, omne jus et omnem legem dissolvit.* Epist. Ludov. XI. ad Pium II. apud Rainald. ad annum 1461. §. 138. et Labbe

 Tom.

Tom. 14. Concil. pag. 97. Eadem Sanctio pragmatica iterum abolita fuit in Concilio Lateran. V. et tandem *per Concordatum* anno 1516. Natalis igitur nullam suæ genti gloriam adfert per suam Sanctionem pragmaticam, quæ etiam se potius fundat in Concilio Basileensi quam Constantiensi.

Ad 4. Nisi Spondanus, Natalis et etiam Dupinius, qui talia comentantur, ex actis et testibus fide dignis fidem faciant, quænam fuerint illa alia, propter quæ Cardinales et Oratores Galliæ protestati sint, illis fidem adstringere non cogimur. Nam ex actis dilucide constat, Cardinalem Florentinum et alios Cardinales Sessioni IV. Clausulæ de reformatione restitisse, et etiam in Sessione V. non consensisse.

Ad 5. Si Synodus Constantiensis fuit continuatio Concilii Pisani, quare non eodem modo et forma, sicut istud celebrata fuit? quare vota per Nationes et non per singulos Episcopos, aliosque jus suffragii habentes data sunt? quare alii a jure suffragii exclusi, alii nullum jus habentes admissi?

Con-

Concilium Pisanum convocatum fuit a Cardinalibus utriusque obedientiæ, qui nempe a Gregorio et Benedicto recesserant, ut liquet ex actis Tom. 6. Spicileg. Lucæ D'acherii, et Tom. 11. Concil. Labbei. hinc Gregorius ad se spectare Concilii convocationem asseruit, et Cardinales ad aliud evocavit. Benedictus vero eidem Concilio se non esse subjectum respondit. Interim nihilominus non modica pars Christianitatis tum Gregorio, tum Benedicto semper adhæsit. Pro Benedicto stabant universitas Salmanticensis, Ecclesiæ Hispaniæ una cum Regnis Scotiæ, Navarræ, Castellæ, Arragoniæ et Insulis Majorica, Sardinia, Corsica etc. Pro illo stabant nobilissimæ Italiæ urbes cum tota Romania, Episcopatibus Wormatiensi, Spirensi, Verdunensi etc. etc. viri itidem eruditi, incliti et timorati teste S. Antonino part. 3. Chronolog. tit. 212. neque ipse Imperator Rupertus cum multis Principibus, ut supra dixi, Pisanum Concilium recognoscere volebat. Quod si ergo Pisanum vacillet Concilium, nec generale sit, quid roboris inde Constantiensi advenire poterit?

Episcopos quosdam contradixisse, vel consensum non præbuisse. Dein utique Cardinales intererant Sessioni V. sine contradictione. Quod si tamen obstaret absentia Cardinalium, etiam Tridentini et aliorum Conciliorum rueret Authoritas, quia in illo non aderant Episcopi Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Orientis et Aegypti, qui non magis de aliena obedientia dici poterant, quam illi, qui Petrum de Luna, et Angelum Coriarium sequebantur.

3tio. Figmentum est, Oratores Gallos contra Decretum Seff. V. protestatos fuisse, quod receptum est apud Bituriges in Conventu generali Ecclesiæ gallicanæ in Sanctione pragmatica. Certe Gerson unus ex oratoribus protestari non potuit, qui omni modo ea decreta promovit.

4to. Aliud effugium invenit Natalis Alexander, quod Cardinales et Oratores Galliæ Sessioni IV. et V. interesse recusarint, quia ipsis adhuc non fuit plene aperta materia agendorum. Spondanus vero hanc repulsam

ſam ad litteras et ſubſcriptiones Synodicas reſtringit. Similia etiam habet Dupinius.

5to. Concilium Conſtantienſe fuit continuatio Piſani: in hoc autem Cardinales utriusque obedientiæ, Gregorii nempe et Benedicti uniti una cum Epiſcopis univerſalem Eccleſiam repræſentabant.

6to. Sufficit, omnes orthodoxos Epiſcopos ad Concilium vocatos eſſe: nihil ergo intereſt, utrum aliarum obedientiarum Epiſcopi præſentes fuerint, vel non.

7mo. Epiſcopi aliarum obedientiarum conſtituebant minimam partem, et ut Boſſuet ait, erant tantum *fruſtula Eccleſiæ.*

8vo. Si obſentiam duarum obedientiarum Concilium non fuit univerſale et legitimum, ſequeretur, quod condemnatio Wicleffi et Joannis Huſſ ſit invalida; quod ſententia Joannis Petit de licita occiſione Tyrani a quocunque facta non eſſet ut hæretica proſcripta: quod Joannes P. non fuiſſet legi-

 time

time depoſitus, neque Martinus legitime electus et verus Pontifex. Verum reſpondeo

Ad primum. Peſſime concluditur, et mirum eſt, viros eruditos tam futili ratione moveri. Turrecremata adhæſit Eugenio Papæ: ergo verum non dixit: ergo mentitus eſt? ſit, eum Eugenio adhæſiſſe, tamen vera loquebatur, quæ etiam ex aliis authoribus et actis conſtant, et quod inde concludit, optimum robur, vimque habet. Nam ſemper certiſſimum eſt, unam tantum obedientiam Joannis alias duas obedientias nolentes et contradicentes, adeoque totam Eccleſiam repræſentare non potuiſſe.

Ad 2. Latiſſima eſt diſparitas. Norunt omnes Theologi, ut Concilium ſit vere æcumenicum, tale eſſe debere *convocatione, celebratione* et *fine.* Si in uno deficiat, vere æcumenicum non erit. Jam in aliis Conciliis, de quibus certum eſt, ea eſſe vere æcumenica et legitima, licet in aliqua materia tractanda vel quæſtione decidenda contradicant, aut proteſtentur quidam Epiſcopi, ſi ta-

tamen major ſuffragantium Epiſcoporum numerus cum Capite Eccleſiæ decidat, cedere debent, et eorum contradictio non attenditur. At in Concilio Conſtantienſi agitur de ipſa legitima *convocatione* et *celebratione*, et quæſtio erat de valore et authoritate Concilii: priorem negabant aliæ duæ obedientiæ, poſteriorem Cardinales et multi alii, quia a ſuffragiis excluſi ſunt, qui ſaltem de conſuetudine jus ad illa habebant, quia voce deciſiva donati ſunt, qui in Conciliis tale jus nullo modo habebant, quia tales materias et quæſtiones decidebant, quæ ad eos neutiquam pertinebant. Scimus ex jure, nullum vulnus magis eſſe inſanabile, quam incompetentiam Judicis et fori, atque in his contradictio utique attendi debet, et effectum habere. Igitur contradictio Cardinalium et aliorum utique audiri debet, utpote interpoſita in re maximi momenti, nempe de valore et authoritate ipſius Concilii, profecta ab iis, quorum intererat, et contra eos, qui in Concilio jus non habebant, a quibus, quantumvis *numero*, ſed *jure* non potioribus illi opprimi non poterant, nec debebant.

Cæterum interfuerunt quidem Cardinales Sessioni V.; sed uti prius protestabantur, *quod propter Scandalum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ipso statui debere.* Ita apud Harduin. Coll. 262. Hæc protestatio satis declarat, per suam præsentiam corporalem eos consensum non præstitisse. Neque publice contradicere poterant, quibus ne quidem suffragium concessum fuit.

Ineptissime vero inducitur instantia a Concilio Tridentino et aliis, quæ non a Scriptore Catholico, sed ab hæreticis opponi posset. Concilium non eget eorum præsentia, qui foris sunt, et Ecclesia non potest repræsentari ab his, qui in Ecclesia non sunt: quod si qui Ecclesiam non audierit, habendus est tanquam Ethnicus, si juxta Apostolum Paulum devitandus est hæreticus, si Joannes Apostolus vetet, ejusmodi hominem in domum suam recipere, et Ave ei dicere, qualiter locum habere poterit in Congregatione Sanctorum Episcoporum? at tum Anglia, Dania, Græcia et Orientis Regiones in

in Hæresin et Schisma prolapsæ erant. Aliud est de Concilio Constantiensi, a quo ipsi Catholici Episcopi aberant, ubi nondum constabat, quanam ex parte certo Schisma staret, qui congregationem Constantiensem non ut legitimum concilium ex rationibus supra memoratis non agnoscebant, imo huic contradicebant, quibus contradicentibus et repugnantibus tota Ecclesia ibi repræsentari non poterat.

Ad 3. Oratores Galliæ una cum Cardinalibus protestatos fuisse, ex actis monstrant Schelstrate et Harduinus Coll. 262. Quod si ista protestatio non ubique in omnibus Codicibus et Manuscriptis legatur, non ideo sequitur figmentum esse; nam juxta regulas critices argumentum negativum ex silentio authorum in re odiosa nullum est, neque in talibus silentium pro ignorantia reputari debet. Dein quando testes coævi aut suppares aliquid affirmant, cæteri vero tacent, aliunde probari debet, illos vera non dixisse.

Quamvis interim verisimile non sit, Gersonem illis Decretis contradixisse, tamen

Gerson utique solus orator non fuit. Imo ne quidem in qualitate Legati aut oratoris videtur adfuisse Concilio, vel missus a Rege suo, sed potius in qualitate Theologi; quippe P. Desirant Differt. 2. Cap. 17. ostendit Parisiensem Universitatem revocasse, et cassasse omnia, quæ illius nomine ab anno 1413. usque ad annum 1418. commissa, declarata et gesta fuerant. Non fuisset autem in potestate Universitatis revocare et cassare commissiones et acta oratoris Regii. Per hæc autem ruit tota Authoritas eorum, quæ a Gersone in Concilio dicta et acta sunt. Pariter ejus authoritati multum detrahit, quod Constantiæ tractatum evulgaverit *de Potestate Ecclesiastica et de origine juris et gentium*, ubi Consid. 12. ait, *Naturam Generalis Concilii talem esse, ut nullus fidelis, qui audiri voluerit, debeat excludi ab audientia, quatenus vel doceatur, vel doceat, sicut legitur in principio Concilii.* Ubi etiam nec fabris, nec architectis vocem consultivam denegat, definitivam vero omnibus Parochis et curatis concedit. Hinc desirant de eo ait Cap. 23. *Longum studebat Schisma componere sine Schismaticorum dedecore,*

to-

totamque ignominiam ſatagens in Pontifices devolvere, fictam innocentiam vindicabat ſuorum etc. Ideo reverſus a Concilio in primo occurſu a Delphino Caroli VII. filio Cancellarius ille exprobrationem tulit, quod ipſa Principia, quibus Conſtantienſes uſi fuerunt, et quorum Gerſon non minimus erat Author, vel promotor, ut adverſus Papam tumultuarie procederent, vim æqualem habere, ut etiam Reges e throno deturbarent. Qualis porro Gerſon, et quod ſibi nullibi conſtans fuerit, alibi jam memini.

Quod vero Decreta Conſtantienſia Seſſ. IV. et V. apud Bituriges anno 1438. ſint recepta ex Concilio Baſileenſi, parum refert, quia non minus verum eſt, eandem ſanctionem pragmaticam a Ludovico XI. Caroli VII. ſucceſſore fuiſſe reſciſſam, tanquam *Seditionis et Schiſmatis tempore natam, et quæ, dum Rom. Pontifici, a quo ſacræ leges oriuntur, et manant, quantamlibet eripit authoritatem, omne jus et omnem legem diſſolvit.* Epiſt. Ludov. XI. ad Pium II. apud Rainald. ad annum 1461. §. 138. et Labbe

Tom. 14. Concil. pag. 97. Eadem Sanctio pragmatica iterum abolita fuit in Concilio Lateran. V. et tandem *per Concordatum* anno 1516. Natalis igitur nullam suæ genti gloriam adfert per suam Sanctionem pragmaticam, quæ etiam se potius fundat in Concilio Basileensi quam Constantiensi.

Ad 4. Nisi Spondanus, Natalis et etiam Dupinius, qui talia comentantur, ex actis et testibus fide dignis fidem faciant, quænam fuerint illa alia, propter quæ Cardinales et Oratores Galliæ protestati sint, illis fidem adstringere non cogimur. Nam ex actis dilucide constat, Cardinalem Florentinum et alios Cardinales Sessioni IV. Clausulæ de reformatione restitisse, et etiam in Sessione V. non consensisse.

Ad 5. Si Synodus Constantiensis fuit continuatio Concilii Pisani, quare non eodem modo et forma, sicut istud celebrata fuit? quare vota per Nationes et non per singulos Episcopos, aliosque jus suffragii habentes data sunt? quare alii a jure suffragii exclusi, alii nullum jus habentes admissi?

Con-

Concilium Pisanum convocatum fuit a Cardinalibus utriusque obedientiæ, qui nempe a Gregorio et Benedicto recesserant, ut liquet ex actis Tom. 6. Spicileg. Lucæ D'acherii, et Tom. 11. Concil. Labbei. hinc Gregorius ad se spectare Concilii convocationem asseruit, et Cardinales ad aliud evocavit. Benedictus vero eidem Concilio se non esse subjectum respondit. Interim nihilominus non modica pars Christianitatis tum Gregorio, tum Benedicto semper adhæsit. Pro Benedicto stabant universitas Salmanticensis, Ecclesiæ Hispaniæ una cum Regnis Scotiæ, Navarræ, Castellæ, Arragoniæ et Insulis Majorica, Sardinia, Corsica etc. Pro illo stabant nobilissimæ Italiæ urbes cum tota Romania, Episcopatibus Wormatiensi, Spirensi, Verdunensi etc. etc. viri itidem eruditi, incliti et timorati teste S. Antonino part. 3. Chronolog. tit. 212. neque ipse Imperator Rupertus cum multis Principibus, ut supra dixi, Pisanum Concilium recognoscere volebat. Quod si ergo Pisanum vacillet Concilium, nec generale sit, quid roboris inde Constantiensi advenire poterit?

Esto tamen, Concilium Pisanum legitimum fuisse, et quod Constantiense prætenderit esse tantummodo continuationem Pisani Concilii: hoc tamen ab initio, et ante unionem trium obedientiarum verum non fuit; multo minus illud totam repræsentabat Ecclesiam, tum quia Cardinales alterius obedientiæ, sicut in Pisano non aderant, sed solum unius obedientiæ Joannis, tum quia cæteræ obedientiæ contradicebant, tum maxime quia ipsa Congregatio Constantiensis in unione reliquarum obedientiarum admittebat novam convocationem, a titulo generalis Concilii abstinebat, sicque tale hucusque tacite quidem, sed satis aperte tamen ipsum profitebatur. Propter hanc igitur confessionem, et quia Ecclesiæ et Regna aliarum obedientiarum in Congregatione Constantiensi ante harum unionem expresse non repræsentari volebant, Concilium generale legitimum non fuit, et ibidem universa Ecclesia repræsentata dici nequit.

Ad 6. Sufficit, Episcopos omnes *legitima authoritate* vocatos esse; et ideo legitime cen-

censentur vocati, quando a Capite et Primate Rom. Pontifice certo et indubio ad Concilium vocantur. Econtra tum de hoc ipso quæstio erat, et aliæ duæ obedientiæ non censebant se legitime vocatas tum a Joanne Papa, quem Pontificem non agnoscebant, tum a Concilio, quod etiam non tanquam verum et legitimum reverebantur.

Ad 7. Minima pars Ecclesiæ dici non possunt aliæ duæ obedientiæ, quæ tot complectebantur tractus et Regna, uti mox supra diximus. Teste ipso Petro Alliacensi post Schisma Ecclesiæ orientalis Benedictus XII. in Extravag. *vas electionis* totam obedientiam Papalem distinguit in quatuor partes generales, ubi Natio Hispanica cum suis adiacentibus Regionibus unam partem constituit; dum igitur hæc prater alias abfuerit, certe aliæ duæ obedientiæ, quæ ultra quartam partem constituebant, non erat *frustula Ecclesiæ*, prout Bossueto nominare placuit, præcipue cum etiam ex aliis vix una integra Natio ex toto Joanni adhæserit, atque juxta acta Concilii van der Hardt tom. 4. pag. 73.

in

in Sessione habita 26 Martii, id est, quatuor diebus ante Sessionem IV. tantum septuaginta Episcopi numerabantur.

Addo exemplum ad hominem: dicitur, Cardinalem Lotharingum in Concilio Tridentino edixisse, Concilia Florentinum et Lateranense V. in Gallia pro æcumenicis non haberi. Hoc dictum permagni faciunt Febronius et quidam alii ad eludendam supremam Potestatem Rom. Pontificis in iis Conciliis aperte definitam. Ast ponamus nunc id, verum, et a Lotharingo dictum fuisse: sed inde adversarios ad oculos convinco, Concilium Constantiense tempore Sessionis IV et V. generale et æcumenicum non fuisse; si enim Concilia Florentinum et Lateranense solum ideo æcumenica non sunt in opinione adversariorum, quia a Gallis pro talibus non habentur (quod tamen falsum est, vid. Hyacinthum Serry et ipsum Natalem Alexandrum) cum tamen Natio gallica solam quartam partem obedientiæ Papalis constituebat, quo pacto Constantiense ante unionem aliarum obedientiarum generale et æcumenicum erit, quando Natio

Hi-

Hiſpanica, quæ pariter quartam partem conſtituit, cum multis aliis non conſenſit, quin et aperte contradixit?

Ad 8. His objectis magnum pondus ineſſe autumant nonnulli, non advertentes ea ſuppoſito laborare, vel extra quæſtionem vagari. Atque in primis ut iterum argumento utar ad hominem contra Febronium; hic Cap. 4. et alibi docet, Epiſcopos eſſe natos judices controverſiarum fidei, et quemvis Epiſcopum in ſua Diœceſi rite damnare hæreſin, quod etiam verum eſt, ſi non agatur de judicio ultimato et irrefragabili. Nil ergo intereſt, utrum Concilium Conſtantienſe fuerit generale, vel non? ſufficit, illas doctrinas ab Epiſcopis proſcriptas fuiſſe, atque certum eſt, eos ſuffragia in condemnationem dediſſe; nam illi errores non niſi debita prævia diſcuſſione et deliberatione, uti acta teſtantur, et nemine contradicente rite damnati ſunt: hæc damnatio poſt trium obedientiarum unionem a toto Concilio, et a Martino V. approbata fuit; imo hic Papa in interrogatorio fidei circa damnationes Wic-

Wicleffi et Huſſ addit expreſſe, *quod Concilium approbavit, et approbat, quod condemnavit, et condemnat.* Per quod manifeſte non ſolam priorem condemnationem et approbationem ab una obedientia, ſed et præſentem ab univerſali coadunato Concilio factam ſignificat. Verum hæc omnia de decretis Seſſ. IV. et V. dici neutiquam poſſunt.

Depoſitionem Joannis P., quidquid ſit de Proceſſu contra ipſum formato, atque utrum legitime ab initio contra ipſum proceſſum fuerit, nihilominus ad unionem et pacem Eccleſiæ obtinendam poſt unitas tres obedientias tota acceptavit Eccleſia, et pariter Martinus ab eadem conſentiente electus et acceptatus fuit. Diſtingue nempe tempora, ut monuit Cardinalis Turrecremata et Cajetanus opuſc. de Poteſt. Papæ. Cap. 8.

Nos non ex toto Concilium Conſtantienſe reprobamus; attamen ſi de authoritate quæritur, longiſſime diſtant, quæ tantum ab una obedientia, et quæ poſt unitas obedien-

tias

tias a toto Concilio universam Ecclesiam repræsentante acta vel approbata sunt. Neque nos in eam quæstionem operose inquirimus, utrum Joannes fuerit legitimus Pontifex, vel non? nam de hoc ipso controvertebatur. Certe dubium fuisse Pontificem, ex facto constat, quia a tota Ecclesia non fuit agnitus et acceptatus, et quia illo stante Schisma tolli non potuit: in hoc vero casu tota Ecclesia et omnes Nationes jus, imo impositam sibi necessitatem habebant, de certo et universali Ecclesiæ Capite providendi, cui jus dubium Joannis cedere debuit. Tenuit ergo indubie electio Martini ab universa Ecclesia promota et agnita.

Ex his jam patet, quam nihili valeat argumentum Cardinalis Juliani ex Synodo Basileensi ad Eugenium Papam, quod §. 1. num. 2. tantopere extollit, atque convincens esse ait Febronius, quando nempe ex eo, si Concilium Constantiense dicatur, non fuisse legitimum, concludit; adeoque etiam privationem Joannes, electionem Martini, quin et ipsius Eugenii fore illegitimam.

Nam

Nam Julianus nec ipse distinguit inter finem Concilii universam Ecclesiam repræsentantis et ejus initium in una tantum obedientia coarctatum cum contradictione reliquarum obedientiarum.

Porro ex hactenus allatis sat solide convincitur, Decreta Sess. IV. et V. nullius valoris, authoritatisque esse, tum quia non tam ab Episcopis, quam a Nationibus et Hominibus, quibus jus suffragii in Conciliis nullo modo competit, condita sunt, et quidem non sine contradictione eorum, quorum intererat, aliorumque: tum quia sine sufficiente et matura deliberatione, prout ad tantum negotium opus erat, procusa fuere: tum denique quia a sola et unica obedientia Joannis, quæ totam Ecclesiam non repræsentabat, prolata sunt.

III.

Quem sensum habeant Decreta Sess. IV. et V.

Sepositis quibuscunque hactenus dictis, si concedatur, Decreta genuina esse sine omni interpolatione; si admittatur, etiam

cum matura deliberatione et discussione, atque legitima authoritate sine valida contradictione condita fuisse, restat adhuc, ut inquiramus, quis sit genuinus sensus horum Decretorum? ipsum aut Concilium Constantiense in Prologo ad Decretum Sess. IV. ita loquitur: *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis* (vel ut alii legunt) *ipsius Schismatis, et unione et reformatione Ecclesiæ Dei in Capite et in membris ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu S. legitime congregata ad consequendam facilius, securius, liberius unionem et reformationem Ecclesiæ Dei ordinat, definit, decernit et declarat:* postea sequitur Decretum. Ex his verbis patet Scopus ipsius Concilii, qui est extirpatio Schismatis præsentis, unio et reformatio Ecclesiæ in Capite et in membris, atque in hunc finem decretum conditum fuit. Loquitur ergo Concilium tantummodo de Schismate *præsenti*, quod tunc erat, et de reformatione *Capitis*, quod tunc existebat, dubiumque fuit: at dubium et incertum Pontificem Concilio generali legitimo inferiorem esse, eidem-

que subjici non negatur. Verum hæc extra casum a Concilio positum, atque ad certum et legitimum Pontificem extendi non debent, nec possunt. Id amplius evincitur ex Cardinali Turrecremata, qui Concilio præsens aderat, atque in Apologia pro Eugenio in Concilio Florentino expresse dicit: quod Concilium Constantiense *non loquatur de Schismate quocunque, sed tantum de Schismate illo tempore currente, quo decretum est.* Turrecremata autem præsens testis de visu et auditu optime poterat scire scop m et intentionem Concilii, dum ne hæc pu lice Florentiæ proferret, utique ab aliis refelli potuisset, cum Constantiensia Decreta adhuc in recenti memoria erant, neque deerant, qui eidem Concilio adstitere, quod tamen factum non fuit.

Id pariter manifestum fit ex aliis actis ipsius Concilii Constantiensis: Cardinales obtulerunt schedam Concilio, ubi in secunda conclusione sic ajunt: *Romana Ecclesia sicut omnium Ecclesiarum Caput dicitur, sic et Concilii generalis, imo universalis Ecclesiæ, quæ*

ex

ex omnibus Ecclesiis particularibus integratur. *Huic Conclusioni ita respondet Concilium: Nota, super verbo* Caput, *hoc concedatur, tamen non ad fovendum Schisma aut difformitates. Item nota super verbo Concilii, est subdistinguendum, quia hoc est verum in aliquo Concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra Catholicam fidem, seu hæresin extirpandam. Ubi autem agitur de Schismate tollendo in Romana Ecclesia, quod per Cardinales ortum habuit, aut quia Cardinales alias abusi sunt electione et in similibus, ubi locum non habet.* Ita Acta Concilii apud van der hardt tom. 2. part. 13. pag. 287. Ex quibus clare patet, Concilium tantum loqui, et sua Decreta restringere ad præsentem, aut similem casum Schismatis, atque ad dubium Pontificem; sicut etiam ipsum Concilium apertis verbis suum Scopum indicat, *pro extirpatione præsentis ipsius Schismatis, unione et reformatione Ecclesiæ*, et *ad quem* finem *securius assequendum* se illa decreta ordinasse, dicit Concilium. Opponunt adversarii, Concilium Sessione V. decernere, *quod quicunque,*

etsiamsi Papalis dignitatis, mandatis et præceptis hujus Sacræ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati obedire teneatur. Sed absit fraus, verba Concilii genuine ponantur, et sensus patebit. Dum ait Synodus, *et cujuscunque alterius Concilii generalis*, Febronius dolose verba restringentia, quæque modum et casum diserte exprimunt, punctula pro verbis ponens omisit, nempe ista: *super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis.* Quænam sunt autem *præmissa?* utique non alia, nisi quæ Concilium antea memoraverat, nempe extirpatio Schismatis, unio Ecclesiæ et reformatio in Capite et membris. At de quo tunc Schismate, de quali reformatione tunc actum fuit? et quod tunc Caput existebat? nunquid Capud dubium et incertum? quodnam Schisma fuit? nunquid inter Pontifices, et membra cuivis adhærentia? reformatio autem Ecclesiæ debebat fieri a Schismate ad unionem et pacem. Quare ex verbis Concilii et ipsissimis decretis, quæ adducuntur, clarissime enitescit, Concilium non quemvis et legitimum Pontificem, et in *quovis casu*, sed

ſed tantum *ſuper præmiſſis*, ſeu in caſu Schiſmatis inter plures Pontifices pro reformanda ad unionem et pacem Eccleſia eosdem ſibi ſubjicere. Nam Decretum Seſſ. V. ſe reſtringit *ad præmiſſa* in Seſſione IV. ſed in hac Seſſione pro caſu et Scopo tantum proponitur Schiſma præſens. Quod ſi ergo centies Concilium illa verba de reformatione repeteret, ſemper intelligi debent cum illa reſtrictione et clauſula, quæ in ipſis Decretis, quando ea ſtatuebantur, poſita fuit.

Hunc genuinum et legitimum Decretorum Conſtantienſium ſenſum eſſe, contra Baſileenſes, illa etiam extra caſum Schiſmatis, et ad legitimum Pontificem extendere volentes monſtravit Eugenius IV. in Bulla *Moyſes* data in Concilio Florentino anno 1439. ubi ait: *hanc itaque interpretationem, ipſasque propoſitiones ſuperius deſcriptas juxta pravum ipſorum Baſileenſium intellectum, quem facta demonſtrant, veluti Sacroſanctæ Scripturæ, et Sanctorum Patrum, et ipſius Conſtantienſis Concilii ſenſui contrarium — — — — ipſo Sacro approbante Con-*

 cilio

cilio damnamus et reprobamus, ac damnatas et reprobatas nunciamus. En! ſenſum et interpretationem Decretorum Conſtantienſium a Baſileenſibus tentatam, quæ et ipſius Febronii ac adverſariorum eſt, in Concilio æcumenico Florentino damnatam.

Ridiculum eſt, quod Febronius tom. 2. Apolog. pag. 198. hæc ipſa verba Eugenii ex Bulla *Moyſes* alleget ad probandam authoritatem decretorum Conſtantienſium et Superioritatem Concilii ſupra Pontificem: *Eugenius IV.*, ait, *adverſus Baſileenſes allegavit Conſtantienſe Concilium tanquam generale et irrefragabile.* Dein ad refellendam eam objectionem, quod illa Decreta ad ſolum tempus Schiſmatis referenda ſint, ovanter iterum citat verba Decreti Seſſ. V. *hujus Sanctæ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii generalis.* Profecto, ut dixi, ridicula hæc ſunt, quin nec fraude et dolo carent. Ubi in mox citatis Bullæ verbis, et præcipue quoad illa Decreta legitur, Concilium Conſtantienſe *generale et irrefragabile* eſſe? *et ipſius etiam Concilii Conſtantienſis ſen-*

sensui contrarium, hæc et non alia verba ibi leguntur, hæc et non alia citat, legitque Febronius. Dein quid allegando Concilium Constantiense in eo approbat, et quid contra Basileenses reprobat Eugenius? Basileenses Decreta Constantiensia etiam ad omnem certum, atque legitimum Pontificem extendere volebant, huncque in omni casu et sine restrictione Concilio generali subjicere volebant, *quod facta* ejusdem Concilii Basileensis *demonstrant*, ut ait Eugenius: hanc decretorum interpretationem reprobat, ac damnat Eugenius, utpote *sensui Concilii Constantiensis contrariam.* Igitur approbat Pontifex cum Concilio Florentino illum sensum Concilii, eumque verum et genuinum esse declarat de subjectione Papæ dubii ad Concilium generale, et in casu Schismatis, prout tunc fuit.

Tandem ad illa verba, *et cujuscunque alterius Concilii generalis*, meminerit Feboni us, adhuc pertinere illam restrictionem et clausulam in decreto expresse appositam, *super præmissis*, meminerit etiam, se illam

clausulam studiose omisisse. Demat ea quæ in his falso addidit, addat, quæ fraudulenter omisit, et se convictum sentiet, nec amplius in illis verbis triumphabit.

Ast quæres: Si Decreta Sess. IV. et V. solum in casu Schismatis, et de Pontifice dubio intelligenda sunt: eccur Cardinales ob clausulam de reformatione tantopere protestati sunt? Respondeo: Cardinales ex una parte Joannem non habebant pro dubio, sed pro certo ac legitimo Pontifice, ideo in supra cit. Scripto ad Concilium inter alia etiam hoc allegabant, *quod Romana Ecclesia potest de aliis omnibus judicare, sed ipsa non potest a quoquam alio judicari.* Quod dicere non poterant, si in Ecclesia Romana existimassent vel nullum, vel non verum et legitimum Caput existere: ex altera parte advertebant, Concilium sentire, quod ipsi Cardinales et Papa Joannes foveant Schisma, *quod Schisma per Cardinales ortum habuerit*, et *quod Cardinales alias abusi fuerint electione*, uti supra in Responsionibus se exprimebat concilium, et idcirco a suffragio

ex-

exclusum fuit Collegium Cardinalium; hinc Cardinales petebant, ut caussa diligentius inquiratur, et maturius deliberetur, antequam procedatur ad Reformationem in Capite pro unione Ecclesiæ, id est, ad depositionem Joannis, et electionem novi Capitis; hujus rei Series ex actis patet. Addo, Gersonem Consider. 12. apud Natal. Dissert. 4. ad Sæc. 15. art. 1. §. 7. testari, quod ante celebrationem Concilii Constantiensis ea Doctrina, *quod Papa sit supra Concilium*, ita communis et certa habita fuerit, *ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus.* Et quod *post determinationem et practicationem ejusdem Sanctæ Synodi inveniantur, qui talia asserere palam non paveant.* Ex hoc Gersonis testimonio tria aperte fluunt. 1. Determinationem et practicationem in ipso Concilio tantum factam fuisse in Papa dubio, nempe in Joanne, et in casu Schismatis: 2. nihilominus post Concilium fuisse, qui hoc non approbarent, non obstante ista determinatione et practicatione Concilii: 3. eo ipso, quod adhuc post Concilium aliqui talia as-

Nam Julianus nec ipse distinguit inter finem Concilii universam Ecclesiam repræsentantis et ejus initium in una tantum obedientia coarctatum cum contradictione reliquarum obedientiarum.

Porro ex hactenus allatis sat solide convincitur, Decreta Seff. IV. et V. nullius valoris, authoritatisque esse, tum quia non tam ab Episcopis, quam a Nationibus et Hominibus, quibus jus suffragii in Conciliis nullo modo competit, condita sunt, et quidem non sine contradictione eorum, quorum intererat, aliorumque: tum quia sine sufficiente et matura deliberatione, prout ad tantum negotium opus erat, procusa fuere: tum denique quia a sola et unica obedientia Joannis, quæ totam Ecclesiam non repræsentabat, prolata sunt.

III.

Quem sensum habeant Decreta Seff. IV. et V.

Sepositis quibuscunque hactenus dictis, si concedatur, Decreta genuina esse sine omni interpolatione; si admittatur, etiam

cum matura deliberatione et discussione, atque legitima authoritate sine valida contradictione condita fuisse, restat adhuc, ut inquiramus, quis sit genuinus sensus horum Decretorum? ipsum aut Concilium Constantiense in Prologo ad Decretum Sess. IV. ita loquitur: *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis* (vel ut alii legunt) *ipsius Schismatis, et unione et reformatione Ecclesiæ Dei in Capite et in membris ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu S. legitime congregata ad consequendam facilius, securius, liberius unionem et reformationem Ecclesiæ Dei ordinat, definit, decernit et declarat:* postea sequitur Decretum. Ex his verbis patet Scopus ipsius Concilii, qui est extirpatio Schismatis præsentis, unio et reformatio Ecclesiæ in Capite et in membris, atque in hunc finem decretum conditum fuit. Loquitur ergo Concilium tantummodo de Schismate *præsenti*, quod tunc erat, et de reformatione *Capitis*, quod tunc existebat, dubiumque fuit: at dubium et incertum Pontificem Concilio generali legitimo inferiorem esse, eidem-

ex omnibus Ecclesiis particularibus integratur. Huic Conclusioni ita respondet Concilium: Nota, super verbo Caput, *hoc concedatur, tamen non ad fovendum Schisma aut difformitates. Item nota super verbo Concilii, est subdistinguendum, quia hoc est verum in aliquo Concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra Catholicam fidem, seu hæresin extirpandam. Ubi autem agitur de Schismate tollendo in Romana Ecclesia, quod per Cardinales ortum habuit, aut quia Cardinales alias abusi sunt electione et in similibus, ubi locum non habet.* Ita Acta Concilii apud van der hardt tom. 2. part. 13. pag. 287. Ex quibus clare patet, Concilium tantum loqui, et sua Decreta restringere ad præsentem, aut similem casum Schismatis, atque ad dubium Pontificem; sicut etiam ipsum Concilium apertis verbis suum Scopum indicat, *pro extirpatione præsentis ipsius Schismatis, unione et reformatione Ecclesiæ*, et *ad quem* finem *securius assequendum* se illa decreta ordinasse, dicit Concilium. Opponunt adversarii, Concilium Sessione V. decernere, *quod quicunque,*

 et-

etsiamsi Papalis dignitatis, mandatis et præceptis hujus Sacræ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati obedire teneatur. Sed absit fraus, verba Concilii genuine ponantur, et sensus patebit. Dum ait Synodus, *et cujuscunque alterius Concilii generalis*, Febronius dolose verba restringentia, quæque modum et casum diserte exprimunt, punctula pro verbis ponens omisit, nempe ista: *super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis.* Quænam sunt autem *præmissa?* utique non alia, nisi quæ Concilium antea memoraverat, nempe extirpatio Schismatis, unio Ecclesiæ et reformatio in Capite et membris. At de quo tunc Schismate, de quali reformatione tunc actum fuit? et quod tunc Caput existebat? nunquid Capud dubium et incertum? quodnam Schisma fuit? nunquid inter Pontifices, et membra cuivis adhærentia? reformatio autem Ecclesiæ debebat fieri a Schismate ad unionem et pacem. Quare ex verbis Concilii et ipsissimis decretis, quæ adducuntur, clarissime enitescit, Concilium non quemvis et legitimum Pontificem, et in *quovis casu*,

sed

ſed tantum *ſuper præmiſſis*, ſeu in caſu Schiſmatis inter plures Pontifices pro reformanda ad unionem et pacem Eccleſia eosdem ſibi ſubjicere. Nam Decretum Seſſ. V. ſe reſtringit *ad præmiſſa* in Seſſione IV. ſed in hac Seſſione pro caſu et Scopo tantum proponitur Schiſma præſens. Quod ſi ergo centies Concilium illa verba de reformatione repeteret, ſemper intelligi debent cum illa reſtrictione et clauſula, quæ in ipſis Decretis, quando ea ſtatuebantur, poſita fuit.

Hunc genuinum et legitimum Decretorum Conſtantienſium ſenſum eſſe, contra Baſileenſes, illa etiam extra caſum Schiſmatis, et ad legitimum Pontificem extendere volentes monſtravit Eugenius IV. in Bulla *Moyſes* data in Concilio Florentino anno 1439. ubi ait: *hanc itaque interpretationem, ipſasque propoſitiones ſuperius deſcriptas juxta pravum ipſorum Baſileenſium intellectum, quem facta demonſtrant, veluti Sacroſanctæ Scripturæ, et Sanctorum Patrum, et ipſius Conſtantienſis Concilii ſenſui contrarium — — — — ipſo Sacro approbante Con-*

 cilio

cilio damnamus et reprobamus, ac damnatas et reprobatas nunciamus. En! sensum et interpretationem Decretorum Constantiensium a Basileensibus tentatam, quæ et ipsius Febronii ac adversariorum est, in Concilio æcumenico Florentino damnatam.

Ridiculum est, quod Febronius tom. 2. Apolog. pag. 198. hæc ipsa verba Eugenii ex Bulla *Moyses* alleget ad probandam authoritatem decretorum Constantiensium et Superioritatem Concilii supra Pontificem: *Eugenius IV.*, ait, *adversus Basileenses allegavit Constantiense Concilium tanquam generale et irrefragabile.* Dein ad refellendam eam objectionem, quod illa Decreta ad solum tempus Schismatis referenda sint, ovanter iterum citat verba Decreti Sess. V. *hujus Sanctæ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii generalis.* Profecto, ut dixi, ridicula hæc sunt, quin nec fraude et dolo carent. Ubi in mox citatis Bullæ verbis, et præcipue quoad illa Decreta legitur, Concilium Constantiense *generale et irrefragabile* esse? *et ipsius etiam Concilii Constantiensis* *sen-*

ſenſui contrarium, hæc et non alia verba ibi leguntur, hæc et non alia citat, legitque Febronius. Dein quid allegando Concilium Conſtantienſe in eo approbat, et quid contra Baſileenſes reprobat Eugenius? Baſileenſes Decreta Conſtantienſia etiam ad omnem certum, atque legitimum Pontificem extendere volebant, huncque in omni caſu et ſine reſtrictione Concilio generali ſubjicere volebant, *quod facta* ejusdem Concilii Baſileenſis *demonſtrant*, ut ait Eugenius: hanc decretorum interpretationem reprobat, ac damnat Eugenius, utpote *ſenſui Concilii Conſtantienſis contrariam.* Igitur approbat Pontifex cum Concilio Florentino illum ſenſum Concilii, eumque verum et genuinum eſſe declarat de ſubjectione Papæ dubii ad Concilium generale, et in caſu Schiſmatis, prout tunc fuit.

Tandem ad illa verba, *et cujuscunque alterius Concilii generalis*, meminerit Febronius, adhuc pertinere illam reſtrictionem et clauſulam in decreto expreſſe appoſitam, *ſuper præmiſſis*, meminerit etiam, ſe illam

claufulam ftudiofe omififfe. Demat ea quæ in his falfo addidit, addat, quæ fraudulenter omifit, et fe convictum fentiet, nec amplius in illis verbis triumphabit.

Aft quæres: Si Decreta Seff. IV. et V. folum in cafu Schifmatis, et de Pontifice dubio intelligenda funt: eccur Cardinales ob claufulam de reformatione tantopere proteftati funt? Refpondeo: Cardinales ex una parte Joannem non habebant pro dubio, fed pro certo ac legitimo Pontifice, ideo in fupra cit. Scripto ad Concilium inter alia etiam hoc allegabant, *quod Romana Ecclefia poteft de aliis omnibus judicare, fed ipfa non poteft a quoquam alio judicari.* Quod dicere non poterant, fi in Ecclefia Romana exiftimaffent vel nullum, vel non verum et legitimum Caput exiftere: ex altera parte advertebant, Concilium fentire, quod ipfi Cardinales et Papa Joannes foveant Schifma, *quod Schifma per Cardinales ortum habuerit*, et *quod Cardinales alias abufi fuerint electione*, uti fupra in Refponfionibus fe exprimebat concilium, et idcirco a fuffragio ex-

exclusum fuit Collegium Cardinalium; hinc Cardinales petebant, ut caussa diligentius inquiratur, et maturius deliberetur, antequam procedatur ad Reformationem in Capite pro unione Ecclesiæ, id est, ad depositionem Joannis, et electionem novi Capitis; hujus rei Series ex actis patet. Addo, Gersonem Consider. 12. apud Natal. Dissert. 4. ad Sæc. 15. art. 1. §. 7. testari, quod ante celebrationem Concilii Constantiensis ea Doctrina, *quod Papa sit supra Concilium*, ita communis et certa habita fuerit, *ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus.* Et quod *post determinationem et practicationem ejusdem Sanctæ Synodi inveniantur, qui talia asserere palam non paveant.* Ex hoc Gersonis testimonio tria aperte fluunt. 1. Determinationem et practicationem in ipso Concilio tantum factam fuisse in Papa dubio, nempe in Joanne, et in casu Schismatis: 2. nihilominus post Concilium fuisse, qui hoc non approbarent, non obstante ista determinatione et practicatione Concilii: 3. eo ipso, quod adhuc post Concilium aliqui talia as-

 sere-

ferent contra determinationem et practicationem Concilii, nec ideo ut inobedientes et hæretici sunt notati, hinc sequitur, illo ipso tempore Concilium et ea decreta vel non fuisse agnita ab omnibus ut legitima, quod priori numero demonstravimus, vel saltem ea solum intellexisse de Papa dubio et in casu Schismatis (quod hoc loco ostendimus) de reliquo hæsisse in priori sententia de superioritate Papæ supra Concilium, et ideo mirum non est, Cardinales etiam contra hæc Decreta protestatos fuisse.

IV.

Utrum Decreta Sess. IV. et V. fuerint a Martino V. et aliis Pontificibus approbata?

Adversæ opinionis Sectatores, quamquam Concilia Generalia Rom. Pontificum approbatione et confirmatione nullatenus egere mordicus defendant, idque ad tenendam Doctrinæ consequentiam, nempe quod Papa sit inferior Concilio, etiam defendere debeant, attamen Concilio Constantiensi, hujusque decretis ingens pondus et authoritatem

tem addere autumant, si probare valeant, illud Concilium et Decreta a summis Pontificibus approbata et confirmata fuisse.

Inconstantia opinionis et doctrinæ fors levitatis aut ignorantiæ, nequaquam vero veritatis Signum est. Nobis sufficeret, argumentum ad hominem eis opponere: vobis approbatio et confirmatio Rom. Pontificis ad Concilium generale necessaria non est, nec quidquam valet: igitur ex ea in vestro sensu pro Concilio Constantiensi nihil probabitis.

Ne tamen nostro in sensu inde quidquam probari aliquis existimet, adversariorum argumenta iterum audire lubet.

Dicunt itaque *Primo*. Martinum V. Sess. XLII. in Bulla *inter cunctas* mandare, ut ab hæresi conversi interrogentur: *utrum credant, quod quodcunque Concilium generale, et etiam Constantiense universam Ecclesiam repræsentet?* item *utrum illud probent, quod Synodus probat, atque condemnent, quod*

quod eadem Synodus condemnat? at minime dubium est, pergit Febronius. tom. 2. apolog. pag. 196. *Quin id, quod memorata Sessione V. decretum fuit, non sit in favorem fidei et Ecclesiasticæ Disciplinæ.* Sic etiam Concilium Basileense Sess. 33. decrevit, illa Decreta Constantiensia Sess. IV. et V. spectare ad materiam fidei.

2. Martinus V. Sess. 45. omnia et singula Concilii Constantiensis Decreta approbavit, et confirmavit, non solum ea, quæ *post ejus electionem publicata sunt*, sed etiam *præcedentia*, ut constat ex Bulla *Cupientes*, ubi se obligatum agnoscit ad observandum Canonem *frequens* Sess. 39. et in Bulla *dum onus*.

3. Eugenius IV. in Bulla *Moyses* allegat Constantiense Concilium tanquam generale et irrefragabile.

4. Mortuo Eugenio fecit Felix Anti-Papa cessionem Papatus cum conditione et Protestatione in literis cessionis, quod de finitio

nitio in Concilio Constant. Sess. V. facta *nulla unquam oblivione delenda sit.* Et Episcopi Synodi Lausanensis Felici Papæ adhærentes etiam Nicolaum V. sub ea conditione, quod illa Decreta Constantiensia reciperet, pro legitimo Pontifice acceptarunt.

5. Pius II. in Bulla *in minoribus* ait: *cum his et generalis Concilii authoritatem et Potestatem complectimur, quemadmodum et ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum, definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium etc.*

Omnium horum imbecillitas et insubsistentia facile patebit, si singula penitius inspiciamus. Atque præprimis illa prætensa *Confirmatio* Martini V. nititur hoc falso supposito, quod Decreta Sess. IV. et V. ad materiam fidei spectent, et quod tunc, et ante unionem trium obedientiarum Concilium jam fuerit *generale, universam Ecclesiam repræsentans.*

Igitur *ad Primum.* distinguenda sunt tempora, ut ait Turrecremata Cardinalis supra

pra cit. Nam tempore Seff. IV. et V. per folam obedientiam Joannis non fuiffe *generale* Concilium, *univerfalem Ecclefiam repræfentans*, fuperius Num. II. folide demonftratum fuit; poft unionem vero trium obedientiarum, et præcipue poft electionem Martini Papæ *generale* fuiffe, ac *totam Ecclefiam repræfentaffe*, nemo negat. Imo hoc folo tempore legitimum atque generale fuit. Hinc Cajetanus *opufc. de Poteft. Papæ et Concil. Cap.* 8. ait; *quod Congregatio Conftantienfis inchoavit primo in obedientia Joannis XXIII. et deinde iterum in conjunctione Gregorii XII. et tertio in coniunctione obedientiæ Benedicti XIII confummata eft, et poft electionem Martini V. in eodem Concilio Præfidentis authorifata, et ab hoc nobiliori et certiori Statu nuncupative in quolibet Statu Concilium generale vocatur a Papa. — — — Imo ut infinuaret Pontifex, quod ab hoc ultimo Statu Concilium appellabat generale, præfato interrogatori fidei præterito conjunxit præfens, dicens, quod Concilium approbavit, et approbat, condemnavit, et condemnat.* Dum ergo Martinus V. hæreticos

ticos interrogari mandat, utrum credant, quod Concilium etiam Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentet, aperte loquitur, et intellegi vult de illo ultimo Statu Concilii, nempe in quo tunc erat, quando hoc interogatorium mandavit; quippe de primo Statu, et ſola obedientia Joannis, maxime poſt hujus depoſitionem id dicere non poterat, imo nec verum fuiſſet.

In Secundo interrogatorio Pontifex non ſimpliciter vult, ut hæretici probent, quod *Concilium* ubicunque, et in quovis ſtatu *probavit*, et condemnent, quod ubilibet illud *condemnavit*, quia nec ipſe Martinus P. omnia, ſed tantum *conciliariter facta*, *nec aliter*, *nec alio modo* approbavit, atque in interrogatorio diſtincte addit, *quæ concilium approbavit*, *NB. et approbat*, *condemnavit*, *et NB. condemnat*, ut conſtaret, non agi de omnibus omnino decretis prius, et quocunque tempore editis, ſed de iis ſolum, quæ etiam nunc et in ultimo Statu, ſive tunc, quando hoc interrogatorium emanabat, a Concilio approbantur, qualia non erant Decreta. Seſſ. IV. et V.

Dum

Dum vero in fecundo interrogatorio ponitur: *quæ Concilium approbavit, et approbat in favorem fidei et falutem animarum*, continuo Febronius addit, *minime dubium effe, quin Decretum Seff. V. fit in favorem fidei etc.* Item Tom. 2. Apolog. pag. 196. §. 4. proponit hunc titulum: *Papa ex decreto Spiritus S., in Generalibus Conciliis enuntiato, in rebus fidei et morum fubjicitur correctioni Ecclefiæ.* Et dein: *hoc declaravit Ecclefia univerfalis in Sacro Conftantienfi Concilio legitime congregata Seff. V.* Ergo juxta Febronium hæc quæftio jam decifa eft, atque remoto omni dubio *ad fidem* pertinet. Siccine Romanorum Pontificum Maftyges hærefes et dogmata pro libitu et genio fuo ftatuunt, dogmatizant, condemnant, in his aufibus applaudunt, et quafi foli faperent, contradicentes exfibilant, dilacerant, contemnunt.

Verum fi oftendatur ex ipfo Concilio Conftantienfi, et authoribus minime fufpectis, qui genuinum Concilii fenfum ipfi præfentes optime perfpexerunt, quod Decretum

cretum Seſſ. V. neutiquam ad fidem pertineat, tunc neque ad illud interrogatorium, neque ex hoc quidquam probatur, ſicque Febronius cum ſuis aſſeclis abunde refellitur.

In actis Concilii Conſtantienſis Seſſione V. ſic legitur: *dictoque officio Miſſæ, litaniis cantatis et dictis, ſurrexit de mandato totius ſanctæ Synodi Reverendus P. Dominus Andreas Poznanienſis Epiſcopus, et certa Capitula per modum Conſtitutionum Synodalium, prius per ſingulas quatuor Nationes concluſa et deliberata legit, et publicavit, quorum tenores ſequuntur, et ſunt tales etc.* Jam primo et ſecundo loco inter has Conſtitutiones Synodales ponuntur Decreta, de quibus hic agitur. His et aliis Conſtitutionibus lectis ſubjungitur: *quibus peractis R. P. Andreas electus Epiſcopus Poznanienſis in materia fidei, et ſuper materia Joannis Huſſ legebat quædam aviſamenta, quæ ſequuntur, et ſunt talia etc.*

Jam palam eſt ipſum Concilium diſtinguere inter *Conſtitutiones Synodales*, et

materiam fidei : palam eſt quoque, Concilium decreta, de quibus hic agitur, reponere inter *Conſtitutiones Synodales*, et excludere a *materia fidei ;* hinc ultro ſequitur, quod Concilium nequaquam judicaverit, hæc decreta pertinere *ad materiam fidei ;* unde nec in illo interrogatorio ad hæreticos, nempe *quæ Concilium approbavit, et approbat in favorem fidei*, includi poterant. Adde, illa decreta non fuiſſe prolata, ſicuti fieri ſolent Decreta fidei, ſub pœna Anathematis aut hæreſeos, ſed ſolum ſub pœna Pœnitentiæ aut punitionis contra tranſgreſſores contumaces, niſi reſipuerint.

Pariter huic Decreto contradixerunt multi in ipſo Concilio præſentes, qui mentem Concilii optime perſpectam habebant, uti jam ſuperius num. II. monſtratum fuit, ſed et poſt Concilium, uti Cardinalis Turrecremata, S. Antoninus, aliique. Contradixerunt Gregorius XII. et Benedictus XIII. cum ſuis obedientiis, ſeſe non ſubmittendo huic Decreto, et novam Concilii convocationem poſtulantes (quæ etiam publice in Con-

Congregatione facta, admissa et probata fuit) verbis et facto ostenderunt, se hujus Decreti nullam rationem habuisse, neque in authoritatem admittere. Quis tamen in Concilio has duas obedientias de hæresi postulare ausus fuit?

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis horum Decretorum præcipuus Promotor in tractatu *de Potest. Eccles.*, quem composuit anno 1417., adeoque post Sessionem V., pro authoritate Concilii supra Pontificem post multa dicta et allegata sic concludit: *hæc igitur ad decem Capitula in Prologo hujus operis proposita mihi pro Responsione videntur sufficere, quæ tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt; nam hujus rei definitionem Sacri Concilii determinationi submitto.* Censebat ergo hic Cardinalis nondum latam ultimam hac de re definitionem a Concilio, simulque his verbis non obscure insinuat, illa decreta a Concilio edita non generaliter, sed interim solum pro præsenti casu Schismatis lata et intelligenda esse. Adde Gersonis testimonium su-

pra Num. III. citatum, quod ante Concilium, qui dixiſſet, Concilium ſupra Papam eſſe, fuiſſet de hæretica pravitate notatus vel damnatus, ſed etiam poſt Concilium inveniri, qui Papam ſupra Concilium eſſe aſſerant. Hi duûmviri, qui ſententiam de Superioritate Concilii ſupra Papam totis medullis imbiberant; quique eam toto niſu in Concilio promoverant; num poſt emanationem Decretorum Seſſ V. adhuc ita loqui poterant? num contra ſentientes aut loquentes non ſtatim de hæreſi poſtulaſſent, ſi hæc decreta *ad fidem* ſpectare, atque generaliter pro omni caſu valere ipſi credidiſſent?

Quod additur de Concilio Baſileenſi, hujus nulla habenda eſt ratio, utpote cui tunc ex ordinatione Eugenii omnis Poteſtas legatorum erat ablata, atque tunc certo et juxta omnes acephalum, Schiſmaticumque erat, in quo etiam, ut ait Melchior Canus, Baſileenſes turpiter, ac pueriliter errarunt: et Febronius audet pro eo tempore Concilium Baſileenſe in authoritatem vocare?

Ad

Ad 2. Modo vidimus, quod ipſum Concilium quæſtionem de Superioritate Concilii ſupra Papam, atque decreta circa eam concluſa non inter dogmata repoſuerit; nec ad fidem pertinere voluerit: Martinus V. autem Seſſ. 45. in approbatione Concilii tantum confirmavit ea, quæ *in materia fidei* et *conciliariter* definita ſunt, et *non aliter, nec alio modo.* Verba Pontificiæ Confirmationis hæc ſunt: *quibus ſic factis Sanctiſſimus Dominus noſter Papa dixit, reſpondendo ad prædicta, quod omnia et ſingula determinata, concluſa et Decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter, tenere et inviolabiliter obſervare volebat, et nunquam contraire quoquo modo: ipſa ſic conciliariter facta approbat, et ratificat, et non aliter, nec alio modo. Et illud iterato fecit dici per organum Auguſtini de Piſis Fiſcalis, et Sacri Conſiſtorii advocati.* Ita apud Harduin. Coll. 899. Unde Martinus P. non omnia præcedentia, et quæcunque Concilii Decreta confirmavit, ſed ſolummodo *in materiis fidei*, et *conciliariter facta*, et *non alio modo.* Nota epithaſin, et clauſulam excluſivam:

conciliariter facta, *et non aliter*, *nec alio modo.* Supponebat igitur Pontifex, quædam decreta *non conciliariter* facta fuisse, et talia sunt Decreta Sess. IV. et V., quod Num. II. demonstravimus, nec etiam ad fidem spectant, uti mox vidimus.

Imo cum Natio Germanica maxime postularet Reformationem adhuc post electionem Martini V., et inter cæteros Articulos hunc urgeret decidendum: propter quæ, et quomodo Papa posset corrigi, ac deponi? respondit Martinus P., *non videtur*, *prout nec visum fuit in pluribus Nationibus*, *circa hoc aliquid novum statui*, *vel decerni.* Scilicet præter id, quod Sess. IV. et V. in casu Schismatis de Papis dubiis, Schismaticis, atque Schisma foventibus, quales tunc omnes tres fuere, statutum fuit: superfluum autem fuisset, illius articuli decisionem a Papa petere, si jam antea in Decretis Sess. IV. et V. subjectio Papæ ad Concilium quoad omnia, et pro omni casu. et quidem legitime decisa fuisset. Natio igitur Germanica suo postulato, et Martinus V. sua responsione clare pro-

probarunt, illa decreta non sufficere, et vel nullum vigorem habere, vel saltem ultra casum Schismatis se non extendere, nec extra hunc ex ipsa sententia Nationum Concilio Papam subjici non debere. Quin dum omnes Reliquæ Nationes adhuc ante Reformationem prius electionem novi Pontificis concluderent, et Germani cautionem fieri postularent, ut mox electionem, et adhuc ante coronationem novi Papæ, priusquam hic alias sui officii partes adsumeret, reformatio tractaretur, non obstantibus illis Decretis ipsis responsum fuit, electum Papam *ligari non posse.* Schelstrate *de Sens. et Authorit. Decret. Concil. Constant. pag.* 268.

Sed et ulterius progressus Martinus V. statim se Concilio superiorem ipso facto probavit; nam præsidens Concilio ipse definivit cum clausula: *sacro approbante Concilio.* Nondum facta integra reformatione, prout tamen ante ejus electionem Sess. 40. a Concilio statutum fuerat, nihilominus istud dissolvit. Bulla *inter cunctas* data in Concilio jubet interrogari suspectos de hæresi: utrum

credant, *quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, sit successor Petri, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei?* at si suprema, igitur subjecta non est, nec illa major datur. Denique aliam Bullam, quam refert Gerson in tractatu, *quomodo et an liceat*, in eodem Concilio edidit, et in Consistorio publico promulgavit, qua prohibet appellationem a Papa ad Concilium. Huic quidem Bullæ Gerson suum tractatum non tam opposuit, quam per eum Bullam explicare voluit; nam ut ostendat, qua mente id fecerit, tractatum concludit his verbis, *hæc autem dicta vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem, quam ad alicujus, præsertim Sanctissimi Domini Martini Reprehensionem.* Hæc quidem verba indicant, Gersonem adhudum priori opinioni inhæsisse; at simul etiam ostendunt, eundem Decreta Sessionis V. pro fidei Decretis, ab omnibus certo tenendis non habuisse.

Jam quomodo hæc omnia a Martino P. in Concilio dicta, gesta, promulgata cum ejusdem confirmatione Decreti Sess. V. cohæ-

hærere poterunt? ſit, quod alia quædam decreta præcedentia obſervanda edixerit, ſed ea talia ſunt, quæ ab ipſo in Concilio ab omnibus obedientiis coadunato cum Concilio rurſus ſunt approbata et confirmata, et pertinent vel *ad materias ſidei*, vel ſaltem *conciliariter facta* ſunt.

Ad 3. Jam ſupra ad num. 3. reſpondi: Eugenius P. Concilium Conſtantienſe ibi nullo verbo vocat generale et irrefragabile. Illud quidem allegat contra Baſileenſes, ſed ait, hos eidem Concilio *ſenſum contrarium* affingere, unde ſequitur, Eugenium Decreta Seſſ. IV. et V. non in eo ſenſu, quo Baſileenſes Superioritatem Concilii ſupra Papam inde probare volebant, intelligere. Longiſſime igitur abeſt, ut Eugenius illa decreta quomodolibet approbaverit, ut ea potius in ſenſu Baſileenſium, qui etiam Febronii, aliorumque adverſariorum eſt, omnino reprobaverit, condemnaveritque.

Ad 4. Argumentum petis a Pſeudo-Pontifice et Schiſmatico, atque a Concilia-

bulo Schismatico: num his in Ecclesia unquam authoritas fuit? Sed ais: sub his conditionibus pax conclusa fuit, Nicolaus eas acceptavit; hinc subinferre vis, Nicolaum V. tacite Decreta Constantiensia approbasse. At de qua approbatione et confirmatione Conciliorum hic loquimur? nonne de tali, per quam Concilia a Pontificibus approbari et confirmari solent antiquitus, nempe quæ publica et solennis est, seu quæ fit in ipso generali et æcumenico Concilio, vel ad universam dirigitur Ecclesiam: tacita illa approbatio, vel admissio, adhuc solennis confirmatio dici nequit. Sed esto, illas conditiones a Schismaticis Pseudo - Papa et Episcopis ad pacem concludendam propositas et petitas fuisse, an ideo acceptatæ et confirmatæ sunt? Discimus ex Labbeo tom. 19. Concil. pag. 55. edit. venet. et ex epist. 6. Nicolai V. pacem Ecclesiæ honestissimis conditionibus datam fuisse, quas inter etiam hæc fuit: *omnia hinc inde conscripta, statuta, facta, promulgata abroganda esse, etiamsi universalem Ecclesiam et authoritatem Conciliorum universalium, aut Sedis Apostolicæ con-*

concernant quovis modo. Verum de his plura inferius. Interim Decreta Constantiensia et Basileensia de Superioritate Concilii supra Papam palam reprobata sunt in Concilio Generali Lateranensi V. Sess. 4. et 11. quidquid dicant Tournelius atque Febronius.

Ad 5. Hæc nimis generalia sunt. Veneramur et nos, et omnes Catholici Concilii generalis authoritatem, et etiam Concilium Constantiense, sed tantum tunc, quando *generale* fuit, et quæ ibi a Concilio *generali conciliariter* acta, et a Martino Papa confirmata sunt. Sed quare Febronius mox subsequentia Pii II. verba omisit: *et cuncta* (Concilia) *quæ præcesserunt, a nostris Prædecessoribus approbata; inter quæ nullum invenimus fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule absque ejus authoritate convenerit, quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite, et omnis ex Capite defluit in membra potestas.* Ex his verbis satis apparet, quando et in quibus Concilium Constantiense approbaverit Pius II? proin truncata illius verba Febronio nihil proficiunt; imo hæc posteriora ejus Systemati ex toto adversantur.

In-

Interim in eadem Bulla, *in minoribus*, quæ retractatoria est, idem Papa Pius II., quæ a Basileensibus contra authoritatem Rom. Pontificis, et pro Superioritate Concilii acta sunt, tam aperte, atque disertis verbis rejicit, atque condemnat, ut nemini sanæ mentis etiam per somnium obrepere possit, eundem per verba illa generaliora etiam decreta Sess. IV. et V. approbasse. Quidquid enim prius pro Concilio Basileensi, decretis Constantiensibus, aut Superioritate Concilii supra Papam scripsit Aeneas Sylvius (post Pius II. Pontifex) nullius valoris et roboris sunt, neque amplius Responsionem merentur, postquam idem Aeneas Sylvius ad Pontificale solium evectus, ea omnia diserte in Bulla, quam hic citat Febronius, ad Universitatem Coloniensem 26 Aprilis anno 1463 directa, atque palam retractavit.

Pupugit acutius hæc Bulla Febronium, ideo tom. 3. tit. 5. §. 6. illam, et ipsum Pium II. livido dente per Sarcasmos et contemptum potius prostituere, quam refellere studet; quippe in fine ait: *compendium et*

con-

conclusio omnium hactenus dictorum est, Aeneam Sylvium, cum esset juvenis, et necdum sibi ad opes, Beneficia atque honores animum induxisset, ad acta Synodi Basileensis fideliter, absque ullo fuco et fallaciis conscribenda accessisse, consequenter illi potius habendam fidem ut Juveni, et pauperi privato, quam ut Cardinali ac Pontifici Seni et diviti. Et infra: *contra adepto Cardinalatu, et demum Pontificatu suæ potius caussæ, quam Ecclesiæ servire, atque statui temporali Romanæ Curiæ providere voluit. Profecto ipsa veritas, quanto majori artificio et animi contentione a Pio II. obtegitur, eo magis se prodit.* Ita Febronius. Igitur Pium II. rejicit, quando Contra Concilium Basileense scribit, et quidem ideo, quia tunc Cardinalis, Pontifex fuit. Econtra non solum adoptat, quæ idem Aeneas Sylvius adhuc Juvenis pro illo Concilio scripsit, sed etiam illum citando ut plurimum addit, *postea Pius II. Pontifex.* Nempe dum Aeneas Sylvius ea proloquitur, quæ Febronio arrident, et erroneo suo Systemati inserviunt, bonus atque verax est Aeneas, atque Papatus adhuc futurus jam nunc

nunc singularem ei apud Lectores authoritatem conciliare debet: si vero Aeneas, ut jam Pontifex, ei adversantia loquitur, impostor est. Papatus præsens ei nullam fidem aut authoritatem tribuit, sed potius detrahit, et suspectum reddit. Ita loquuntur viri, ita Authores pro suo libitu modo extollunt, modo deprimunt, qui alios ubivis de præjudiciis et animi præoccupatione accusant, se ipsos vero ab omni partium studio alienos esse vendunt. Ast sufficit, Pium II. publice retractasse, quæ juvenis pro Concilii Basileensis authoritate et Superioritate Concilii supra Papam scripsit; nam ipsa retractatione iisdem omnem authoritatem et fidem ademit. Quo jure ergo Febronius, dum verba et sensum tenet, Summo Pontifici in hac retractatione alienam mentem, malam fidem, et probrosam omnino intentionem affingere audet? utique nemo reputandus est malus, nisi probetur, et intentio, quæ etiam mala videretur, adhuc potius excusanda foret.

Certe prophetico Spiritu Pius P. prævidisse videtur, quosdam futuros, qui suis scrip-

ſcriptis et dictis abuterentur, idcirco illam retractationem edidit, in eadem Bulla ita loquens, quæ Febronio pro Reſponſione et Refutatione ſufficiant: *qui hæc ſcripſit, inquient, in B. Petri tandem Cathedra ſedit, et Chriſti vicariatum geſſit: ita Scripſit Aeneas, qui poſtea Summum Pontificatum adeptus Pius II eſt appellatus, nec invenitur mutaſſe propoſitum, et qui eum elegerunt, et in Apoſtolatus vertice collocarunt, ejus Scripta approbaſſe videntur. Verendum eſt, ne talia noſtris aliquando Succeſſoribus objiciantur, et quæ fuerunt Aeneæ, dicantur Pii.* Quod utique veritus fuit, an non id præſtitere Febronius, aliique? pergit dein: *cogimur itaque B. Auguſtinum imitari, qui cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. — — — Idem et nos faciemus: confitebimur ingenue ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus juvenes, error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam ſanctam Sedem oppugnare. — — — Quæ ſcripſimus juvenes, contemnite, reſpuite: quæ nunc dicimus, ſequimini, et ſeni magis, quam juveni credite, nec privatum hominem pluris*

ſa-

facite, quam Pontificem: Aeneam rejicite, Pium recipite.

Num etiam hoc præſtitit Febronius? neutiquam. Juveni magis, quam Seni, privato homini, quam Pontifici credendum eſſe ait, et ex Aenea Apoſtolicam Sedem oppugnat. Porro vel non legerit integram Bullam Febronius, aut falſitatis omnino convincitur, dum Pius P. in eadem profitetur, ſe animum mutaſſe non primum *in Cardinalatu*, vel *Pontificatu*, neque *in Curia Romana*, ſed errorem depoſuiſſe in Aula Friderici Cæſaris, atque Viennæ multa didiciſſe, quæ prius latuiſſent, ubi minores ordines, Subdiaconatum et diaconatum recepit.

Poſtquam Febronius a confirmationibus Summorum Pontificum Decretis Conſtantienſibus firmum ac certum robur conciliare non poſſet, ad alias authoritates avolat, et Lectorem multitudine authorum obruit. Quippe tom. 2. Apolog. art. 4. citat Petrum Alliacenſem, Gerſonem, Andream Eſcobar, Cardinalem Cuſanum, Dionyſium Carthuſianum,

ſianum, Jacobum de Paradiſo, Joannem de Segovia, Nicolaum Tudeſcum Panormitanum, Didacum de Payva, Academias Colonienſem, Erfordenſem, Viennenſem, Cracovienſem: addit Sententiam Pariſienſis Academiæ ex Epiſtola Cardinalis Lotharingi ad Britonem ſuum Secretarium, ubi ait Cardinalis: *ego vero negare non poſſum, quin Gallus ſim, et Pariſienſis Academiæ alumnus, in qua Rom. Pontificem ſubeſſe Concilio tenetur, et qui docent ibi contrarium, tanquam hæretici notantur.* Ait, Gallos Concilium Conſtantienſe in omnibus partibus, tanquam generale habere, Baſileenſe in authoritatem admittere, florentinum tanquam nec legitimum, nec generale repudiare. Profert hinc inde Conventum Cleri Gallicani, et Sanctionem Pragmaticam apud Bituriges anno 1438. conflatam; item declarationem Cleri Gallicani anno 1682. cum defenſione ejusdem declarationis Boſſueti Meldenſis Epiſcopi: quod autem Galli adverſæ Doctrinæ Sectatores non habeant ut hæreticos, hoc fieri ex Spiritu Chriſtianæ Charitatis. Talia proſequitur tom. 4. Diſſert. 2. Cap. 3.

 ubi

ubi etiam ait, ſententiam de ſuperioritate Conciliorum generalium ſupra Pontificem ab Auguſtiſſima Imperatrice et Regina Maria Thereſia anno 1769. in omnibus academiis auſtriacæ ditionis propugnari mandatum fuiſſe. Demum tom. 3. tit. 5. §. 5. ad alia divertit, atque authoritatem Conciliis generalibus ſupra Pontificem, ipſisque Decretis Conſtantienſibus ex Concordatis Germaniæ aſſerit.

Verum ad quid tot, ac talia? Nos, et Catholici omnes genuinam authoritatem Conciliorum, et certitudinem Decretorum in ipſa legitima celebratione Concilii, nempe quod omni ex parte ſit legitimum, in confirmatione Sedis Apoſtolicæ, atque in conſenſu totius Eccleſiæ quærimus: ſi in his deficiant, illorum Decreta in Eccleſia nullam vim habebunt, quidquid dein dicant privati authores, et integræ etiam Scholæ, quorum opiniones quantumvis ſumorum Magiſtratuum Civilium authoritate et Sigillo munitæ in his, quæ fidem, internam Religionis æconomiam, atque Re-

gimen

gimen ſpectant, nullam in Eccleſia doctrinam ſtatuere poſſunt. Sunt, et manebunt opiniones privatæ, opiniones Scholæ, quibus diſſentiri cuivis liberum erit.

Quin injuriam faceret Principibus et Magiſtratibus apprime Catholicis, atque non modice in Religionem et Reverentiam illis debitam peccaret, ſi quis contenderet, illos, Poteſtatis ſuæ limites ſupergreſſos, circa fidem, et internum Regimen Eccleſiæ doctrinam velle ſtabilire; quipe hi a Majoribus ſuis edocti optime noſſe debent, quid ſibi, quid Deo et Eccleſiæ debeatur. Id præter Conſtantinum M., Valentinianum Seniorem, aliosque Imperatores et declaravit Theodoſius Junior in Epiſt. ad Cyrillum: *Religionem, ait, jam inde a primis uſque Temporibus non Imperantis cujuſpiam, aut certe Imperium uſurpantis interminationes vel protervia, ſed Sanctorum Patrum, Sacrarumque Synodorum Decreta nobis conſtituerunt.* Hinc etiam Magnus ille Oſius, Symboli Nicæni dictator Conſtantinum filium Conſtantini M. ab Arianis ſeductum, et eo-

 rum

rum persuasione negotiis Ecclesiasticis sese immiscentem graviter monet in Epist. Athanasii ad Solitar. *Ne te misceas Ecclesiasticis; nec nobis Episcopis Imperator in hoc genere rerum Ecclesiasticarum præcipe, sed ea potius a nobis disce. Deus tibi Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ.* Eundem Imperatorem Sanctissimi Episcopi Paulinus Trevirensis, Lucifer Calaritanus, Dyonisius Mediolanensis, aliique serio monuerunt, *ne Ecclesiastica corrumperet, neve Romanorum Imperium Ecclesiasticis Constitutionibus immisceret*, hoc M. Athanasius comprobans in eadem Epist. addit: *nihil cogitari posse in re Christiana monstrosius, quam Regem Ecclesiasticas controversias velle Judicio suo definire.* Ita sentiebant, ita loquebantur primis Ecclesiæ seculis Sancti Patres, Imperatores, et tota Ecclesia.

Qui igitur temporibus Conciliorum Constantiensis et Basileensis, et post illa de Superioritate Concilii generalis scripserunt, sunt authores privati, qui tempore Schismatis et dissensionum, et ipsi horum impetu ab-

abrepti ſcripſerunt, et quibus eo ipſo tempore, ut jam ſuperius monſtratum eſt, multi contradixerunt. Nempe hi omnes ſupponebant, in ſua ſolum pro qua ſtabant, obedientia veram Eccleſiam ſubſiſtere, et alios vel alterius obedientiæ vel opinionis Schiſmaticos eſſe, et ideo in ſua obedientia aut factione totum Concilium generale concludebant; ſed id, quod ſupponebant, jactabantque, falſum eſſe, pariter ſupra demonſtratum fuit; dum vero ex his aliqui ajunt, Decreta Conſtantienſia Seſſ. IV. et V. *unanimi conſenſu et beneplacito* ſtatuta fuiſſe, ignorantiam produnt; nam hoc falſiſſimum eſſe, patet ſupra Num. II.

Idipſum quoque de Academiis advertendum eſt; non enim quod Schiſmatis tempore, ubi omnia miſcebantur, ſed quid pacatis rebus, et nulla premente vel dictante poteſtate, ut modo ſit, libere ſenſerint, conſiderandum eſt. At vero illæ Academiæ poſtea dimiſſa illa opinione ultro ad priorem ſuam doctrinam reverſæ ſunt; quid hoc aliud innuit, quam easdem priſtinum errorem

cognovisse? certe nec defectus solidorum Studiorum, nec Magisterium Jesuiticum, nec Spes dignitatum, et virus adulationis in causa fuerunt, uti per summam protérviam et contumeliam tot, tantisque viris Doctis, atque integris Academiis objectat Febronius tom. 2. Apolog. art. 4. De integris Academiis credibile non est, eas sine gravi et urgenti ratione sententiam mutasse. Num autem postea mutata sententia minus docti, minus solide eruditi erant Academiarum Doctores, quando jam pacato Ecclesiæ statu in dicta, Scripta, gesta, quæ turbulenta illa tempora protulerunt, tranquille poterant indagare, quando acta, momenta, rationes, quæ suos antecessores in contrariam opinionem impulerunt, præ manibus habebant? certe nullus vir gravis et constans, nisi fors æstu abreptus mentem suam et sententiam mutat absque convictione aut rationabili saltem persuasione: num aliter de integro collegio virorum doctorum, per tempora sibi succedentium præsumamus? at Febronius omnis decoris oblitus, hujus rei sufficientem rationem dari existimat, si eisdem

dem levitates, ignorantias, et pessima quæque vitia affingat.

Attamen dum Febronius omnes alios de adulationis vitio accusat, interim toties Sorbonam et Universitatem Parisiensem jactet, et tom. 4. differt. 2. Cap. 4. constantem Academiæ Parisiensis doctrinam de Concilii generalis supra Papam authoritate ex Bullæi histor. univers. Parisiens. deducere nitatur, ad hoc repeto, quod mox memini: attendendum esse, quod Academiæ et ipsa Universitas Parisiensis atque Sorbona pacatis rebus, proprio motu et libere, non quod premente aut dictante majori Potestate, (quod huic non semel accidit) senserint, scripserintve? nam ex eodem Cæsare Egassio Bullæo in cit. histor. universit. Parisiens. tom. 4. ad ann. 1379. possum Febronio in faciem objectare: *non semel*, ait, *Parisiensis universitas a vero judicio deflexit, ut suis Principibus blandiretur.* Hæc ipse Gallus. vide etiam, quæ Cap. I. §. 10. et alibi in Not. ex universitate Parisiensi pro suprema Rom. Pontificis authoritate protu-

limus: hæc cum iis, quæ Febronius loc. cit. adfert, concordet, quisquis volet. Inde autem jam patet, quid tenendum sit de Cardinalis Lotharingi effato, præterquam quod Hyacinthus Serri eam Epistolam aut confictam esse censet, aut Lotharingum de auxesi incusat, de quo etiam Natalis Alexander. De reliquo verum est, quod jam olim Christianus Lupus contra Gallos, declarare conantes, quænam sint Concilia æcumenica, nec ne, effatus fuit: *non spectat ad Ecclesiam Gallicanam hujusmodi declaratio, quæ Primatum in Ecclesia non habet.* Hæc quidem ad invidiam Ecclesiæ Gallicanæ non addo, utpote quæ de omni Ecclesia particulari dici possunt.

Quando Febronius se, suaque Decreta Constantiensia talibus privatis authoritatibus munire contendit, et a suis oppugnatoribus urgeretur definitione Concilii Florentini, *Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam Potestatem traditam esse*, tom. 2. Apolog. art. 3. et

et tom. 4. Differt. 2. Cap. 2. n. 7. ad diſtinctiunculam ſe convertit, in ſenſu *diſtributivo* reſpective ad omnes particulares Eccleſias admittit, in *collectivo* reſpectu totius Eccleſiæ adunatæ negat, atque in hunc finem præter alios Boſſuetum, Duvallium, Colletum citat, ut cum Gallis ſentire videatur. Sed cum B. Petro *paſcendi, regendi ac gubernandi plena poteſtas* tradita ſit in illis verbis, *paſce oves meas, paſce agnos meos: tu es Petrus, et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, et tibi dabo claves Regni cœlorum etc.*, neſcio, quas *ſingulas* oves, et non *omnes ſimul*, quas *particulares* Eccleſias intellexerit Chriſtus? cum ipſe *unam* indigitet, *unam* inſtituerit Eccleſiam, quæ primum poſtea facto hominum in plures *particulares Eccleſias* diviſa fuit, nihil variata poteſtate, quam Chriſtus in ea originarie inſtituit. Certe Chriſtus loquitur generaliter et abſolute, nihil diſtinxit, nihil excepit, ſenſus ad litteram de tota Eccleſia, de ſingulis et omnibus ovibus intelligi debet. Concilium vero ſine dubio textum in ſenſu

Christi intelligit; igitur gratis conficta et violenta est illa distinctio in sensum *distributivum* ac *collectivum*.

Nihilominus Febronius se horum Gallorum præsidio defendere adhuc neutiquam poterit, quin potius his locis sibi ipsi contradicere cogitur, quando toto Capite I. id agit, ut illa *plena Potestas* non Petro, nec *Romano Pontifici in B. Petro*, sed *toti Ecclesiæ*, et *ab Ecclesia Petro*, tanquam *Ministro Ecclesiæ tradita sit*; quando Cap. III. IV. V. *hanc plenam Potestatem* in *omnes Ecclesias particulares*, *Episcopos* et *singulas oves* ex integro denegat. Hæc Gallorum doctrina non est, nisi Richerium, Dupinium, Launoium, Quesnellum adducere velis, quibuscum Ecclesia Gallicana nequaquam consentit.

Tandem pro authoritate Decretorum Constantiensium allegatur Sanctio Pragmatica apud Bituriges concepta: sed et hæc nihil valet, jam abolita fuit, cujus etiam facta nota sunt, uti supra Num. II. dixi.

Pa-

Pariter, Declaratio Cleri Gallicani de anno 1682. retractata fuit, quidquid dicat Febronius, modo non amplius esse de tempore, dum illa adhuc observatur in Gallia. Non enim, quæ fiunt, sed quo jure fiant, attendimus. vid. Cap. I. §. 10. in Not. ubi hujus declarationis natales, progressum et finem late descripsimus. Eruditus quidam author de hac declaratione ita loquitur: Cleri Gallicani decisiones, quantumcunque in Patria respiciendæ, non sunt tantæ apud exteras nationes authoritatis, quantæ olim apud plerasque erat oraculum delphicum ex tripode profectum. Ipsimet (Galli) summo Pontifici abjudicant Anamartisiam, hanc proinde eorum decisionibus nemo attribuet. Et Si Patres in Synodo generali errore aliquando decepti sunt in iis, quæ facti erant, nulla irrogabitur viris spectatissimis injuria, quando dicetur, eos nationis studio, aliave ratione inductos in suis decisionibus quædam admisisse, quæ aliter se habent, quam sibi et aliis persuasum vellent. hucusque ille.

Certe non omnes, etiam doctissimi, in Gallia ita senserunt, nec ita sentiunt. Spondanus

danus Apamienfis in Gallia Epifcopus, eruditionis laude nemini fecundus, et in Galliarum Bibliothecarum codicibus pervolvendis diligentiffimus non folum Decretum Concilii Conftantienfis Seff. V., ordine fecundum, fed etiam aliam claufulam primi Decreti de Reformatione Ecclefiæ in Capite et membris a Martino V. improbatum fuiffe, memoriæ tradidit, quo pacto decifio Cleri Gallicani nullatenus fubfiftere poterit, de quo videri meretur Georgii Schelpechemi Archi-Epifcopi Strigonienfis Epiftola Synodica ad omnes Chrifti fideles in Regno Hungariæ.

Addo alterum inter Gallos pariter celebrem Scriptorem Cabaffutium in Notitia Ecclefiaft. Sec. 15. *Ex quo fibi* (Synodus Bafileenfis) *fupra Pontificem Romanum authoritatem indebitam arrogavit, plenamque Jurisdictionem jubendi, compellendi, ipfumque fuis juffionibus non obedientem deponendi, aliumque ejus viventis loco Pontificem obtrudendi, quod demum ab ipfa peractum eft, defiit effe legitima, fibi grande*

vi-

vituperium, fœdamque maculam accersivit. — — — Cumque paucissimi Præsules, qui Basileam concesserant, jam olim Canonice instituto, indubitato et unico Pontifice Eugenio, ejus in privatum ordinem reductionem comminarentur, debitamque hæreticis pœnam, nisi se inferiorem et subditum Jurisdictioni Synodi profiteretur, ejusque mandatis obtemperaret, tunc cœpit Concilium perniciosi Schismatis jactare semina, quamvis Constantiensis decretum prætexeret, sed in diversa, longeque dispari caussa; illud enim justam sibi attribuebat potestatem in plures Pontifices invicem contendentes, et universam jam pridem Ecclesiam lacerantes, quorum jus obscurum admodum et ambiguum erat, nec aliud remedium supererat extinguendi diuturnum incendium, quo Ecclesia conflagrabat. — — — Itaque Constantiense decretum felici exitu terminatum est, remoto schismate. At ex adverso cum nulla esset in Ecclesia concissio, solusque Ecclesiæ præesset Eugenius, quem fideles omnes legitimum agnoscebant et colebant Pontificem, eo vivente, novum Basileenses Pseudo-Pontifi-

tificem obtrusere. Ex his jam vides, quo loco Basileense Concilium habeat hic Gallus, quoque sensu intelligat, et interpretetur Decreta Constantiensia. Hæc pariter cum articulis Declarationis Cleri Gallicani combinare studeat Febronius.

Post hæc non tam ridiculum, quam temerarium profecto est, quod Febronius Gallorum Christianæ Charitati adscribat, ut opinioni suæ adversantes non habeant *ut hæreticos.* Religio Catholica hanc tolerantiam Charitatis non admittit, et Evangelicæ veritati contrarium est, ut in fide socii habeantur, qui in aliquo articulo fidei dissentiunt: Christus jubet habere tanquam Ethnicos et Publicanos, qui Ecclesiam non audierint; Apostolus Paulus jubet devitare hæreticum; Joannes Apostolus vetat, ejusmodi hominem in domum suam recipere, et Ave ei dicere: talem Charitatem nec docuit, nec tenuit, sed semper improbavit a sua origine Ecclesia; injuriam ergo infert Gallis, et aliis Nationibus Febronius. Certe Galli acutius vident, pro fidei dogmate non habe-

bent, quod universalis non tenet Ecclesia. Quod non omnesGalli circa Decreta Constantiensia unanimiter conveniant, et sentiant, modo vidimus: prout id etiam in hac dissertatione de Decretis Constantiensibus ex aliis multis patescit. Interim etiam præstantissimi in Gallia viri, qui declarationi Cleri Gallicani adhærent, de adversæ Doctrinæ defensoribus mitius sentiunt, uti Cap. I. in not. et alibi jam ostendi. imo Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus *de suprem. Pont. Potest. Part.* q. 7. de nostra doctrina ait: *opinio, quæ Romæ tenetur, vacat omni temeritate, cum totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, eam amplectatur, ac præterea rationibus validissimis cum ex Scriptura, Conciliis et Patribus, tum ex Principiis Theologicis petitis confirmatur.* Ita sobrii, æquique Galli loquuntur. Non igitur audiemus Febronium, Launoium, Dupinium, Gersonem, aliosque exasperatos homines, calentes (phrasi febroniana utor) ad crucifigendum et damnandum Romanos Pontifices. Nunc in germaniam transeamus.

Objicit Febronius concordata Germaniæ, ſed ineptiſſime et nullo ſui commodo. Quis unquam in Eccleſia credidit, pacta, etiam cum integra natione inita, dogma aliquod, vel etiam doctrinam in tota Eccleſia ſtatuere, præcipue ſi tales conditiones non a Summo Pontifice, ſed a Laicis apponantur? num dogmata et doctrina catholica ſub pactum cadunt, et a voluntate paciſcentium ſuam authoritatem obtinent? certe illa alios natales, alios fontes habent, unde ſuam authoritatem et vim recipiunt, et decreta Conſtantienſia, quæ in his tanquam ſubſtantialibus deficiunt, neque per Concordata in dogmata et totius Eccleſiæ doctrinam elevari poſſunt, quando nempe eis deeſt Character traditionis, et Sigillum authentiæ ab ipſa Eccleſia conſtitutæ; ſicut nec ipſa Concilia, in ſe illegitima, per quæcunque pacta, conſtituta, etiam a Supremo Magiſtratu Civili promanata in authoritatem legitimorum Conciliorum generalium evehi valent, uti patet de tot Conciliis Arianis, aliisque, quæ etiam Imperatoria authoritate fulciebantur. Hæc conſtans ſemper et certa doctrina Catholica fuit.

Hu-

Hujus rei exemplum pariter præter alia ex Gallia damus. Carolus VII. Franciæ Rex anno 1438. in Conventu Bituricensi multorum Procerum, et Prælatorum totius Nationis Concilium Basileense, ejusque Decreta recepit, atque Sanctione Pragmatica, postea in Parlamento Parisiensi promulgata, seu lege perpetua in suo Regno stabilivit. In hujus Sanctionis Articulo 2. statuitur: ut Basileensis Concilii authoritas sit perpetua: art. 6. Papa huic Sanctioni non deroget, si faciat, deferatur ad generale Concilium: art. 8. generali Synodo etiam Papa obediat, quatenus fides et Schismatum abolitio postulat.

Hoc igitur Concilium et Decreta tanta solemnitate recepta, tanta authoritate Regni munita sunt, ut certe Concilium vere legitimum et æcumenicum majori recipi non possit. Num vero Decreta Basileensia idcirco majorem, et legitimam authentiam, qualem Concilia legitima et vere æcumenica per se obtinent, habentque, etiam apud illam Nationem Gallicanam adepta sunt? hoc asserere, injuriam et calumniam vocat supra

 cita-

citatus Episcopus Apameensis Henricus Spondanus ad ann. 1438. *an vero*, ait, *hinc dicetur, Ecclesiam Gallicanam approbasse, ac recepisse Concilium Basileense? nugæ hæ sunt, et impostura. Absit a puritate et dignitate Ecclesiæ Christianissimæ tanta calumnia.* Dein eam calumniam, quasi Ecclesia Gallicana Decreta Basileensia, tanquam per se obligantia, atque a legitimo Concilio profecta, in ista Sanctione pragmatica recepisset, ita vindicat: *Si quid ejus illa* (Ecclesia Gallicana) *recepit, non ut ab ejus authoritate obligatoria* (*qualis omnino debuisset esse, si vere ejus decreta tanquam legitimæ Synodi æcumenicæ agnovisset*) *recepit, sed velut a proponente, quæ utilia, et conducibilia existimavit, ita ut libitum esset, quæ vellet, recipere, quæ nollet, rejicere, ut et fecit tam in hac re, quam nonnullis aliis authoritate Regia et propria.* Spondanus igitur vult, Concilium Basileense per istam Sanctionem Pragmaticam in Gallia nullam authoritatem intrinsecam recepisse, sed ejus Decreta omnem suam vim et obligationem tantum ab hac Sanctione trahere, ideoque in se magis legi-

legitima et authentica non esse, quam antea fuerunt. Ex quo sequitur, ex Sanctione pragmatica legitimam confirmationem Concilii Basileensis, sicut nec Decretorum Constantiensium, quibus illud falso innititur, neutiquam probari.

Addit ulterius Spondanus, *Præsules hac Pragmatica in libertatem se asserere arbitrantes, in Servitutem Sæcularium Judicum redactos fuisse.* Hinc patet etiam, qualem libertatem Ecclesiæ Gallicanæ asserant illi, qui eam Concilio Basileensi inniti venditant; estque, cur alii Præsules hoc exemplo edocti melius sapiant, nec Ecclesiam Servam esse, et alienæ potestati ancillari patiantur.

Modo ad quæstionem facti accedamus, seu quam authoritatem extrinsecam ex Concordatis obtineant Decreta Constantiensia, et utrum a Summis Pontificibus Eugenio IV. et Nicolao V. per Concordata Germaniæ approbata et Confirmata sint?

Refert Febronius tom. 3. tit. 5. §. 5. et alibi solemnem acceptationem Decreto-

rum Constantiensium, dum sub Alberto Rege in Solenni conventu 26 Martii anno 1439. Moguntiæ celebrato Natio Germanica declaravit, *quod acceptet cum omni honore, reverentia et devotione primo Decretum per Sacrum Constantiense Concilium factum, et per Sacrum Basileense Concilium renovatum, de authoritate et Potestate generalium Conciliorum. Item Decretum in tricesima prima Sessione, quod incipit, Placuit divinæ Pietati.* Eadem Declaratio facta fuit in Avisamentis Moguntinis anni 1440. nec non in unione Electorali de anno 1446. ubi pro basi Concordatorum cum Eugenio IV. ineundorum Electores Imperii hoc ponunt, ut Papa Decreta Concilii Constantiensis, a Concilio Basileensi renovata, circa potestatem Conciliorum generalium de verbo ad verbum profiteri, et affirmare debeat. Sed hæc initia, ac præparatoria sunt, quæ Concordata præcesserunt, num etiam in ipsis Concordatis Decreta Constantiensia, de quibus sermo est, approbata et confirmata fuerint? hoc probandum restat.

Igitur profequitur Febronius: in Conventu Francofurtano anno 1446. inter legatos Pontificis Eugenii IV. Imperatorem et Principes Imperii unanimi confenfu conclufum fuit, Germanos impofterum Eugenium pro vero Pontifice habituros, dummodo ille nonnulla eorum Nationi concederet, quæ etiam Eugenius, dum ad fe per folemnem legationem ab Imperio deputatam deferrentur, auditis in Confiftorio fecreto legatis, indulfit. Inter acceptatos a Papa articulos etiam hic erat, qua profiteretur Pontifex, *fe Concilium generale Conftantienfe, Decretum frequens, ac alia ejus Decreta, ficut cætera alia Concilia Catholicam militantem Ecclefiam repræfentantia, ipforum Poteftatem, authoritatem, honorem et reverentiam, ficut et cæteri ejus anteceffores, a quorum veftigiis deviare nequaquam intendit, fufcipere, amplecti et venerari.* Hoc dein Eugenius Brevi Apoftolico Nonis Feb. 1447. dato ad Fridericum Rom. Regem firmavit.

Aft præprimis, rei geftæ finis refpiciatur. Secernamus acceptationem Decreti Conftan-

tienſis prævie a Natione factam a pactis poſtea conventis, et Poſtulata Nationis ab ipſis Concordatis de quibus modo ſermo eſt. Aliud utique in magnis controverſiis ſunt poſtulata, in quibus ut plurimum exceditur, aliud tractatus pacis et pacta, per quæ petitionibus ex utraque parte ordinarie temperamentum ponitur.

Admitto, inprimis Natationem Germanicam ea omnia poſtulaſſe, quæ ſupra in inſtrumento acceptationis, Aviſamentis Moguntinis et unione Electorali continentur; at ſimul contendo, non omnia in Pactum deducta fuiſſe; quippe Febronius quæque confundit.

Aeneas Sylvius Tractatui Francofurtano inter legatos Eugenii IV., Imperatoris, et Principes Imperii præſens fuit, eratque tunc Friderico Romanorum Regi a Secretis. Hic Epiſt. 369. ad Archi-Epiſcopi Moguntini Cancellarium Mejerum ſcripſit, ſe affuiſſe Concordato, quod initium fuerat inter Sedem Apoſtolicam, et Germanos: conven-

tum

tum fuisse hinc inde, Decretorum Basileensis Concilii partem alteram abjici, alteram admitti debere. Idipsum clarius testatur in Epistola ad querelas Friderici III. ubi ait: *propter Decreta enim Basileensis Concilii inter Sedem Apostolicam et vestram Nationem Dissidium cœpit, cum vos illa prorsus tenenda diceretis, Apostolica vero Sedes omnia rejiceret; itaque fuit denique compositio facta, in qua Nos Imperatorio nomine interfuimus, ea certam legem dedit dein inviolabiliter observandam, per quam aliqua ex decretis prædicti Concilii recepta videntur, aliqua rejecta.* Hujus rei fidem nobis etiam præstant Spondanus ad annum 1457. et Rainaldus eod. anno. num. 47. Ipse Febronius loco supra cit. non diffitetur, sed ait, in prædicto Conventu Francofurtano conclusum fuisse, *Germanos imposterum Eugenium pro vero Pontifice agnituros, dummodo ille nonnulla eorum Nationi concederet, quæ etiam Eugenius — — — indulsit.* Vides igitur, non *omnia*, sed tantum *nonnulla* in pactum venisse, quamvis initio natio omnia *Decreta Basileensis Concilii prorsus tenenda* diceret.

Quæritur jam, utrum et qualiter Decretum Constantiense Seff. V. de Superioritate Concilii supra Papam in Pacto seu Concordatis comprehendatur? petierunt id Germani in unione Electorali anno 1446., ut Eugenius illud *de verbo ad verbum* confirmet. Sed hoc Decretum de verbo ad verbum nec in articulis Eugenio propositis, nec in ejus Brevi Apostolico, quo illos confirmat, legitur. Hoc solum in Brevi profitetur Pontifex ad articulum secundum, *se Concilium generale Constantiense, Decretum frequens, ac alia ejus Decreta, sicut cætera alia Concilia Catholicam Ecclesiam repræsentantia, ipsorum Potestatem, honorem et reverentiam, sicut cæteri ejus antecessores, — — — suscipere, amplecti et venerari.* At illud Decretum non allegat, sicut tamen distincte allegat Decretum *frequens*, neque illius verba exprimit, nec tandem per illa verba, *ac alia ejus Decreta*, intelligi potest; nam caute dixit Pontifex, *se Concilium Constantiense, et alia ejus Decreta* suscipere, *sicut alia Concilia Ecclesiam Catholicam repræsentantia*, et *sicut cæteri ejus antecessores*;

nam

nam dum Decretum Seſſ. V. conditum fuit, Concilium Conſtantienſe adhuc *generale* non fuit, uti ſuperius demonſtratum eſt et Martinus V., qui ab hoc Concilio ſolus ejus anteceſſor fuit, illud non approbavit; quippe tantum ſuſcepit, et confirmavit, quæ *in materia fidei et conciliariter facta ſunt, et non aliter, nec alio modo.* Decretum vero Seſſ. V. *conciliariter* factum non eſſe, ſupra oſtendimus. Imo cum Natio Germanica, quia vel ipſi videbatur, decretum illud legitime ſubſiſtere atque ſufficere, vel ſolum pro caſu tunc exiſtentis atque ſimilis Schiſmatis valere, adhuc a Martino Papa poſtularet, ut novo Statuto decerneretur Superioritas Concilii ſupra Papam, nempe propter quæ et quomodo hic poſſit corrigi, ac deponi, negavit Martinus P., id fieri debere: igitur ſuperioritatem Concilii et Decretum Seſſionis V. neutiquam approbavit Martinus V., multo minus in ſenſu Baſileenſium, ideoque nec Eugenius approbavit, qui profeſſus eſt, ſe Concilium Conſtantienſe et ejus decreta, ſicut et alia Concilia ſuſcipere, *ſicut ejus anteceſſores, a quorum veſtigiis non velit deflectere.*

Neque hæc inania glossemata sunt, et gratis conficta, sed mentem Pontificis omnino declarant, quam ipse satis exprimit in speciali Salvatorio, quod mox post illud Breve edidit, et exhibet Rainaldus ad eund. ann. num. 7. sic enim protestatur Eugenius, *se, quoniam propter imminentem sibi ægritudinem non potuit omnia per Nationem petita, et a se concessa, cum ea integritate judicii et Consilii examinare et ponderare, quam rerum magnitudo et gravitas requirit, per quæcunque dictis Imperatori, Archi-Episcopo, Marchioni, Prælatis, Principibus ac Nationi Responsa et Respondenda, concessa et concedenda non intendere in aliquo derogare Doctrinæ Sanctorum Patrum, aut Sedis Apostolicæ Privilegiis et authoritati.* Derogat autem Constantiense Decretum Privilegiis et authoritati Sedis Apostolicæ, quatenus in sensu Basileensium et Febronii intelligitur: igitur illud certo non approbavit, nec suscepit Eugenius. Unde etiam sæpe citatus Odericus Rainaldus tom. 18. ad ann. 1446. num. 5. ait, *Eugenium non potiorem authoritatem Concilio Constantiensi contulisse, quam Marti-*

tinus V., cum professus est, se a Prædecessorum vestigiis nolle deflectere.

Febronius vult, hanc protestationem et declarationem Eugenii nullum valorem habere, quia ea non obstante in Concordatis nihil amplius immutatum, aut retractatum fuit.

Respondeo, idcirco in Concordatis nihil immutari aut retractari debuisse; sed Pontifex tantum declaravit suam mentem et sensum, in quo intelligat, intellexeritque sua verba in responsis data, neque huic declarationi et protestationi contradictum fuisse constat, ex quo consequitur, ea verba in Concordatis etiam in sensu Eugenii intelligenda, et interpretanda esse.

Porro hanc firmam et certam circa Decretum Constantiense tum post, tum ante hanc declarationem mentem Eugenii fuisse, abunde convincitur ex iis, quæ contra Basileenses gessit, scripsitque. Sic enim in Bulla, *Dudum Sacrum*, ubi continuationem Concilii Basileensis admittit, hanc conditionem

nem ponit: *ita tamen, quod — — — omnia et singula contra Personam, authoritatem, ac libertatem nostram, et Sedis Apostolicæ — — — in dicto Concilio facta et gesta per dictum Concilium prius tollantur, et in pristinum statum reducantur.* Idem Eugenius in Epist. ad Franciscum Foscari Ducem venetum, uti refert Rainaldus ad ann. 1433. num. 19. sic scribit: *potius enim hanc Apostolicam dignitatem, et vitam insuper posuissemus, quam voluissemus esse caussa, et initium, ut Pontificalis dignitas et Sedis Apostolicæ Authoritas submitteretur concilio contra omnes Canonicas Sanctiones, quod nunquam antea, neque aliquis Prædecessorum nostrorum fecit* (ergo hoc neque in Constantiensi Concilio factum fuit, neque Martinus V. id fecit) *neque ab ullo extitit requisitum, atque in hoc ipse postmodum imperator quievit.*

Anno 1445. 11 Kalend. Augusti ad suos Legatos in Germania scripsit: *cum Romanorum Imperator, et Sacri Romani Imperii Electores per suos Nuntios Nobis insuper exposuerint ad subortum Schisma extinguendum,*

dum, maxime convenire, ut authoritas Conciliorum generalium manuteneatur, et conservetur. Nos ipsorum Regis et Electorum supplicationibus inclinati ad imitationem SS. Patrum et Prædecessorum nostrorum, sicut illi, Concilia generalia Constantiense et Basileense ab ejus initio usque ad Translationem per Nos factam, absque tamen præjudicio Juris, dignitatis et Praeminentiæ Sedis Apostolicæ, ac Potestatis sibi, et in ea Canonice sedentibus concessæ, cum omni Reverentia et Devotione suscipimus, complectimur et veneramur. Tandem Eugenius in Concilio Florentino sess. 33. tres propositiones publice quæstioni subjecit, quarum prima erat: *veritas de Potestate Concilii generalis Universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam et quemlibet alterum declarata est per Constantiense et hoc Basileense generalia Concilia, et est veritas fidei Catholicæ.* Tertia sic sonat: *veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans est censendus hæreticus.* Has dein propositiones Eugenius IV. in Bulla *Moyses vir Dei.* die 4. Sept. anno 1439. cum suis authoribus damnavit, in qua etiam

etiam dicit, Basileenses Concilium Constantiense in reprobum, et *ipsius Concilii sensui contrarium* intellectum pertraxisse. Ex omnibus his dictis jam patet, quo sensu Eugenius IV. semper intellexerit Decretum Constantiense, nempe de Papa dubio, et tempore Schismatis, non de certo et legitimo Pontifice, et absque præjudicio Juris, et Præeminentiæ et potestatis Sedis Apostolicæ, et in ea *Canonice* sedentis.

Longe igitur abest a mente Eugenii IV. ut per ea verba ad Legatos Germaniæ data, *se Concilium generale Constantiense, Decretum frequens, ac alia ejus Decreta etc. suscipere, amplecti*, etiam Decretum Sess. V. non conciliariter factum intelligat, longissime vero, quod illud in sensu *Basileensium et Febronii intellexerit.*

Quare potius ad cautelam edidit Eugenius supra dictum Salvatorium et Declarationem, ne quis per ea verba generaliora, *ac alia ejus Decreta*, existimet, se præeminentiam Conciliorum generalium ex Decre-

to

to Constantiensi generaliter admittere, atque tandem ad sensum et opinionem Basileensium deflexisse.

Porro Nicolaus V. Eugenii Successor anno 1447. nihil amplius in hac re, quam quæ per Eugenium interim permissa, concessa, indulta, atque decreta sunt, confirmavit.

Ex his omnibus manifeste convincitur, neque Eugenium, neque Nicolaum V. approbasse Decretum Constant. Sess. V., prout illud a Febronio exponitur.

Febronius hoc loco pro se citat Barthelium, qui Differt. 3. de Concord. German. Cap. 1. n. 14. multa adhuc affert, quæ Febronio neutiquam suffragantur, et hanc materiam mire illustrant. inprimis ait, articulum de authoritate Conciliorum fuisse præliminariter a Natione Germanica statutum atque propositum, dum eadem Natio adhuc in Neutralitate erat. Deinde ait etiam, non obstante Salvatorio postea emanato, nihilominus per Eugenium IV. Nicolaum V. aut posterius aliquod Concilium ne-

nequidquam fuiſſe immutatum, aut retractatum, proinde valorem et conſtantem obligationem pactitiam ejusdem articuli a Natione poſſe optimo jure urgeri et manuteneri, quod etiam Febronius ſupra ex eodem Barthelio exſcripſit.

Verum jam dixi, utique nec ab Eugenio, nec ab aliquo alio quidquam fuiſſe immutatum aut retractatum, ſed illo Salvatorio Eugenius ſolummodo declaravit mentem ſuam circa illa verba, *Concilium Conſtantienſe, ac alia ejus Decreta — — — ſuſcipimus, amplectimur, veneramur*, ſcilicet *abſque præjudicio Sedis Apoſtolicæ*, et non in ſenſu Baſileenſium, quem nunquam admiſit, ſemper abhorruit. Dum igitur huic Salvatorio contradictum non fuit, ſequitur potius, in vim hujus articuli valorem et obligationem pactitiam non niſi in ſenſu Eugenii a Natione urgeri, atque manuteneri poſſe.

Non tamen inde inferas, taliter poſtulatum Nationis eludi, et Nationi potius illudi. Nam diſtinguendum eſt inter *Poteſtatem* ſummi

mi Pontificis, et *usum seu exercitium* hujus Potestatis: *Potestas* solum illo Salvatorio salvatur, *usus* Potestatis vero Pacto et Concordatis restringitur. Habet igitur ille articulus suam vim et obligationem pactitiam quoad usum Potestatis intacta et salva potestate. Ipse Barthelius profitetur, hic non agi de Potestate Romani Pontificis, sed de exercitio Potestatis, quod per illum articulum restrictum est. Loco autem supra cit. num. 16. mox addit, in vim hujus articuli se adstrinxisse Summum Pontificem, *ne tam facile solo Decreto, ab eodem emanato authoritas Canonum Conciliarium tollatur, aut infirmentur, id quod tamen Curialistæ ex suis principiis prætendunt.* Unde nec ipse Barthelius illa verba Eugenii, *Concilium Constantiense, ac alia ejus Decreta* interpretatur de Superioritate Concilii supra Papam, neque *Potestatem* et *authoritatem* Pontificis in Conciliaria Decreta in totum tollit, sed tantum vult, illam per hoc quoad exercitium restrictam esse, ne *tam facile* illa infirmet, nempe pro libitu et mero arbitrio, sicut inferius dicit, per Clausulam

Tridentini, ut in omnibus *ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ ſalva ſit et eſſe intelligatur*, non Apoſtolicæ Sedis *voluntatem* ſed *authoritatem* ſervatam eſſe.

Proin falſiſſimum eſt, quod l. c. Febronius ait, Nationi Germanicæ Eugenium IV. *ſe obligaſſe, ſe Concilio generali non Superiorem, ſed ſubjectum agnoſcere, ac gerere*, atque quod Corollario tertio ſubinfert, privatis doctoribus minime permittendum, ut ſententias dictis decretis contrarias, ſive e cathedris, ſive impreſſis ſcriptis tradant, aut eorundem decretorum vigorem per ſcholaſticas diſtinctiunculas, et ſubtilitates ſpiritui legis, et Concordati adverſas quoquo modo enervent, debere potius authoritate publica eis ſub gravi pœna mandari, ut Juventutem conformiter ad has leges Eccleſiæ et Imperii poſitive inſtituant.

At ex adverſo Febronio crimini datur, quod ipſe doctrinam pro lege, ſeu potius legem Imperii ſtatuat, quam ab eo tempore ne quidem doctiores agnoverunt: quare Aca-

Academiæ et Universitates Germaniæ post Concordata illam de Superioritate Concilii supra Papam sententiam, quam tempore Schismatis Constantiensis et Basileensis aliquando tenuere, rursus abjecerunt, et contrariam amplexæ, sicut et alii in Germania nobilissimi doctores publice in cathedris et scriptis suis docuerunt? si tamen lege publica et Pragmatica Imperii, ut ait Febronius, illa prior definita sit. Num lex ista publica tot Doctoribus et Scholis non patuit? et si patuit, quomodo contra eam et in publicum ipsius legis et Patriæ detrimentum palam docere ausi fuissent? hæc sola ostendunt, nemini in mentem venisse, quod sententia de Superioritate Conciliorum in lege Concordatorum comprehendatur, atque Febronio magis depressionem Pontificiæ authoritatis et Potestatis, quam Concordata cordi esse.

Si rem ad suam originem reducamus, Natio Germanica a multo jam tempore se gravatam querebatur, ob multiplices reservationes, electiones, Annatas: per Concilium

lium Constantiense eidem in suis gravaminibus satisfactum non fuit: Concilium Basileense in suis cum Eugenio Papa discordiis ut sibi majorem authoritatem et adhæsionem conciliaret, et Nationes, Germanicam præcipue facilius ad se traheret, varia Decreta edidit, Nationi favorabilia, et quibus illa gravamina tollerentur: hæc lubenter Natio amplexa fuit. Ast cum prævideret, ea satis firma esse non posse, nisi vel firmiter staret Concilii Authoritas, vel Pontifex etiam sua authoritate muniret, interim neutralitatem ob diffidium inter Eugenium et Basileenses cum suo Pseudo - Papa Felice professa fuit, et tamdiu neutralitate stetit, donec Eugenius eidem nonnulla, in Concilio Basileensi statuta, atque ad merum Regimen et Politiam externam spectantia adpromitteret, concederetque, et potestatem Conciliorum generalium pro futura cautione eum in finem sic profiteretur, ut ista Decreta Nationi tam favorabilia, sicut et alia, etiam a Sede Apostolica vim obtinerent, et ita firma essent, ut ea rursus a Papa tam facile, et pro libitu, ut ait Barthelius, immu-

tari

tari aut abrogari non possent, quod totum per Concordata confectum fuit. Nationi ergo Germanicæ plurimum interest, ut ista Concordata, quæ habent vim pacti, serventur, quidquid dein sit de Potestate Pontificis, et præsertim de illa sententia circa Superioritatem Concilii vel Papæ, quæ longe alia et majora momenta atque sequelas in se complectitur; ac non tam externam et variabilem Ecclesiæ Politiam, quam interius Regimen, et quæ propius ad fidem et morum doctrinam accedunt, in se concludit: illa facile remitti, promitti, et in pactum deduci possunt, hæc firma et certiora esse debent.

Ex dictis hucusque per præsentem dissertationem luculenter, ut arbitror, demonstratum fuit, ad minimum valde dubium esse, quod genuinum Decretum Sess. IV. in Concilio Constantiensi illam clausulam *de reformatione in Capite et membris*, prout nunc in editionibus hujus Concilii legitur, in se contineat, et quod illa verba interpolata non sint. vid. Num. I.

Dein illa Decreta tum Seſſ. IV. tum Seſſ. V. *conciliariter* facta non ſunt, quia a Nationibus, non ab Epiſcopis, prout ex conſtanti traditione ex praxi Eccleſiæ fieri debuiſſet, concluſa fuerant, ita ut quibusdam ſuffragium conceſſum, qui nunquam in Concilio vocem habebant, aliis, qui habebant, ademptum, a multis vero omnino contradictum fuerit. Illa etiam Decreta absque ſufficienti et debita deliberatione, prout in Conciliis generalibus mos obtinuit, atque neceſſitas poſtulat, ſed præpropere et tumultuarie condita fuere, neque in Concilio generali, quale tunc temporis nondum erat, utpote quia in ſola obedientia Joannis conſtabat. vid. Num. II.

Ulterius etſi Decreta Seſſ. IV. et V. forent indubia, eaque legitime et conciliariter edita fuiſſent, attamen pro illo et ſolo tempore ac caſu Schiſmatis intelligenda et interpretanda eſſe, ex ipſis Concilii verbis, atque ex Bulla Eugenii IV. manifeſte evincitur. vid. Num. III.

Interim illa Decreta nec a Martino V. nec ab Eugenio IV., nec ab ullo alio Pontifice confirmata sunt, quin et Concilium ista Decreta non inter quæstiones fidei, sed ad Constitutiones Synodales reposuit. Alienæ authoritates illorum Doctorum, qui vel ipsi Schismate infecti, vel eo tempore concertationum æstu abripi se passi sunt, dum illa Decreta in substantialibus deficiunt, his nullum suffragium et valorem afferre possunt.

Sanctio Pragmatica vero in Gallia, si ejus fata et finem attendimus, horum Decretorum authoritati ac Concilio Basileensi magis obest, quam ut iisdem pondus aliquod adjiciat: similiter declaratio Cleri Gallicani, attentis ejusdem circumstantiis, ortu, progressu et fine, quæ tamen soli horum Decretorum et Concilii Basileensis authoritati innititur, iisdem veram authoritatem tribuit, neque desunt præstantissimi Galli, qui longe aliter sentiunt. Tandem Concordata Germaniæ in vim horum Decretorum superioritatem Concilii supra Papam neutiquam statuunt. Eugenius Papa desu-

 per

per mentem suam sat explicavit, et authoritatem Sedis Apostolicæ ab omni præjudicio salvavit. vid. Num. IV.

Post hæc non amplius audiendi sunt Gerson, Dupinius, Launoius, Maimbourgus, Febronius, noti Pontificiæ Potestatis depressores, neque qui his prope accedunt Fleurius, Natalis Alexander etc. suis momentis se firmiter tueri, aut nostra argumenta et rationes solide convincere possunt.

Est nihilominus quoddam hominum genus, qui quæ ipsis semel arrident, vel quam tenacius imbiberunt, opinioni ita pervicaciter adhærent ut nullis rationibus se vinci velint, quibuscunque dein stimulis, seu mentis affectionibus agantur, de quibus illud maximi oratoris effatum *lib.* I. *de nat. Deor.* verissime pronuntiatur: *quid est temeritate turpius, aut quid tam indignum Sapientis gravitate et constantia, quam ut aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, et cognitum, sine ulla dubitatione defendere.* Talibus itaque, conside-

ratis

ratis omnibus, quæ hactenus retulimus, ſaltem perſuaſum eſſe debet, ea, quæ in Concilio Conſtantienſi Seſſ. IV. et V. ſancita fuerunt circa præeminentiam Concilii ſupra Romanum Pontificem, ad minimum eſſe dubia, quod adhuc magis evincitur ex eo, quod jam in ipſo Concilio ſteterint, qui hisce Decretis contradixerunt, atque poſt tria ſecula, et amplius, poſt tot diſſidia et examina nondum quæſtio utrinque eſt eliquata, nondum dubia ſublata, nondum dilucidata ex integro hiſtoria, quod utique omnes norunt, et quantiscunque præjudiciis præoccupati tandem fateri coguntur. Quæ cum ita ſint, facile quisquis perſpexerit, quam labile et infirmum ſit Syſtema, quod hisce fundamentis ſuperſtruitur, quantum vacillans fabrica, quæ talibus fulcimentis innititur; profecto dubia et incerta veritati nunquam teſtimonium perhibere poterunt.

§. II.

Nulla lege aut humana convocatio universalium Conciliorum summo Pontifici reservatur. Octo priora Concilia Generalia sola Imperatorum authoritate convocata fuere.

Ne tumultuarie Episcopi in Synodos coëant, legitime convocandi sunt. Nulla lege convocatio Conciliorum Papæ Reservatur. E contrario certum est, octo priora Concilia generalia a Rom. Imperatoribus convocata esse, quandoque etiam invito Pontifice. Ad illorum officium pertinuit, et pertinet, ut Potestate sibi concessa populi sibi commissi non modo temporalem, sed æternam etiam felicitatem tueantur, atque promoveant: ex utroque hoc fonte fluit jus Imperatorum, ortis hæresibus, imperandi Episcopis suæ Jurisdictioni et Imperio subjectis, ut in cætum coeant, collatisque suffragiis decernant, quid ex lege Dei credendum sit. Hoc jus, quod olim Imperatoribus in universo Christiano orbe competiit, etiam cuivis imperanti competit suo territorio, quod suadet ratio jam allata, atque olim

olim a Regibus Franciæ et Germaniæ exercitum fuit.

Bellarminus Tract. de Concil. jus exclusivum convocandi Concilia generalia Rom. Pontifici asserit. Hoc sane non probatur ex duobus Theologiæ principiis, quæ sunt *Scriptura*, in qua ea de re nihil, et *Traditio*, quæ manifeste repugnat. In Synodo hierosolymitana, quæ tanquam celebrandorum Conciliorum forma habetur, act. 15. Petrus quidem omnium primus locutus fuit: at Synodum ab eo convocatam fuisse, non traditur. Et dum Lucas omnia notatu necessaria in acta retulit, Personam, quæ Synodum convocat, et Synodi convocationem extrinsecum aliquid esse, atque ad rei per Synodum definiendæ naturam non pertinere censuit.

1. Primum Concilium universale *Nicænum* a Constantino Imperatore convocatum esse testatur Eusebius in vit. Constant. l. 3. Cap. 6. Socrates lib. 1. Cap. 5. Sozomenus lib. 1. Cap. 17. Theodoret. lib. 1. Cap. 7. Secundum generale *Constantinopolitanum*

con-

convocatum a Theodosio M. Imp., inconsulto Damaso Papa, et nemine ejus nomine comparente. Falluntur aliqui Epistola Synodica, quam exhibet Theodoretus lib. 5. Cap. 9. sed hæc Epistola inprimis non est solum inscripta Damaso, sed etiam Ambrosio Mediolanensi, Brittoni Trevirensi, aliisque Episcopis Romæ congregatis: dein eadem non est opus Patrum Concilii Constantinopolitani anno 381., quod generalibus accensetur, sed *alterius* Synodi non generalis, in eadem urbe sequenti anno 382. post Aquileiense Concilium habitæ. Harduin. Nat. Alex.

2. Ephesinum a Theodosio Juniore convocatum fuisse, apparet ex Epistola ejusdem Theodosii et Valentiniani Imp. ad Cyrillum Patriarcham Alexandrinum et Metropolitanos Provinciarum apud Harduin. tom. 1. col. 1343. Cælestinus P. voluntati Augustorum se conformans misit legatos ad Concilium Theodosio respondens: *huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos mittimus, exhibemus. Chalcedonense* equidem ad instantiam Leonis

nis P., at non ab ipſo, ſed a Marciano Imp. primum apud Nicæam convocatum, dein ejusdem Imperatoris authoritate Chalcedonem translatum fuit, ut Conſtat ex ejusdem Auguſti litteris apud Harduin. tom. 2. Col. 46. et 50.

3. Conſtantinopolitanum II. teſtibus Evagrio et Nicephoro Juſtinianus Imperator indixit: notanda eſt etiam Epiſtola hujus Imperatoris ad Epiſcopos Conſtantinopoli congregatos. Conſtantinus Imp. invitavit Domnum P. ad mittendum ad concilium *Conſtantinopolitanum III.*, juſſu Imperatoris habendum, Perſonas negotio aptas. Reſponſio autem Agathonis P. Succeſſoris Domni recitata fuit in ejusdem Concilii act. quarta.

4. *Nicænum II.* ab Irene Imperatrice, et ejus filio Conſtantino convocatum fuit, ut patet ex Divali Sacra miſſa ad Hadrianum I. apud Harduin. tom. 4. Col. 21. Hadrianus miſit legatos, et acta rata habuit. *Conſtantinopolitanum IV.* indictum fuit per Baſilium Imp., ut patet ex hiſtoria hujus

Sy-

Synodi fcripta ab Anaftafio Bibliothecario, et ex Concilii act. 5. ex ejufdem Anaftafii verfione latina, ubi Helias Presbyter hierofolymitanus Patres ita alloquens inducitur: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos, et ex toto terrarum orbe Vicarios ad difpofitionem hujusmodi cauffarum colligebant, quorum more et Dei cultor Imperator nofter univerfalem hanc Synodum fecit.*

5. Socrates lib. 2. Cap. 17. refert, quod Julius P. contra Epifcopos Antiochiæ congregatos graviter conqueftus fit, *quod contra Canones ipfum ad Synodum non vocaffent, cum Ecclefiaftica regula interdictum fit, ne præter fententiam Rom. Pontificis quidquam ab Ecclefiis difcernatur.* Et Sozomenus lib. 3. Cap. 10. Julius eosdem Epifcopos accufabat, *quod præter Ecclefiæ leges ipfum ad Synodum non vocaffent; legem enim effe Pontificiam ut pro irritis habeantur, quæ præter fententiam Epifcopi Romani fuerint gefta.* Ex his Francifcus Zech S. J. *in Præcognit. Jur. Can. tit.* 9. §. 156. concludit,

Con-

Concilia generalia indicendi jus penes Pontificem esse, et absque illo habita non censeri legitima. At duo ibi lectoris attentionem merentur; inprimis quod Episcopi Conciliabuli antiocheni *contra Canones Papam ad Concilium non vocaverint:* sed hoc non concludit ad jus Papæ convocandi Concilium. Dein quod interdictum sit *ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Heinricus Valesius ait, hoc ultimum nuspiam in Epistola Julii P. legi. Sed fallitur Valesius; verba Epistolæ Julii Papæ, ad quæ respexit Socrates, hæc sunt: *an ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est, decernatur.*

6. Ne in his Julii verbis Romani præsidium quærant, audiendus est Coustant in eundem locum col. 386., qui recitatis locis Socratis et Sozomeni, atque etiam Epiphanii mutatis nonnihil verbis, tandem ait: *sententiam Julii, dum a diversis tractatur, qui eadem verba interpolare amant, quis crederet tam diversa rerum facie exhiberi potuisse?*

tuisse? dein verba Julii ita explicat, quia dum Eusebianorum legati ab ipso Julio Synodum petierunt, et Julius eorum petitioni annuens Episcopos Romam vocavit, atque plurimi jam vene rant, Eusebianis non amplius præter sententiam Rom. Pontificis Concilia celebrare, nec de controversis rebus decreta sancire, nec accusatos Episcopos damnare licuisse; falsos vero esse Socratem et Sozomenum in eo, quod Julii verba, de una Alexandrina Ecclesia ab eo dicta, de universis interpretati sint. Quippe Rom. Pontificis Speciale jus in Ecclesiam Alexandrinam ad hujus originem referri debet, utpote quæ Petrum, Romæ jam constitutum, Marci ipsius Discipuli opera fundatorem habuit.

Nota.

Absit, ut Juribus Majestaticis vel in minimo detraham, multo minus ut profanæ Potestati limites et jura proprio tantum cerebro audacius decernam. Proferam hic solumquæ communis et constans in hoc puncto sit, fueritque Ecclesiæ Traditio, Catholi-

tholicorum Doctrina atque ſententia. Ut tamen ab omni ſuſpicione vel adulationis erga Papam, vel invidiæ aut injuriæ erga ſummas Poteſtates ſeculi penitus me liberem, jungam inferius ſententias et verba præſtantiſſimi in Germania Canoniſtæ Joan. Caſpari Barthel *in hiſtoria Pacificationum Imperii*, quam publici juris factam, ſicut et alia ejus opuſcula nuper Germania ſummo plauſu excepit: hoc igitur vade ſecurus eo; intereſt quippe, ut rei veritas magis eluceſcat. Lectorem vero moneo, ut ad argumenta Febronii judicium eo uſque ſuſpendat, donec et noſtras rationes atque reſponſa rite perpenderit.

Imperatoris eſſe, et non Papæ, generalia convocare Concilia, et iisdem congregatis præſidere, primitus contendebant Lutherus, Calvinus, Magdeburgenſes, eaque de cauſſa ad Concilium Tridentinum, quod ab Imperatore non fuiſſet convocatum, venire renuerunt Proteſtantes, et ideo recipiendum non eſſe, altum clamabat Carolus Molinæus, quibus jam quodammodo præ-

lusisse videtur famosus ille Gerson: his exin se jungebant novissimi quidam Scriptores Galli, et etiam noster Febronius. Verum interim et communis semper omnium Theologorum et Catholicorum sensus fuit, jus convocandi Concilia generalia penes Rom. Pontificem esse, uti ex dicendis patebit.

Equidem Protestantes, si consequenter loqui vellent, necessario hoc jus Imperatori asserere debebant, utpote Magistratui Politico summam Potestatem in suam Ecclesiam concedentes. At ut Catholici id asserant, apertis et minime suspectis traditione et testimoniis fulciri debuissent.

Febronius hoc jus Imperatori asserit ex *officio*, populum sibi commissum *non modo ad temporalem, sed æternam etiam felicitatem promovendi, tuendique.* Bene est: hoc officium habet Imperator, et quivis in quavis Catholica Republica summus Imperans, atque hoc *officium* se etiam ad convocationem Conciliorum extendere videri posset tum, quando a Christo nullum in Ecclesia

Ca-

Caput cum Poteſtate et Jurisdictione regendi Eccleſiam conſtitutum fuiſſet, et ideo Proteſtantes ob defectum alterius Capitis in ſua Religione hoc jus Imperatori aſſeruerunt: at Capite a Chriſto conſtituto nunc quæritur, utrum *officium Tutoris et Defenſoris*, quod in ſummo Imperante eſt, ſe etiam ad jus convocandi totam Eccleſiam extendat, vel hoc jus potius ad eum pertineat, qui Caput totius Eccleſiæ conſtitutus eſt, cuique hujus Regimen concreditum fuit? de hoc jam agitur.

D. Barthel cit. opuſc. I. hiſtor. general. Pacificat. Imperii art. 3. ſic habet: *non inficior, Nicænum, ut et alia Concilia Orientis, ab Imperatoribus coacta fuiſſe, ſed ex conſenſu, indulgentia et diſpenſatione Eccleſiæ, uſæ tunc temporis prudenti, et pium Imperatorum Zelum fovente œconomia: ſive coacta fuiſſe Concilia ab Imperatoribus Poteſtate Protectionis. At nego, convocata fuiſſe ſummo jure, ſive Poteſtate Regiminis et Jurisdictionis. Duplex enim Authoritas in Conciliorum convocatione concurrere poteſt,*

 Eccle-

Ecclesiastica et Civilis: Ecclesiastica, ut damnentur hæreses, extinguantur Schismata, Sacri Canones ad sanciendam condantur Disciplinam: Civilis, ut Canones a Concilio constituti in forensi etiam Judicio vim legis obtineant, et per omnes Imperii Provincias executioni tradi, et possint ut hæreticorum et Schismaticorum contumacia imperatoria etiam authoritate comprimatur. Indixerunt igitur Synodos Romani Pontifices vel convocando Episcopos, vel eorundem convocationi præbendo assensum suum, quod fecit in Synodo Nicæna S. Sylvester, quia generalium Synodorum convocandarum Authoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari Privilegio tradita est, ut ait Pelagius II. Indixerunt easdem Synodos Imperatores, ut Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, ut ipsi opitularentur, ut Canonum se executores ac Tutores se demonstrarent. Uno verbo: indixerunt Concilia non Potestate Jurisdictionis, sed Protectionis, titulo tuitionis, qua ratione Imperator in aurea Bulla vocatur temporale Caput Populi Christiani, et in R. J. Augusti. 1518. et 1530. *et passim* der obriste

Vogt

Vogt und Schirmherr der Christenheit *salutatur*.

Recte et scite distinguit D. Barthel in Potestatem *Protectionis* et Potestatem *Regiminis ac Jurisdictionis*: hanc absolute denegat Imperatoribus in convocandis Conciliis, sed Romanis Pontificibus asserit; Potestate vero *Protectionis* Imperatores Concilia convocare posse ait, *sed ex consensu*, *indulgentia et dispensatione Ecclesiae*, quae alias ob rationes prudenti hac œconomia, et Dispensatione usa fuit, quae modo haud amplius occurrunt, et de quibus infra. Igitur jus convocandi Concilia generalia non ad potestatem Civilem, sed Ecclesiasticam pertinet, atque principaliter et primario residet in summo Pontifice, uti hic et superius probat D. Barthel. Interim dum Febronius ex generali *officio* defensoris Ecclesiae jus convocandi Concilia Imperatoribus adstruit, ipse cum aliis suae opinionis defensoribus necessario in contradictiones et pessimas sequelas incidere, atque rem omnino ad possibile reducere debuit: *hoc jus*, ait, *cuivis*

Imperanti competit in suo territorio: suadet hoc ratio jam allata. Quippe dum Imperatoribus hoc jus illo titulo concedit, aliis Imperantibus denegare amplius non potuit. Sed quid hoc monstri? ergo non solum Rex Galliæ, Rex Hispaniæ, sed minores etiam Principes et Respublicæ, qui tamen independentes sunt, atque rebus summo jure potiuntur, ex toto orbe Concilia generalia convocare possunt? olim Romanum Imperium in totum pene orbem extendebatur, Christiani omnes erant subditi Imperatoribus, ideo illos convocare, et in unum cogere facile poterant. At num hodie Galli obedient Germanis, Hispani Gallis, Veneti Regibus Siciliæ et Sardiniæ etc. etc.? num illi extra suum territorium jus dicere, aut exercere poterunt? quid sequitur? nimirum hoc, in Systemate Febroniano *Concilia generalia* hodie omnino fore impossibilia, quia nullus Imperans est, cui omnes in orbe Episcopi atque fideles subditi sunt, et tamen Febronius semper et ubivis Concilia generalia postulat, atque inclamat. Nescio, an ludat, vel illudat? saltem manifeste sibi con-

tradicit. Sed audiamus in hanc rem iterum D. Barthel loc. cit, contra Proteſtantes perorantem.

Chriſtus Eccleſiam, ait, *quam immutabilem fundavit, terrenis et Secularibus Principibus dici non poteſt ſubjeciſſe. Quid enim, ſi Imperator orbis in Idololatriam vel hæreſin labatur, quod accidit? quid ſi plurimos inter Reges Chriſtianum dividatur imperium, ut a multis Seculis diviſum eſt? quomodo petunt modo ab Imperatore convocari et cogi Concilium generale, quem ſciunt cogere non poſſe Hiſpanos, Italos ex majori parte, Gallos, Anglos, Suecos, Polonos et cæteros, ſcilicet exteros ſceptro ſuo non obnoxios? num exſpectandum erit, donec pax inter omnes illos Principes conciliata fuerit, et donec ad convocationem æcumenici Concilii omnes conſpiraverint? ſi ita eſt, Proh! quantum interim detrimenti patietur Eccleſia?*

Febronius contra Bellarminum aſſerit, *ex Scriptura* non probari, quod Rom. Pontifici competat jus excluſivum generalia

Concilia indicendi. Aſt falſo, atque inepte. Ipſe Febronius hoc jus Imperatoribus, aliisque Imperantibus aſſerit, ſed unde, *ex Scriptura* hoc probatur? certe ipſe non probat, nec uſquam probare poterit. Apoſtoli Concilia celebrarunt ſine interventu Imperatoris et cujuſcunque Poteſtatis ſecularis; et quamvis Imperatores et alii Magiſtratus tunc erant Ethnici vel Judæi, et ideo officio defenſoris Eccleſiæ Chriſtianæ deſtituti, atque inhabiles, attamen nihilominus ſummo jure Conventus Chriſtianorum prohibebant, atque tunc eadem Politia, quæ hodie, obtinuit, nempe ut occultæ machinationes contra Principem, Statum, Miniſtros evitentur, ut tranquillitati, Securitati et paci publicæ conſulatur: ſed Apoſtoli, quamquam Principibus etiam Ethnicis et Diſcolis ſubeſſe et obedire præcipiebant, his mandatis non obtemperabant, ipſi et primores Chriſtiani Concilia et Conventus, etiam occultos in Cryptis et Speluncis celebrabant, ſicque ipſo facto oſtenderunt, Magiſtratui Civili nullum jus in Sacros conventus Chriſtianorum eſſe, ipſi Eccleſiæ pro-

priam

priam Poteſtatem ineſſe, ut vel ad Myſteria ſacra peragenda, vel ad fidei, ac Religionis negotia tractanda ſeipſam congreget. Cæterum Bellarminus et Theologi communiter jus Convocandi Concilia generalia Rom. Pontifici afferunt, probantque ex illis verbis a Chriſto ad Petrum dictis Joan. 21. v. 18. *Paſce oves meas, paſce agnos meos.* Quippe in imagine et officio Paſtoris hoc jus manifeſte comprehenditur, quia ad Paſtorem pertinet congregare oves, et dum Chriſtus Petro omnes ſine exceptione oves et agnos paſcendos commiſit, atque Paſtorem univerſalem conſtituit, hinc omnes, id eſt, totam Eccleſiam congregare poterit; ſic illud jus Rom. Pontificis ex Scriptura luculenter probatur.

Quod vero Lucas act. 15. non expreſſerit, quis ibi Synodum convocaverit, et inde velle concludere, quod Petro hoc jus non competierit, id plane ridiculum, atque ineptiſſimum eſt. Apoſtoli tunc jam erant per ſe congregati: quid autem opus eſt convocare jam præſentes et congregatos? ubi

ergo convocatio facta non fuit, non potuit Lucas ex fide historiæ dicere, quis convocaverit? non tamen inde sequitur, Petro jus convocandi non competiisse, si absentes fuissent Apostoli, ac convocari debuissent. Dein communi hominum sensu, usu ac consuetudine, prout etiam rectus ordo suadet, exigitque, jus convocandi Magistratum et Consilium ad eum pertinet, qui hujus Caput est, præsidetque; dum igitur Lucas ostendit, Petrum præsedisse Concilio hierosolymitano, inde per se sequitur, ipsi etiam jus convocandi competiisse. Ideo D. Barthel l. cit. de hoc Concilio contra Febronium apte ita discurrit: *Concilium Apostoli celebrarunt, quod celebrandorum postea Conciliorum exemplar jure dicere possumus: num porro adierunt Imperatorem, ut Concilium congregarent? nequaquam. Sed convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos etc.* Et revera hoc Apostolorum Concilio demonstratur, quod Ecclesia seipsam propria authoritate congregare possit absque interventu et Potesta-

teſtate ſeculari, a qua non dependeat, nec prohiberi debeat. Ad *traditionem* provocat Febronius, hoc jus ait, Rom. Pontifici non competere *ex traditione, quæ manifeſte repugnat.* At ipſe *manifeſte* fallit, falliturque. Atque inprimis ſibi rurſus fædiſſime contradicit. Cap. 3 §. 8. num. 3. ad illa verba Auguſtini Epiſt. 190. alias 157. *Me apud Cæſaream præſente venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabili Papa Zoſimo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat:* ita reſpondet Febronius: *hic iterum nihil, præterquam univerſalis Primatus, et huic cohærens jus indicendi Synodos.* Reminiſcatur jam verborum ſuorum Febronius: ſi jus indicendi Synodos cohæret univerſali Primatui, utique eidem, quem ipſe Cap. II. ſtatuit, quemque ibi Petro et Succeſſoribus jure Divino competere, ex Scriptura et traditione probat, tunc utique jus indicendi Synodos, univerſali Primatui Divino cohærens, etiam Juri Divino, Scripturæ et traditioni innititur. At nunc hoc jus non ſolum ex Scriptura et traditione probari abnegat, ſed et Primatui Petri detrahit, in

in Principes et imperantes transferendo. Quæ cohærentia? certe veritas sibi nusquam contraria est.

Sed videamus, quid hac in re ex traditione certum sit? laudatus D. Barthel l. cit. ita præludit: *certum est ex historiæ Ecclesiasticæ monumentis, convocata fuisse tribus prioribus seculis Ecclesiæ Concilia, quædam contra Montanistas, alia ob controversiam de celebratione Pascatis dirimendam sub Victore Pontifice Maximo, alia contra Novatianos, et in caussa lapsorum Cornelii et Cypriani tempore, alia ad sanciendam Ecclesiasticam Disciplinam ante Constantini Imperium, ut Illiberitanum. In his porro Synodis convocandis nullam partem habuere Principes, sed solius Ecclesiæ effulsit Authoritas. Cum itaque quod ab Ecclesia gestum est prioribus illis seculis, quæ Apostolica vocantur, norma sit eorum, quæ sequentibus seculis gerenda sunt, sequitur, alia Concilia secutis seculis celebrata convocari jure non potuisse, nisi Ecclesiæ authoritate.* Ne mireris lector, omnia hactenus argumenta, quibus Protestan-

ſtantes premit D. Barthel, etiam confundere Febronium, quippe eandem cum illis hac in parte doctrinam tenet.

Jam ulterius demonſtrabimus, hoc jus in Eccleſia quoad Concilia generalia *ex traditione* ſoli Rom. Pontifici competere. Concilium Alexandrinum anno 362. cui Attanaſius interfuit, in Epiſtola Synodali ad Felicem P., Liberii ſucceſſorem, dicit: *Scimus, in Nicana magna Synodo* 318. *Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere absque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari.* Idem Julius I. ad Epiſcopos Antiochiæ congregatos ſcripſit. Pelagius II. P. Epiſtola ad oriental. *generalium Synodorum convocandi authoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari Privilegio tradita eſt.* In Concilio Chalcedonenſi act. 1. Dioſcorus prohibitus fuit ſedere inter Epiſcopos, *quia*, inquiunt Patres, *Synodum auſus eſt facere ſine authoritate Apoſtolicæ Sedis, quod nunquam licuit, nuſquam factum eſt.* In Concilio Romano ſub Symacho P. anno 501. cum Theodoricus

cus Rex Synodum contra Papam dire diffamatum convocaſſet, noluerunt Epiſcopi Concilium inire, cauſſantes, non ad Regem, ſed ad ipſummet Papam, quamvis accuſatum, pertinere Concilii convocationem, nec prius acquieverunt, donec Rex litteras oſtenderet, quibus oſtendebat, ipſum ex ejus voluntate Concilium convocaſſe, et etiam Pontifex præſens hoc teſtaretur. Acta enim ſic habent: *ſuggeſſerunt* (Epiſcopi) *ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum evocare, ſcientes, quia ejus Sedi primum Apoſtoli meritum, vel Principatus, dein ſecuta juſſione Domini Conciliorum venerandorum Authoritas ei ſingularem in Eccleſiis tradidit Poteſtatem.* His perceptis, *Potentiſſimus Princeps ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam litteris demonſtraſſe, ſignificavit.* Synodus generalis VII. act. 6. irritum declarat Concilium a Conſtantino Copronymo Imperatore convocatum, quia celebratum fuit ſine authoritate Rom. Pontificis. Lib. 4. Capitular. Imperat. et Reg. Cap. 12. habetur: *legitima Synodo ſuo tempore Apoſtolica authoritate con-*

voca-

vocata, cujus jussione Domini, et meritis B. Petri Apostoli singularis congregandorum Conciliorum Authoritas et sanctorum Canonum, et venerandorum Patrum Decretis multipliciter probata, tradita est Potestas. Et lib. 6. Cap. 287. *Authoritas Ecclesiastica atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari.* Vides hinc, etiam ab antiquissimis et primis Christianis Galliæ et Germaniæ Imperatoribus ac Regibus hoc jus in Rom. Pontifice agnitum, eidemque assertum fuisse, contra quam Febronius ait, *illud a Regibus Franciæ et Germaniæ jam a prima Christianismi origine fuisse exercitum.* His vero omnibus attentis, qua fronte Febronius ausus est dicere, *traditionem* huic Apostolicæ Sedis *juri manifeste repugnare?* ubi quoque notari meretur, ab Episcopis in Concilio Romano et in Capitularibus nominatum jus *ad jussionem Domini* et *D. Petri meritum ac Principatum* expressis verbis referri. Postea hanc traditionem, quam modo demonstravimus, non solum veteres græci, ac latini Doctores et Theologi, uti etiam D. Thomas plu-

pluribus in locis, pro certo tenent, sed et ipsi Febronii fautores atque Coriphæi profitentur Gerson *lib. de vit. Spirit. lect.* 3. Edmundus Richerius studiosus Pontificiæ Potestatis depressor *in histor. Concil. Cap.* 1. *n.* 7. dicens, *cum Primatus sit juris divini quoad institutionem, certe regulariter et ordinarie Synodi generales absque consensu Papæ legitime petito celebrari non debent, idque praxis Ecclesiæ primitivæ demonstrat, et Canon Ecclesiasticus, quem Julius Papa commendat.* Item Petrus de Marca lib. 6. Cap. 28 num. 12. Launoius vero, quamquam oppositæ fautor Epistola ad Raymundum formentinum fatetur, dubitari non posse, quod *Concilia generalia ante florentinum habita Rom. Pontificis authoritate indicta et convocata fuerint.* Denique Febronius ubivis Concilium Constantiense extollit, quod ipsi omni ex parte æcumenicum est: verum oculis suis subjiciat hujus Concilii Sessionem 39., ubi frequens Conciliorum celebratio decreta fuit; leget ibi non semel dictum, inculcatumque fuisse, quod Rom. Pontifex indicere et promulgare debeat Concilia statutis ibi tempo-

ribus.

ribus. Præsens ibi erat Sigismundus Imperator, præsentes Regum ac Principum Legati, nullibi in ea Sessione pro hoc negotio nominantur jura Principum, nec eorum quisquam reclamavit. Num istud tam charum tibi Concilium *traditioni manifeste repugnantia* decrevit? haudquaquam igitur mireris, in Concilio Lateran. V. Sess. 2. lectam fuisse Bullam Leonis P. X. *Pastor æternus*, atque probatum fuisse ab universo Concilio, in qua dicitur: *cum etiam solum Rom. Pontificem, pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et Potestatem habere, nedum ex S. Scripturæ testimonio, dictis sanctissimorum Patrum, et aliorum Rom. Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sanctorumque Canonum Decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat.*

Tandem legas velim Canonem 17. Concilii Constantinopolitani IV. æcumenici octavi, ubi reprobantur, ac irritæ declarantur

excusationes eorum, qui dicunt, se Patriarchæ ad Synodum vocanti parere non posse, *quia a Principibus detinentur*, *NB. cum id non possint licite Principes.* Dein asserentium, *sine Principis præsentia Synodum celebrari non posse*, *cum nusquam sacri Canones convenire seculares Principes in Conciliis sanxerint*, *sed solos antistites.* Febronius ergo Canones et traditionem non solum semper buccinet, sed etiam genuine profeat, et amplectatur; at tunc longe aliam sententiam, sensumque tenere debebit.

Equidem existimat Febronius, se quidquam profecisse, quando per quatuor numeros se demonstrasse confidit, octo priora Concilia æcumenica ab Imperatoribus convocata fuisse. Attamen longe aliter se res habet. Et quidem primo D. Barthel loc. c. ad hæc omnia ita respondet: *Porro ex facto Constantini*, *Concilium Nicænum*, *aliasque Synodos convocantis*, *et ex factis aliorum Imperatorum*, *Concilia orientalia cogentium colligi nequaquam potest*, *jus convocandi Concilia ad ipsos Imperatores*, *non vero ad Ecclesiam*

ecclesiam pertinere; quod exinde ostenditur, quod priora Ecclesiæ Concilia trium seculorum spatio sola Episcoporum authoritate, non vero Imperatorum convocata sunt. Allegat dein Concilium Apostolorum, Concilia contra Montanistas, in caussa Paschatis, in caussa lapsorum etc. habita, prout supra meminimus. Respondeo ulterius cum eodem D. Barthel, supra adducto, Nicænum et alia Concilia ab Imperatoribus convocata fuisse ex Consensu, indulgentia et dispensatione Ecclesiæ seu Romani Pontificis, atque ex prudenti æconomia; quam tunc temporis suadebat ratio, atque necessitas. *Necesse erat*, pergit ibi laudatus D. Barthel, *prioribus seculis Christianorum Imperatorum authoritatem ad Synodorum convocationem concurrere ob alias etiam rationes. Primo quia Ecclesia temporale Dominium tunc temporis non habebat, aut urbis alicujus, vel Provinciæ Imperium: neque tunc Respublica erat in Ecclesia, sed Ecclesia erat in Republica, ut ait Optatus, adeoque necesse erat; ut Imperatores locum aliquem, et urbem Imperii sui assignarent ad celebrationem Concilii.*

Secundo, quia publicis expensis deducebantur, reducebantur, alebantur Episcopi, in eoque elucebat Christianorum Imperatorum munificentia; hinc litterarum tractoriarum *usus. Tertio quia legibus cautum erat, ne conventus fierent absque Imperatorum licentia, ut patet ex Cod. Theodos. tit. de Episcop. et Cler.* L. conventicula. *non ergo coacta sunt unquam ab Imperatoribus Concilia, ut suam ab illis authoritatem mutuarentur; unde merito exclamat S. Athanasius in Epist. ad solitar. vit. agentes:* quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore authoritatem habuit? *sed ut ab eis protectionem obtinerent, ac eorum Potestate freti antistites refractariorum facilius frangerent contumaciam*, et *hoc modo Concilium Nicænum convocavit Constantinus Magnus.* Hactenus dicta Febronio, et cuivis pro Responso sufficere possunt.

Attamen quæ pro Jure Imperatorum in convocandis Conciliis generalibus ille sequentibus numeris adfert, ne quis ea pro certo et indubitato cum exclusione Rom. Pon-

Pontificis recipiat, juvat ex vetuſtis ac genuinis monumentis addere, quæ veritatem magis produnt, atque hucuſque a nobis dicta confirmant. Igitur.

Ad 1. In Synodo Generali VI. act. 18. ſic legitur in ſermone acclamatorio: *Conſtantinus ſemper Auguſtus et Sylveſter Laudabilis magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.* Futilis eſt animadverſio, quam hic interponit Launoius, nempe hæc non eſſe verba Concilii, ſed illius, qui acclamationem recitavit. Num in acclamatione publica ille non loquebatur nomine totius Concilii? ſaltem hæc verba acclamatoria publice dicta ſunt in Concilio, nemine reclamante, atque iisdem 153. Patres in Concilio ſubſripſerunt. Ruffinus lib. 1. hiſtor. C. 1. ait: *tum ille* (Conſtantinus) *ex Sacerdotum ſententia apud urbem Nicæam Epiſcopale Concilium convocat.* Si ex Sacerdotum ſententia, tunc maxime ex ſententia primi et ſummi Sacerdotis Rom. Pontificis, ad quem utique, quæ in toto mundo circa fidem agebantur, referri debebant.

bant, quique iis de rebus anno præcedente cum ipſo Conſtantino, tunc Romæ exiſtente egerat, et qui ſuos legatos, ut Concilio præeſſent, miſerat. Sardicenſe Concilium fuit appendix Concilii Nicæni, hoc a Julio P. convocatum fuiſſe, conſtat ex ſupra cit. Epiſt. Athanaſii *ad Solitar.*, in qua ſcribit: *Romanus Epiſcopus juſſit, Synodum fieri, ubicunque vellemus*. Concilium *Conſtantinopolitanum I.* tunc, quando illud convocavit Theodoſius, nondum æcumenicum fuiſſe et generale *totius Eccleſiæ*, de quibus Conciliis modo loquimur, apud eruditos notum eſt: ſed tantum fuit generale *totius orientis*, uti conſtat ex Theodoreto lib. 5. Cap. 7. *Theodoſius Epiſcopos duntaxat imperii ſui Conſtantinopolim juſſit convenire.* Notum eſt quoque, Theodoſium tunc temporis ſoli orienti imperaſſe. Factum eſt autem tum Concilium *æcumenicum* et *generale* totius Eccleſiæ, quando anno ſubſequente Damaſus P. Romæ congregavit Concilium, atque ad hoc Epiſcopos orientis vocavit: hi excuſationem quidem prætendebant, attamen convocationem eſſe agnoverunt: ſic

enim

enim aiunt: *Conveneramus Constantinopoli ad litteras a Reverentia vestra superiori anno post Concilium Aquileiense ad Religiosissimum Imperatorem Theodosium missas* (ergo nec in oriente sine authoritate et consensu Damasi P. Concilium celebrarunt) *ad hoc solum iter Constantinopolim usque instructi, et de hac tantum Synodo Episcoporum, qui in Provinciis remanserant, consensum afferentes, cum de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec quidquam ante audissemus, quam Constantinopolim pervenimus.* Dein in eadem Epistola: *nunc vero postquam Synodum Romæ nutu Dei congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos Charitate vestra, tanquam membra propria, per Religiosissimi Imperatoris litteras evocastis.* Ex his duo contra Febronium manifeste evincuntur. 1*mo* eodem tempore, quo ille ait, Imperatoribus jus indicendi Concilia et convocandi competiisse, Damasum P. non tantum in occidente Concilium celebrasse, sed etiam ad hoc Episcopos orientis evocasse per litteras, quas ipse Theodosius ad Episcopos misit. 2*do* hi ad litteras Rom. Pon-

tificis, Concilium indicentis, se convenire debere agnoverunt, et quod non convenirent Romam, non defectum authoritatis in convocante, sed angustiam duntaxat temporis, velut legitimæ excusationis rationem protulerunt; imo ut quantum pro conditione temporis fieri poterat, se obedientes ostenderent, misserunt suo nomine tres Episcopos, Cyriacum, Eusebium, et Priscianum cum Epistola Synodica et actis Synodi Constantinopolitanæ superioris anni ad Damasum et Concilium Romanum, quæ dein ibi Damasus P. confirmavit teste Photio *lib. de 7 Synod.* ad Michaelem Imp. *quibus haud multo post*, ait, *et Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans, atque sentiens accessit.* Sic tandem Concilium Constantinopolitanum, quod prius tantum orientis erat, æcumenicum et generale totius Ecclesiæ evasit. Corruit ergo ex toto argumentum Febronii, Concilium Constantinopolitanum I., quatenus æcumenicum est, a Theodosio Imp. convocatum fuisse.

Ad 2. Concilium *Ephesinum* a Theodosio Juniore et Valentiniano Imp., attamen cum

cum consensu et authoritate Cælestini P. convocatum fuisse, satis colligitur ex Chronico Prosperi et historia Evagrii lib. 1. Cap. 4. Quamvis enim idem non sit consensus et authoritas, in eo tamen, qui authoritatem habet, sufficit consensum præbere, ut ejus Authoritate aliquid factum esse censeatur. Hic consensus seu Authoritas Cælestini patet quoque non solum ex litteris ejusdem ad Cyrillum Alexandrinum, in quibus ei Papa ad hoc negotium suas vices commisit, atque Cyrillus ipse dein Concilium petiit, sed id etiam clarius elucet ex ipsa Concilii relatione ad Theodosium Imp. missa, ubi Concilium sic ait: *hæc, antequam sanctissima Synodus conveniret, Cælestinus I. magnæ Romæ Episcopus per litteras suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo, Deoque dilectissimo, magnæ Civitatis Alexandrinæ Episcopo, ut vices suas subiret, commiserat.* Igitur, quæ in caussa Nestorii gesta sunt, prius Cælestinus *per litteras* significaverat, nihilque sine ejus consensu gestum fuit. Imo Gennadius, qui vixit circa an. 490. *Cap.* 54. *de Scriptor. Eccles.* ait, *Calestinum Papam Decreta Synodi*

adversus Nestorium dictasse, volumenque descriptum ad orientis et occidentis Ecclesias misisse.

De Concilio *Chalcedonensi* res tam certa est, ut vel cæcutiat, vel ambobus pedibus conculcare debeat tot veterum testimonia, quibus aperte demonstratur, illud Concilium præprimis consensu et authoritate Leonis P. convocatum fuisse, quamquam opera et auxilio ad id præstante Marciano Imperatore. Inprimis patet hoc ex ipsis litteris Marciani Imp. ad Leonem P. *superest*, inquit Imperator, *ut si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, et Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur, nostris utique desideriis satis faciet, et sacræ Religioni, quæ sunt utilia, decernet.* Pulcheria quoque Augusta ad Leonem scripsit: *tua Reverentia, quocunque modo perspexerit, significare dignetur, ut omnes Episcopi — — — facto Concilio — — te authore decernant.* Hæc ad invitationem pertinent pro indicendo, convocandoque Concilio. Leo P. Epistola ad Marcianum sic

ſic ſcribit: *litteras dedimus ad fratres et coepiſcopos noſtros, iisque Concilium generale indiximus.* Et quamvis S. Leo Epiſt. 114. ad Epiſcopos congregatos ſcribat; *ex Praecepto Chriſtianorum Principum et conſenſu Apoſtolicae Sedis* placuit, Concilium congregari, non ſolum hic aperte conſenſus Rom. Pontificis exprimitur, ſed et ea verba, *ex praecepto Chriſtianorum Principum*, interpretationem accipiunt ex ſupra allegata epiſtola Marciani ad Leonem, ubi Imperator Papam invitat ad indicendum Concilium, quod ſi venire non poſſit, conſenſum petit, additque ſe ad Epiſcopos orientis, Thraciae et Illyrici ſcribere velle, ut conveniant: item ex alia Epiſtola Leonis 93. *ad Concil. Chalced.* ubi ait; *amplectendum eſt Clementiſſimi Principis plenum Religione Conſilium, quo ſanctam fraternitatem veſtram — — — voluit convenire, beatiſſimi Petri Apoſtoli jure atque honore ſervato, adeo ut nos quoque ad hoc litteris invitaret.* Quibus ſignificat, jus Apoſtolicae Sedis ita ſervatum fuiſſe, ut Concilium non absque hujus conſenſu et authoritate fuerit convocatum,

catum, atque ipse Leo ad hoc celebrandum prius invitatus sit; ideo Episcopi secundæ Mysiæ *Part.* 3. *Concil. Chalcedon. Epist.* 32. *ad Imp. Leon.* scribunt: *in Chalcedonensium Civitate multi sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere Caput est Episcoporum.* Et Gelasius Papa Epist. ad Episcop. Dardan. *Sola Sedes Apostolica, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sua authoritate decrevit.* Vides, ex his omnibus, hujus Concilii convocationem soli authoritati Rom. Pontificis adscribi, et quidquid Imperator hac in parte gessit, solummodo ad officia et auxilium pertinere, idque consulto et assentiente Pontifice. Tandem qualiter Concilium Chalcedonense sine authoritate Rom. Pontificis convocatum fuisse, vel leviter conjici, minus dici poterit, quando ipsum Concilium facto et verbis probat, Concilium sine authoritate Sedis Apostolicæ celebrari non licere, dum Dioscorum inter Episcopos sedere non permittebat, eoquod Synodum celebrare, ausus sit absque authoritate Sedis Apostolicæ, *quod nusquam licuit, nusquam factum.*

Ad

Ad 3. Justinianus Imp. indixit Concilium *Constantinopolitanum II.*, sed non sine consensu et authoritate Vigilii P., quem consensum ipse Vigilius pluribus in locis aperte contestatus fuit: Epist. ad Eutichium ait: *vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus. In Edicto Justiniani hæc Vigilii verba ponuntur: Dispositioni Serenitatis vestræ præbuimus Ecclesiasticæ pacis amore consensum*: atque in ejusdem Concilii Collat. 8. *consensit* (Vigilius) *in scriptis in Concilio convenire, et disceptare nobiscum de his tribus Capitulis.*

Scripsit Constantinus Pogonatus Imp. ad Domnum P. de Concilio Constantinopolim cogendo, atque in inscriptione Epistolæ vocat *universalem Papam*, quod Febronio placere non poterit. Mortuo jam Domno Agatho ejus Successor Romæ Concilium cogit 125. Episcoporum, ut caussam orientalium contra Monothelitas dijudicaret; misit

dein

dein legatos cum Epiſtola ad Concilium Conſtantinopoli celebrandum. Quis jam dicat, hoc Concilium ſine conſenſu Rom. Pontificis coactum fuiſſe, quando negotium iſtud Imperator jam cum Domno P. agitabat, quando Agatho illius Succeſſor legatos ad illud miſit, et epiſtolam? ipſe Agatho Concilium in occidente Romæ prius coadunavit, qua authoritate? utique non Imperatoris, utpote qui Concilium non Romæ, ſed in oriente poſtulabat? igitur ſola authoritate Rom. Pontificis, qui propria authoritate illud Romæ coadunavit, poſtea ad inſtantiam Imperatoris legatos cum authoritate pro celebrando Concilio Conſtantinopolim miſit, quod etiamnum patet ex litteris Agathonis ad Imperatorem.

Ad 4. Quamquam olim Imperatoribus in congregandis generalibus Conciliis non nullæ partes fuere ob rationes ſuperius à Barthelio allatas, quia nempe Epiſcopi publicis Reipublicæ et Imperatoris ſumptibus deducebantur, ſuſtentabantur, quod hodie haud amplius fit, et ideo ad cogenda Con-

cilia

cilia beneplacitum et consensus Imperatorum necessario exquiri debuit: nihilominus hactenus ex historia, quæ ante Concilium *Nicænum II.* contigere, mire elucet, Concilia absque consensu et authoritate Sedis Apostolicæ celebrata, invalida, nulliusque roboris esse: econtra hujus authoritate celebrata omnino ab Ecclesia tanquam legitima agnosci et honorari. Constantinus Copronymus sine authoritate Sedis Apostolicæ coegit, et celebravit Concilium 330. Episcoporum Constantinopoli, quod se sub nomine generalis Septimi efferebat. At licet Imperator illud convocaverat, et quantuscunque fuerit numerus Episcoporum congregatorum, nihilominus tanquam Pseudo-Synodus ab Ecclesia agnita et reprobata fuit. Econtra Gregorius II. Gregorius III. et Stephanus IV. etc. Monothelitas damnant, acta illius Pseudo-Synodi rescindunt, etiam ipsum Leonem Isaurum Imp. anathemate percutiunt, horumque sententia in tota Ecclesia obtinuit. Quænam igitur in Conciliis congregandis, celebrandisque major est Authoritas, num Romani Pontificis, an vero Imperatoris?

Quod

Quod vero ipſum Concilium Nicænum II. attinet, Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus inauguratus ſtatim fidei ſuæ Profeſſionem, ſupplicesque pro convocatione Concilii litteras miſit ad Adrianum I. Rom. Pontificem. Ad eundem ſcripſere pariter Conſtantinus et Irene, rogantes, ut Conſtantinopolim venire dignaretur, ipſe Concilio præfuturus, vel legatos mitteret, per quos præeſſet. Extant hæ litteræ in 6. tom. Concil. edit. labb., ubi litteræ Auguſtorum ſic habent: *Rogamus veſtram Beatitudinem, imo vero Dominus rogat, — — — ut det ſeipſam, nec tarditatem faciat, et aſcendat huc. — — — Quod ſi non potuerit aſcendere huc, — — — eligat viros honorabiles etc.* Hæc utique verba non ſunt propria authoritate ſuprema convocantis Concilium, imo nec mere invitantis, ſed enixe poſtulantis, ſupplicantisque, ut adeo illud Concilium ſine aſſenſu et voluntate Papæ congregatum fuiſſe dici nequeat. Plura addere non vacat, quippe in hoc Concilio, atque in litteris Adriani P. ſumma hujus Poteſtas et Authoritas in regen-

genda tota Ecclesia multipliciter elucet, et aperte declarata fuit.

Quod attinet Concilium *Constantinopolitanum* IV., Basilius Imperator ob turbas et violentias Photii Patriarchæ jam ad Nicolaum I. P. ita scripserat: *de his sententiam et judicium a Sanctitate tua fieri, pronuntiarique petivimus, et vero nunc petimus etc.* Hadrianus II. vero Nicolai Successor ad Basilium ita rescripsit: *quod hæc Sedes hujusmodi mederi posset vulneribus, — — — liquido didicisti. Atque ideo hæc curare cupiens Apostolicæ Sedis Decreti remedium sanissime requisisti, cujus nimirum medicamentis Ecclesia Constantinopolitana, sæpe Præsulibus ejus languentibus, infirmata pristinam sospitatem, vigoremque resumpsit.* Et postea: *volumus ergo per vestræ Pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi Præsidentes et culparum, Personarumque differentias liquido cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant.*

 Ex

Ex his discet Febronius, cujus authoritate convocatum fuerit Concilium Constantinopolitanum IV. ? dum vero in suam sententiam etiam allegat Anastasium Bibliothecarium, advertat, hunc in Præfat. hujus Synodi Hadrianum P. ita alloqui: *missis cum authoritate Apostolica vicariis, et Epistolis Decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli Synodum.* Haud inficior, in oriente ab Imperatoribus convocata fuisse Concilia Generalia: hoc solum assero cum D. Barthel et Theologis comuniter, testante id Traditione atque historia, illud ab eis factum non fuisse summo jure, propria authoritate, et Potestate Regiminis, neque sine consensu, voluntate aut dispensatione Romanorum Pontificum, missis quandoque ab his ad Imperatores litteris convocatoriis, sic ut hi nec titulo Defensoris Ecclesiæ propria authoritate Concilia congregare possent contra Pontificum voluntatem et assensum. In hoc sensu non solum Helias Presbyter hyerosolimitanus, sed et alii veteres historiæ Ecclesiasticæ Scriptores intelligendi sunt. Quinimo nullum Concilium ab Imperatore, vel

alia

alia Poteſtate ſeculari convocatum unquam habitum fuit pro legitimo et æcumenico, niſi acceſſerit Rom. Pontificis conſenſus.

Ad 5 *et* 6. Omni ratione ſufficiente deſtitui, gratisque omnino, utpote nullo præeunte Patre, confictam eſſe interpretationem et gloſſam Conſtantii, id ſatis, convincenterque demonſtravi *in Not. ad Cap.* 4. §. 8. Quo Criterio P. Couſtant verba Julii ad ſolum arbitrium Papæ ab Euſebianis Pontifici oblatum referre, dein de ſola Eccleſia Alexandrina interpretari audet, quando Julius ipſe expreſſis verbis et ſimpliciter *conſuetudinem*, non *compromiſſum* vel *arbitrium* ſibi delatum vocat? quando Socrates, Sozomenus, S. Epiphanius *Canonem*, *regulam*, *legem Eccleſiæ* eſſe dicunt? quando Concilium Alexandrinum anno 362. hunc Canonem in magna Synodo Nicæna *renovatum* fuiſſe teſtantur? Dum vero Julius P. *conſuetudinem* vocat, hæc certe ultra Concilium Nicænum ſe extendere debet, cum conſuetudo univerſalis in re magni momenti per totum orbem intra breviſſimum tempus, nempe intra ſeptemdecim annos introduci

O 2 non

non possit. Quippe Concilium Nicænum celebratum fuit anno 325. et Julius Papa Epistolam, in qua allegat hanc consuetudinem, scripsit ad Eusebianos anno 342. Porro quando juxta hunc *Canonem Ecclesiæ ab Ecclesiis præter sententiam Romani Pontificis nihil decerni* possit, et *pro irritis* habentur, tunc inde satis concluditur ad jus Papæ convocandi Concilia, quia ejus authoritas necessario debet intervenire, ut sint legitima: supra cit. Concilium Alexandrinum expresse dicit absque sententia Rom. Pontificis *non debere Concilia celebrari.*

Pariter hoc jus non de sola Ecclesia Alexandrina, sed universaliter intelligendum est: de Canone universali loquntur illi scriptores, neque Julius hanc *Consuetudinem* ad solam Ecclesiam Alexandrinam restringit: ratio autem, quam pro hac affert P. Coustant, quia a Petro orginem duxit, ab eoque fundata fuit, pari jure etiam valet pro Ecclesia Antiochena, et adhuc magis pro Romana: sed in his tribus Patriarchatibus tunc tota Ecclesia constituebatur: ergo Rom. Pontifici hoc

hoc jus in tota Ecclesia competiit, et quidem non alio titulo, quam ex prærogativa Petri; unde non nisi ad hujus Primatum referri debet.

Dum vero Febronius contra Heinricum Valesium fatetur, Canonem Ecclesiasticum, quod absque consensu Romani Episcopi non liceat, quidquam ab Ecclesiis decernere, vel Concilia celebrare, in illis verbis Julii inveniri, eo ipso sequitur, constantem et communem jam ante Concilium Nicænum traditionem fuisse, quod Concilia generalia, et etiam alia, in quibus de rebus magni momenti, caussisque majoribus agitur, absque consensu et authoritate Rom. Pontificis celebrari non posse. Confer Cap. IV. §. 8. in Not.

§. III.

Tacito Principum et Ecclesiarum Consensu jus congregandi universales Synodos Romano Præsuli dimissum fuit: Non tamen absolute, et pro omni casu.

Separato orientis Imperio ab occidentali, hocque insuper in plura Regna diviso, non amplius erat in unius Principis pote-

ſtate, omnes Chriſtiani orbis Epiſcopos in unum locum congregare; magna quoque Difficultas erat, omnium Principum ad hoc obtinere conſenſum, ideo uſu et tacito quodam Principum et Eccleſiarum conſenſu hoc jus ſoli Rom. Pontifici, tanquam primam Sedem tenenti dimiſſum fuit, ita tamen, ut Chriſtianorum Potentatum aſſenſus non excludatur, aut prætermittatur, quia Epiſcopi, tanquam horum ſubditi, absque eorum conſenſu non poſſunt deſerere Eccleſias ſuas, regna et Provincias, et ſine illorum concurſu non valet ſervari concordia inter Sacerdotium et Imperium; ideo Paulus III. Julius III. et Pius IV. in Bullis ſuis circa convocationem et celebrationem Concilii Tridentini expreſſe dicunt, ſe conſuluiſſe, et certiores feciſſe Imperatorem, Reges ac Principes. Attamen ex eo inferri non debet, illos irrevocabiliter a ſe abdicaſſe jus congregandi Concilia æcumenica, præſertim in caſu, quo a Papa id cum magno Eccleſiæ incommodo fieri omitteretur.

Hoc jus ſibi vindicavit Fridericus I. Imp. in Epiſt. ad Concilium Papienſe, citans

tans Constantinum, Theodosium, Justinianum, Carolum M. et Ottonem Imp. De hoc jure in Concilio Florentino inter Latinos et Græcos altercatum legitur. Idem vindicatum fuit a Carolo V., uti cernitur in Præfat. Synodi August. anno 1748. Ideo tamen Summus Pontifex ab eodem jure, et proprio quidem, non excluditur, sed solum ostenditur, Convocationem Concilii non esse *reservatum* Papæ Jure Divino, sed nec eidem *soli* competere humano Ecclesiastico, sed tandum tacito consensu Principum, *communiter* quidem, sed non pro *omni casu*.

1. Anno 1408. in Conferentia Doctorum Florentiæ habita unanimi voto conclusum fuit, in casu Schismatis inter duos Pontifices a Cardinalibus Concilium congregari posse, atque tunc legitimum esse. Concilium Pisanum a Cardinalibus convocatum fuit. Propter impedimentum Pontificis sive Physicum sive morale convocatio Concilii generalis omittenda non erit. *Si adesse Concilio Pontifex propter infirmitatem non possit, an propter infirmitatem Papæ infirmi-*

tas Ecclesiæ tam periculosa negligetur? inquiunt Patres Basileenses ad Eugenium Papam.

2. Gerson multis locis recte statuit, quoties de ipso Papa judicando agitur, jus ejus congregandæ Synodi cessare, illudque ad Principes et Episcopos redire. De hoc jure Principum etiam scribit Aeneas Sylvius.

3. Multo magis unum Concilium æcumenicum de assensu Principum aliud sequens indicere poterit. Act. Cap. 6. Concilium a toto Apostolorum Collegio convocatum fuit: *convocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum dixerunt.* Universitas Cracoviensis tractatu anno 1440. edito dixit, ex hoc Scripturæ loco ortum habere potuisse celebre illud Decretum Concilii Constant. de frequenti Conciliorum generalium celebratione.

4. Cum juxta omnes in casibus extraordinariis Concilium universale absque Papa congregari possit, nempe in casu Schismatis,

tis, item si Papa sit hæreticus, si detentus, si mente captus, si aperte Simoniacus, si moliatur ea, quibus universam pessumdet Ecclesiam etc., nemo diffitebitur, in iisdem casibus Papæ Concilium anteponi, quare etiam in hunc finem ab aliis convocari poterit.

5. Concilium semel rite coadunatum impedire valet, ne Papa illud intempestive dissolvat. Dum Eugenius P. Reformationem suæ Curiæ subodoratus, et excessus in Pontificia Potestate moderationem veritus Concilium Basileense transferre moliretur, Patres ad eundem scripserunt, per discessum Joannis XXIII. Concilium Constantiense non fuisse dissolutum, finaliter pronuntiatum fuisse, ejus recessum fuisse illicitum et scandalosum.

6. Andreas Magorensis in Gubernaculo Conciliorum Part. 7. pag. 277. observat, quod in Concilio per Concilium convocato possit a Papa, Concilium in exercitio suorum jurium impediente, recedi, et ei

 fieri

fieri *obedientiæ ſubtractio* juxta Can. Anaſtaſius 9. diſt. 19., ubi dicitur, *quod multi Clerici et Presbyteri ſe communione Anaſtaſii Papæ* ſe abegerunt. Licet hic Canon a correctoribus Romanis confictus habeatur, nihilominus ſatis indicat, quæ hac in parte diſciplina viguerit ante Gratianum et Ivonem, qui ſuo illum Decreto quoque intulerat.

NOTA.

Quantumcunque plauſibiliter hæc dicta ſunt, nihilominus totam ſuam firmitatem et robur adhuc obtinent ea, quæ ſuperiori paragrapho in Notis dedimus. Quin Febronius hic non parum ſibi contraria, partim falſa, et partim ad rem non pertinentia edicere cogitur. Sufficit nobis authore D. Barthelio, Germaniæ Canoniſta celeberrimo, aliisque argumentis invictis oſtendiſſe, jus convocandi generalia Concilia Imperatoribus, Principibusque ſummo Jure ac Imperio, tanquam Coronæ annexum, neque etiam titulo Defenſoris propria authoritate competere, quamquam il-

lorum

lorum conſenſus, officium et auxilium excludi non debeant. Quod igitur proprio ſuo jure privative non tenent, ad Papam dimittere non poſſunt, neque hic aliunde accipere, quod ipſe Jure Primatus jam habet, uti ſupra monſtravimus. Attamen ne et iſta a Febronio addita lectori adhuc dubium moveant, paucis ea diſcutiemus.

Agnovit Febronius moderno Imperii, rerumque ſtatu non tam difficultatem, ſed ferme impoſſibilitatem congregandi Concilia generalia, ſi Jus hoc Imperatori et omnibus Principibus ſupremis, prout ſuperiore paragrapho egit, privative aſſeratur; ideo ne carentiam juris fateri cogatur, effugium adinvenit, atque ab illis ad Papam dimiſſum eſſe ait. Sed quæſo: num Chriſtus ſuam Eccleſiam ita fundavit, ut in ſe ipſa pro omni caſu et Statu remedium non haberet, ſuis neceſſitatibus ſubveniendi, ſublevandique? ſi neceſſe foret, aliquando pro mutabilitate temporum, Monarchiarum et regnorum jura ac media pro bono rectoque ordine Eccleſiæ et fidei immutare, quare non primitus ita inſtituit? talia divinæ Sapien-

tiæ

tiæ ac Providentiæ, quæ suam Ecclesiam immutabilem, firmamque esse voluit, non conveniunt. Et qualiter tale jus Imperanti debitum vel inhærens dici poterit, quod ipse exercere non potest, atque necessario dimittere debet? Quiquid autem dicas, de jure Principum in Episcopos suo territorio obnoxios, si de regimine Ecclesiæ agatur, nullibi legitur, Spiritum S. posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei cum dependentia ad Potestates Seculares: Apostoli tale jus non docuerunt, nec recognoverunt, potius contrarium facto probantes, et Concilium Constantinop. IV. Can. 17. non admisit exusationes eorum tanquam legitimas, qui dicebant, se ad Concilium vocatos parere non posse, *quia a Principibus detinentur, cum id non possint licite Principes.*

Ait dein Febronius, Principes hoc jus non abdicasse *irrevocabiliter*, et *pro omni casu.* Sed ut quis jus suum revocare possit, eo in statu sit, necesse est, ut hoc semper necessitate emergente exercere possit; quod si non possit, censendum est, jus nullum esse; neque dici potest *jus impeditum*; nam jura

jura suprema impediri nequeunt, semperque activitatem ac vim habent.

Interim nemo nescit, quantum Fridericus I. sibi in jura Ecclesiæ arroganter præsumpserit, Pacem Ecclesiasticam turbaverit, Schisma in Ecclesia incenderit, foveritque, atque eandem in Capite et membris plurimum afflixerit. Verum est, quod Fridericus consuluerit promptos in sua sensa leguleios, qui eidem adulantes mox consentiebant, sibi in convocandis Conciliis idem, ac olim Justiniano, Theodosio, Carolo jus esse: at mox patuit, hoc jus effectu carere, atque frustraneum esse. Fatetur id novissime Michael Ignatius Schmidt in histor. german. Part. 2. lib. 6. Cap. 4., Author de adulatione in Rom. Pontifices nullibi suspectus. Hic l. c. ait, mox visum fuisse, quale discrimen inter *Constantinum* et *Fridericum*, id est, inter Romanum, et Romano-Germanicum Imperatorem intercesserit. Tot solum Episcopi comparebant, quod *in Dominio Friderici* existebant, nempe ex Lombardia et Germania: *Fridericum* equidem,

ne

ne videretur ſibi nimium arrogaviſſe, expreſſe declaraviſſe, *quod remoto omni ſeculari judicio hoc tam magnum Eccleſiæ negotium Eccleſiaſticarum tantum Perſonarum ſententia ſopiatur.* Sed hac declaratione non tamen Reges et Epiſcopos Galliæ ac Angliæ ullo labore in ſua vota flectere potuit. Porro jam diximus cum Barthelio, Eccleſiam olim cum antiquis Imperatoribus circa convocationem Conciliorum prudenti æconomia uſam fuiſſe alias ob rationes, inter quas nunc illa finem accepiſſe videtur, quod Epiſcopi publicis Imperatorum expenſis iter conficere, alique debebant; ex quo neceſſe fuit, tot Epiſcopis de tractibus, commeatu, ſecuritate, aliisque aditer neceſſariis providere, Epiſcopos et Præſides Provinciarum de ſubſidiis præſtandis inſtruere, ſic ut ſine expreſſo Imperatoris conſenſu et voluntate, quæ ipſis manifeſta fieri debuit, convenire non poſſent.

Exemplum ſeu potius altercatio græcorum in Concilio florentino pariter ad rem non eſt: utpote qui per hoc ipſum Schiſmatici erant, quod Primatum et Poteſtatem

tem Rom. Pontificis non agnoſcerent; In his vero, ut ſæpe monui, non lites et diſcordiæ, ſed finis litium et Conciliorum attendi debent.

Carolum V. in Rom. Pontifice jus indicendi Concilia generalia recognoviſſe, ex ejusdem actis et litteris multipliciter conſtat. Febronius ipſe Tom. 4. part. 1. Diſſert. 2. Cap. 5. in medium profert Epiſtolam Caroli V. ad Clementem VII. P., ubi illum ſic ſcribentem inducit: *ſupplicantes propterea veſtræ Sanctitati, illamque in Domino hortantes, quatenus pro ſuo Paſtorali officio, proque cura et ſollicitudine gregis ſibi commiſſi dignetur ipſum ſacrum generale Concilium indicere, et convocare etc.* Si convocatio Conciliorum generalium *ad Officium Paſtorale, curam et ſollicitudinem gregis commiſſi* refertur (quod utique nemo negaverit) tunc abs dubio *ad jura Primatus* pertinet. Cæterum repeto hic rurſum, quod in Concilio generali Conſtantinop. IV. ſtatutum fuit, nempe irritas eſſe excuſationes eorum, qui aſſerunt, *ſine Principis præſentia Synodi celebrari non poſſe, cum nuſquam ſacri Canones convenire*

Se-

culares Principes in Conciliis ſanxerint, ſed ſolos antiſtites. Item quod Athanaſius *Epiſt. ad ſolitar. vit.* agentes ait: *quando unquam Judicium Eccleſiæ ad Imperatore authoritatem habuit?* quamquam hæc cum moderamine, nempe convenienter ad ſuperius dicta de officio et authoritate Principum intelligenda ſunto.

Ad 1. Hæc non ſunt ad rem. Quæſtio verſatur extra caſum ſchiſmatis, in quo dubius eſt Papa: in dubio enim Pontifice etiam jura ejus *in facto* ſunt dubia et incerta: in hoc vero caſu Eccleſiam et Cardinales per ſe, et his renitentibus Principes Concilium convocare poſſe, nemo negat. Sed quare hic Febronius poteſtatem convocandi Concilium *ad Cardinales*, et non potius ad Imperatorem ac Principes privative remittit? hoc ſuæ ſententiæ palam adverſatur.

Ad 2. Quamvis Gerſon hac in parte, de quo jam ſæpius diximus, authoritatem vix habeat, nihilominus hic *lib. de vit. Spirit. anim.* lect. 3. ait: *habet itaque Papa Dominum Superioritatis a Chriſto ſupra totam*

tam Ecclesiam, cum Plenitudine Potestatis in eis, quæ Spirituale regimen Ecclesiæ proprie respiciunt. — — — De cujus Potestate sunt jus convocandi Concilia universalia etc. His si sibi alibi contradicat Gerson, mea parum interest. Etsi enim ibi casus quosdam excipiat, nihilominus etiam in sententia Gersonii manet regula immobilis et generalis, quod Convocatio Concilii universalis *ex Dominio superioritatis a Christo* acceptæ, et *ex plenitudine Potestatis* ad Rom. Pontificem pertineat.

Aeneas Sylvius vero solum ait, Imperatorem ad eradicandum *Schisma operam navare cæpisse*, atque de celebrando Concilio *Regibus ac Principibus scripsisse*, quod utique *Ecclesiæ advocatum* decet, nullibi vero ait, ipsum Imperatorem Concilium evocavisse. At si Gerson, si Aeneas Sylvius, si adhuc alii illud jus simpliciter, pro omni casu, et privative Imperatori assererent, quid hi omnes contra traditionem superiori paragrapho monstratam valerent?

Ad 3. Quod unum Concilium legitimum generele possit aliud sequens indicere, pariter certum est. Verum hic intercedit utique authoritas Rom. Pontificis, quia legitimum et generale non censetur, nec est, sine Capite Rom. Pontifice; quod si talis tunc non existat, convocatio seu indictio confirmari et fieri debet a Papa, subsequenti et legitimo, uti factum est in Concilio Constantiensi a Martino V. circa decretum *frequens.*

Ad 4. Iterum extra viam vagatur Febronius. In dictis casibus vel Papa est dubius, vel omnino cessat esse Papa, vel quasi civiliter mortuus, et a suo officio obeundo physice aut moraliter impeditur: in his Ecclesia pro suis necessitatibus seipsam congregare posse, vel etiam Papæ prævalere, quis negat? sed ab his ad Papam certum et legitimum gressus facere non licet. Interim his iterum nihil probas pro Jure Imperatorum et Principum.

Ad 5. Imprimis injuria et calumnia afficit Sanctissimum Pontificem Eugenium. Basile-

ſileenſes vero falſo ſuppoſito laborant. Joannes XXIII. non fuit certus et indubius Papa: ejus diſceſſu non fuit Schiſma ſublatum, ſed auctum; dubius vero Pontifex Concilium certum, et in tali caſu ad tollendum Schiſma legitime congregatum utique diſſolvere non valet; veruntamen ab iſto exemplo ad certum et legitimum Papam procedi non poteſt, uti fecerunt Baſileenſes, qui per hoc ipſum Schiſma fecerunt.

Ad 6. Tandem pateſcit, quo fine Febronius Rom. Pontificibus jus convocandi Concilia eripere conatus ſit, ut nempe viam ſternat ad ſeditioſam illam ſententiam *de Subtractione obedientiæ.* Toleranda foret hæc doctrina, ſi Papa tanquam Caput Eccleſiæ ab ipſo corpore ſeu Eccleſia conſtitutum fuiſſet, ſi a Corpore influxum et authoritatem haberet: at dum Petrus, et ejus Succeſſores a Chriſto Caput Eccleſiæ conſtituuntur, dum ab illo influxum et authoritatem habent, non poſſunt corpus et membra Capitis jura præripere, vel his pro libitu limites ponere. Miſeret me Febronii,

 qui

qui schismaticos, rebelles, imo conficta, falsa, et quidquid in Ecclesia perperam gestum est, in auxilium vocare debet, ut opiniones et errores suos confirmet: hoc præter hactenus dicta patet ex cit. Can. *Anastasius*, quem ex Andrea Magorensi adducit. Hunc Canonem, ait, *quamvis a Correctoribus Romanis pro conficto habeatur*, *satis indicare*, *quæ hac in parte Disciplina viguerit ante Gratianum et Ivonem.* Febronius toties et passim in falsas Isidori decretales insurgit, fere omnia jura Rom. Pontificis iisdem superstrui existimat, ideoque conficta et inania esse pronuntiat : nunc autem ipse pro se citat falsum Canonem *Anastasius.* Dein Cap. III. §. 9. in Not. alibi ostendi, quod Isidori Decretales ut plurimum in hoc tantum spuriæ sunt, quod falsum nomen authoris, aut ætatem, quam non habent, præferant, attamen paucis demptis, et sententiis et verbis legum, Canonum antiquorum et Ss. Patrum, qui in quarto et quinto seculo floruerunt, concinnatas fuisse, uti Petrus de Marca, ipse Launoius, Natalis Alexander, et dein præstantissimi scriptores faten-

fatentur. Ex his ultro ſequitur, Iſidori Decretales ante Siricium P., quæ vulgo falſæ dicuntur, ut plurimum tantum quoad nomen authoris, et ætatem inſcriptam falſas eſſe, non quoad Doctrinam et materiam, quam continent, ſed potius Doctrinam et Diſciplinam quarti et quinti ſeculi præſeferre teſte eodem de Marca, aliisque. Econtra Febronius modo Canonem profert, qui non tantum quoad nomen authoris, ſed in ſe ipſo, ſeu quoad materiam, quam continet, confictus eſt. Antonius Sandinus *in vit. Anaſtaſii II. P.* ait: *vana refert author libri Pontificalis, cum ait, Clericos et Presbyteros ſeparaſſe ſe ab eo*, nempe Anaſtaſio; *etenim hæc contra Anaſtaſium ſparſa eſſe ab Schiſmaticis Laurentinianis, dicit Baronius.* Et in annotat. ad n. 4. *Baronio adſtipulantur alii, quorum rationibus narratio libri Pontificalis refellitur.* Tandem proferens has rationes oſtendit, hanc narrationem et Canonem quoad omnes partes commentitiam et falſam eſſe. Sed totus falſus hic Canon quomodo veram diſciplinam ante Gratianum et Ivonem indicare poterit?

num amplius jure et absque contradictione in Isidori Decretales debachari valet Febronius, qui ipse falsissimum omni ex parte Canonem in argumentum assumsit, dum tamen alii Canones, paucis demptis, genuinam Disciplinam proferunt? ex his rursum videat lector, qualibus ormis pugnet Febronius, qui nec contradictiones abhorret. Cæterum, quæ in posterioribus Tomis de Convocatione Conciliorum generalium iterum reproducit Febronius, cum jam dictis fere coincidunt, ideoque per nostras Responsiones in Notis ad præcedentes duos paragraphos satis præocupata fuerunt.

§. IV.

Duplex in Conciliis Præsidium, unum ab Imperatoribus, alterum regulariter a Pontificibus exercitum.
His etiam competit jus proponendi, et primam sententiam edicendi, attamen salvo Jure Episcoporum.

Utriusque Præsidii meminit Relatio Synodi Chalcedonensis ad Leonem P., *quibus tu quidem sicut membris Caput præeras in*

bis

bis qui tuum tenebant ordinem, *Benevolentiam præferens: Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime præsidebant*, *sicut Zorobabel et Jesus.* Primum ad Præsidium summi Pontificis pertinet, cum quo Jure Præsidii uaturaliter connexum est jus proponendi, competens Præsidi cujuscunque Collegii. Ad inde non evincitur *Superioritas Papæ supra Concilium* tam parum, quam ex Præsidentia et Directorio cujusque Præsidis in quocunque alio Corpore sive Politico, sive Ecclesiastico.

1. Hæc in Regula, et nisi Concilio aliter visum fuerit, in cujus potestate est, etiam præsentibus legatis Pontificiis alteri deferre Præsidium. Gibert ait, multas rationes suadere, quod Osio in Concilio Nicæno delata fuerit Præsidentia ab ipso Concilio cum beneplacito Imperatoris: Sylvestri P. legati vero post Osium supscripserunt. in Concilio Constantinopolitano I. neque Damasus P., neque ejus legati præsentes erant, et tamen hæc Synodus in Epist. ad eundem se *universalem* nominat ante omnem Romani Pontificis consensum.

2. *Jus*

2. *Jus proponendi* Rom. Pontifici in generalibus Synodis competens nullatenus impedire poteſt, quo minus alii ordinate proponant, quidquid Pontificis Perſonam, Prætenſiones, vel alias Eccleſiæ utilitates poſſet concernere. Clauſula *Proponentibus legatis* in Tridentino adhibita nonnihil invidiæ præſetulit contra jura Epiſcoporum. Gibert ait, quod introductores hujus clauſulæ inter alias perverſas intentiones etiam hanc præcipuam habuerint, impedire ſinceram Romanæ Curiæ emendationem ſive quoad commercium Beneficiorum, Diſpenſationum, abſolutionis caſuum Reſervatorum, ſive quoad uſurpationem Juris Epiſcoporum, ſive quoad luxum, molitiem, earumque turpes effectus etc.

3. Multis de hac re tractatibus habitis Concilium Seſſ. 24. de Reform. Cap. 21. declarat, *mentis ſuæ non fuiſſe, ut in verbis*, proponentibus legatis ac Præſidentibus, *ſolita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam præter id, quod a ſa-*

cris

eris Canonibus, *vel generalium Synodorum forma hactenus statutum est*, *cuiquam adderetur*, *vel detraheretur*. Sic jura Episcoporum salvata sunt, licet eorum usus factus non fuerit.

4. Exercuit Papa insuper in æcumenicis Conciliis *Jus Relationis*, *seu primæ sententiæ*, ita ut ipsius sit referre ad Patres, de quo censendum sit, et primam sententiam edicere, quæ accedente Patrum sententia Definitionis vim nanciscitur. Sic de Marca, et Thomassinus.

NOTA.

De his Febronio litem non moveo. Imperatores Conciliis quandoque interfuerunt, vel etiam præsiderunt, non quidem ut *Judices* et *Caput* Concilii, sicuti in Concilio Nicæno contestatus fuit Constantinus M., sed ut Defensores et tutores Conciliorum, quod ad meram Politiam et ordinem exteriorem attinet, ut recte monet Febronius. *Superioritas Papæ* vero *Supra Concilium* utique ex hoc Præsidio in Con-

cilio *per se* non probatur; ficut nec superioritas Metropolitani supra Concilium Provinciale: attamen magna Disparitas adhuc intercedit, et quæritur, undenam *Præsidium* in uno fundet, aut arguat *Superioritatem*, in altero non fundet, nec arguat? Metropolitanus, qui jus Præsidii habet in Conciliis Provincialibus, illud ipsum habet per Canones et jure humano Ecclesiastico: igitur. Hoc jus, sicut alia ejus jura se ulterius non extendunt, nisi quatenus ei concessum est. Papa econtra jus Præsidii tenet ex jure intrinseco Primatus: hunc a Christo habet, ejus vices subeundo, non jure humano. Quando igitur a Cap. I. hucusque per omnes paragraphos probavimus, hunc Primatum Divinitus institutum esse *Jurisdictionis* et *Potestatis* in universam Ecclesiam, ultro consequitur, hoc Præsidium non esse meri *ordinis* et *Directionis*, sed *Superioritatis.*

Ad 1. Igitur a Concilio hoc jus Papæ aufferri non potest. Quod Osius non tanquam legatus Pontificis, sed ex *Beneplacito Imperatoris* Concilio Nicæno præsederit, ne-

que

que Gibert probat, neque rationes Launoii persuadent. Osium præsedisse, asserit Athanasius, testis Synchronus et præsens, in Epist. ad Solit. et in Apolog. aliique passim; neque Launoius hoc negat. Præsedisse autem nomine Sylvestri P. tanquam hujus legatus asserit Gelasius Cyzicenus, author græcus Seculi V., *Osium Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinuisse una cum Romanis Presbyteris victore et vincentio.* Id etiam constat ex Epitome Canonum, quod Hadrianus P. Carolo M. obtulit, in Præfat. ex Photio lib. de 7 Synod. ex Cedreno in Compendio historiar. ex Nilo Rhodio libell. de Synod. ex Gregorio VII. Cap. 3. apologet. ex Leone IX. in Epist. ad Michael. Patriarch. Constantinop. ex Hincmaro Rhemensi in opusc. contra Hincmarum Laudunensem etc. Dein Osius non potuit præsidere ut legatus Constantini; quippe hic ipse personaliter aderat præsens: neque hic Osio jus præsidendi dare potuit, cum ipse se illud non habere professus sit, sedens humiliori loco infra Episcopos. Denique nec Concilium ei jus Præsidii dedit, quia hoc

nus-

nusquam probari poterit, et in actis Concilii nullibi legitur, cum tamen res momenti fuisset: non sufficit autem tale factum asserere, sed et congruis testimoniis probari debet. Vana igitur sunt somnia et commenta Launoii, quem Gibert secutus fuit.

Concilium Constantinopolitanum I. per se non fuit generale, nisi quatenus cum occidentali Romæ per Damasum P. celebrato conjunctum, uti supra diximus; soli enim orientales universam Ecclesiam repræsentare non poterant. Sed Romano præsedit Damasus P., Constantinopolitanum vero ad se missum confirmavit, et sic generale factum est. Nec te moveat, quod Synodus Constantinop. jam prius se nominet *universalem*, quippe per hoc solum intelligit *universalem totius orientis*, non *totius orbis*; nam hoc tunc adhuc falsum fuisset; notum est autem, etiam alias magnas Synodos se nominasse *universales* et *plenarias*, quamquam generales non sint.

Ad 2. 3. *et* 4. Quis hoc impedit, ut alii Episcopi in Conciliis ea ordinate proponant,

quæ

quæ toti Ecclesiæ vel necessaria vel utilia videntur? an non id factum, et libere factum fuisse in omnibus Conciliis videmus? probent interim Gibert et Febronius, non solum afferant sinistras et *perversas intentiones*, *quas introductores Clausulæ*, proponentibus legatis, *habuerunt*, et sine certis argumentis tot probra et contumelias in summos Pontifices, et tam multos viros, dignitate et Sapientia præclarissimos non spargant. Pallavicinus lib. 23. Cap. 12. contra Suavem hanc clausulam apte atque firmissime defendit, quin ea officiat libertati Concilii et juribus Episcoporum. An non in omni Republica bene ordinata id optime constitutum est, ut in conventu plurimorum non indiscriminatim omnes sine ordine proponant, sed tantum unus vel duo ad vitandam confusionem, fastidium atque tumultum? cæterum Gibertum atque Febronium, qui in hac parte ferme ex solo ore Protestantium loquuntur, confundit, ac solide refellit iterum Barthelius laudato opusc. I. histor. et general. Pacific. Imp. art. 3. *libertas*, ait, *in Concilio Tridentino nequaquam defuit.*

fuit. Liberum inprimis fuit respectu suffragiorum; Patres enimvero liberrime in omnibus et singulis conventibus atque Sessionibus sententiam dixisse super iis etiam rebus, quæ legatos et ipsum Summum Pontificem spectabant, in aprico est tenore Decretorum ejusdem Synodi. Pallavicinus commemorat ex actis Paleoti, variisque litteris lib. 7. C. 8. et 13. triginta et unum Episcopos Italos, severissimæ sententiæ de Residentia Episcoporum adhærentes, ut nimirum Juris divini declararetur, cum apud Summ. Pontificem insimulati essent, quasi parum addicti Sedi Apostolicæ, et ad ejus abjectionem conspirantes, scripta ad ejus Sanctitatem epistola se purgasse: Pontificem ipsis rescripsisse, sibi probari pium ipsorum animum, Sedi Apostolicæ addictum. Quod spectabat ad declarationem, quam ipsi promovendam studio tam ardenti susceperant, cujusnam esset juris Episcoporum Residentia, certum sibi esse, pro sua quemque conscientia disseruisse: id sibi minime displicere, quin velle se summam cuique libertatem in Concilio servari, sed illos ad concordiam et moderationem paterne hortari.

Ad

Ad hæc Rom. Pontifices, etsi Concilium suis interdum consiliis juvarent, summam Patribus reliquisse libertatem, constat porro ex Epist. Farnesii Cardinalis ad legatos sub Paulo III. data die 25. Maij anno 1546. refert ille, cum legati Summo Pontifici indicassent, quod statuendum Sess. 5. de prælectionibus, concionibusque parabatur, idque Romanæ trutinæ fuisset commissum, et varii varia super eo, uti solet, animadvertissent, ea omnia Pontificem cum legatis communicasse, sed hac addita declaratione, id agi, non ut imperaret, sed admoneret, et quo complurium judicio perspecta possent, quod optimum esset, statuere. Neque tenet exceptio prima, libertatem ex eo Patribus ademptam, vel imminutam fuisse, quod legati Pontificii rerum proponendarum arbitrium ad se solos traxerint, idque in Concilio exprimi curarint formula, proponentibus legatis; *hi vero nihil proponerent, nisi quod Rom. Pontifici placuisset, unde illud populare increbuit:* Spiritus S. Roma Tridentum in mantica defertur: *nam respondetur, in Conciliis omnibus proponendarum rerum authoritatem fuisse*

ſe penes Rom. Pontificem, vel ejus legatos; vel penes Præſidem, cum nec Pontifex, nec legati ejus adfuere. Id omnino fuiſſe neceſſarium ad vitandam confuſionem, quæ ſane maxima fuiſſet, ſi penes omnes Poteſtas fuiſſet proponendi, et in deliberationem mittendi extra ordinem, quidquid ipſis in mentem veniſſet. Probat dein ex antiquis Conciliis, ex Marciano et Pulcheria Auguſtis in epiſt. ad S. Leonem P. ſemper ſervatum fuiſſe, *ut legati Pontificii vel Pontifex ipſe rerum proponendarum eſſent arbitri, Suffragii prærogativa potirentur, iisque autboribus cuncta decernerentur.*

Poſt hæc proſequitur Barthelius: *Nemo tamen propterea dicere auſus eſt, Spiritum ſanctum Ephesum, Chalcedonem, Conſtantinopolim in mantica miſſum a Cœleſtino, Leone, Agathone, Pontificibus maximis, vel ademptam Epheſinæ, Chalcedonenſis et Sextæ Synodi Patribus ſuffragiorum libertatem. Adde, quod legati proponere non renuebant, et in deliberationem mittere, quod Patres ſuggeſſiſſent, ac Principum Oratores Dominorum ſuorum nomine poſtulaſſent: et præ-*

te-

terea singulis proponere licebat, quæ necessaria vel utilia publicæ rei videbantur per opportunitatem suæ proferendæ in ordine sententiæ de alio argumento; eaque libertatis forma servata semper in Concilio fuit, ut constat ex actis et litteris, in ejusdem historia passim prolatis. Denique per hanc formulam, proponentibus legatis ac *Præsidentibus, Tridentina Synodus non intendit immutare, nec revera immutavit consuetam in generalibus Conciliis tractandi negotia rationem, uti declaratum est Sess.* 24. *de Reform. Cap.* 21.

Pariter Didacus Payva lib. 1. defens. Trident. fidei ait: *testari certe ipse possum, nihil fuisse a Patribus magis exoptatum, a legatis vigilantius procuratum, quam ut nihil in eo non libere, pacate, atque legitime fieri, certissimis argumentis constaret.*

Quod attinet alteram exceptionem, quod non posset Papa in Concilio judicari, vel contra ejus Personam, prætensiones, abusus quidquam decerni, si ipse vel ejus

 le-

legati solum præsideant, jusque proponendi haberent, quod multoties repetit, objicitque cum Acatholicis Febronius. Ad hoc D. Barthelius loc. cit. iterum nervose respondet: nam respondetur, ait, *quod Canon et consuetudo antiquissima prærogativam suffragii, sive quod idem est, jus præsidendi in Conciliis œcumenicis, imo et Synodis quibuscunque, in quibus negotia, universalem Ecclesiam spectantia, tractarentur, Pontifici Romano tribuat, ut constat ex Epistola Julii I. P. ad orientales Eusebianos, cujus meminit Socrates lib. 2. hist. Eccles. Cap. 13. in qua scribit, eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quod illum ad Concilium non vocassent; quippe cum Canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Romani Episcopi in Ecclesia sanciantur. Eum Canonem et ecclesiæ morem spectat Concilium Romanum, ex episcopis Italiæ et Galliæ coactum sub Damaso Pontifice Maximo, quod Ariminense conciliabulum ex eo relevat inter alia, quod Episcopus Romanus illi non interfuisset, cujus præ cæteris erat exspectanda sententia. Ita enim scribunt hujus Concilii Patres in Epi-* *stola*

ſtola Synodica ad Illyricos apud Theodoretum lib. 2. *Cap.* 22. ſiquidem numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet, præſertim cum formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cujus ſententia præ cæteris exſpectanda erat, neque aliis eidem conſentientibus.

Poſtquam Barthelius dein ex traditione probaverat, Romanos Pontifices olim ſemper fuiſſe Præſides Conciliorum generalium, tandem ad illam objectionem ita perorat: *ſi locum habeat illa exceptio*, nempe quod Papa non poſſit eſſe ſimul Præſes Concilii et pars litigans, nec poſſet judicari, *nullum in Eccleſia Dei Concilium ſubſiſteret; quis enim Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, quis poſtremis temporibus Anabaptiſta, Quakerus etc. adverſus Eccleſiam, Concilia, Pontifices, vel alios quoscunque, ſuis erroribus infeſtos expoſtulare non poſſet, ipſos Judices legitimos in eorum cauſſa eſſe non poſſe, cum Eccleſiam, quæ ipſos damnavit, novitatis et corruptelæ circa fidem pari-*

 ter

ter postularent? ab Ecclesiæ origine ad Tridentinam usque Synodum revolvantur, ac repetantur historiæ: exploratum erit, ab ipsa Ecclesia constanter judicatos et damnatos eos esse, qui ejusdem doctrinam pertinaciter impugnarunt, vel ab ejus communione discesserunt.

Cæterum dato etiam, quod apud Pontificem et ejus Curiam scandala et corruptelæ fuerint, et sint: propterea is non amittit dignitatem et officii Potestatem cum prærogativa suffragii in decidendis quæstionibus fidei et morum. Supra Cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi, quæ docent, non quæ faciunt, imitanda: quis enim dicere ausit faciunt, imitanda: quis enim dicere ausit, Principes Seculares peccando, vel dando Scandalum suis Sedibus, Potestate, et juribus excidere? Sane si Decreta Tridentini de reformatione legeris, facile animadvertes, Concilium recta docere, monere, hortari, reprehendere, sive illa Pontificum et Romanæ Curiæ, sive Regum et Magnatum sint. Nemo vel Simoniam rel alia flagitia probavit,

vit, sed vero judicio omnes amputanda censuerunt, licet multorum malis impares sint leges, quod solum illi nesciunt, qui genus humanum ignorant.

Hactenus Barthelius Giberto in plurimis longe præferendus, utpote ex quo Febronius ad Caput I. integram appendicem contexuit, ut saltem hujus authoritaie sibi fidem conciliet.

Interim Launoio et Giberto non adeo multum deferimus, quamquam Febronius P. Schmidt tom. III. in animadverf. pag. 283. idcirco vellicat, aiens: *probat ille se juvenem Canonistam, quando de Giberto et Launoio cum quadam specie vilipensionis loqui affectat.* Febronius authores sibi adversantes non solum vilipendit, sed et lectoribus contemptibiles reddere, ac contumeliis afficere non horret: econtra propitios sibi, qualescunque demum sint, laudat, et super æthera tollit: hæc apud eruditos *præjudicia* vocantur, atque præoccupati animi signa sunt. Nos rationem habemus, cur Launo-

ius nobis in pretio non ſit. Theophilus Raynaudus tom. 18. in Polem. Verbo *Joannes Launoius* ait, eum *eſſe os ferreum, ingenium procelloſum, tumultuoſum, factioſum, ciendis turbinibus natum: Scriptiones ejus non alias extare, quam aliquot Satyras etc.*, illum *Supremi Senatus areſto* in Gallia *notatum infamiæ, impietatisque*, atque ita *de Launoio* teſtari *teſtes idoneos et complures.* Similia habet Berninus. Hæc autem vera eſſe, ſufficit legiſſe lucubrationes et pagellas Launoii.

De Giberto petitur, ut non ſolum aſſerat, ſed probet etiam, quæ aſſerit, idque non ſolum ſuppoſitis indeciſis, et ex authoribus, qui ipſum mox præivere, atque jam ab aliis vel convulſi ſunt, vel aliunde notati, ſed argumentis et authoritate, quæ illos ſuperant, et nulla ratione convelluntur: eandem ſemper aliorum crambem recoquendo et repetendo, nemo ſibi ſingularem authoritatem conciliat.

Porro quod adhuc Jus Rom. Pontificis attinet, convocandi nempe Concilia generalia,

ralia, iisque præsidendi, admonere debemus Febronium, quæ ipse scripserit Cap. II. §. 1. *de Jur. Primatus* num. 4. ubi ait: *hunc locum* (Capitis Ecclesiæ) *etiam post mortem Christi retinuisse Petrum, constat ex actis Apostolorum, ubi Cap.* 1. *primum coegit Concilium.* In hunc locum dein citat S. Chrysostomum etc. igitur convocandi Concilia Rom. Pontifici competit Jure Primatus, quod ex ipsa Scriptura probatur, fatente ipso Febronio. At superiori paragrapho utrumque et jus Papæ convocandi Concilia et hoc ex Scriptura probari negavit. En contradictio. Dein cit. L. inferius post plura ex actis Apostolorum relata concludit: *unde magis magisque declaratur, Ecclesiæ cœtibus præsidendi jus ita fuisse huic Apstolo concessum, ut illud nemo in controversiam vocarit, nemo non libentissime tulerit.* At præsenti paragrapho in *controversiam* vocat, ægreque hoc jus fert Febronius, dum illud Conciliis defert, *si his ita visum sit,* atque Capiti Ecclesiæ vixdum *precario* concedit, ita quidem, *ut in Concilii facultate sit, etiam præsentibus legatis Pontificiis al-*

teri deferre præfidium. En iterum palmaris contradictio ! Primatus eft juris Divini a Chrifto inftitutus : fi igitur jus convocandi et præfidendi Conciliis ad hunc Primatum pertinet, uti Cap. II. l. c. afferit, nullatenus *in facultate Concilii eft*, hoc jus ufurpare, aut alteri deferre ; quippe hoc jus Concilium non dedit, neque tollere aut imutare poteft, quod divinitus inftitutum fuit.

Mitiorem fe in pofterioribus tomis præbet, ubi hoc jus ad Concilium reftringit folum in cafu, quo Pontifex *non velit ei præfidere, fi neceffitas poftulet Concilium.* Sed hæc longe diverfa funt. Superius dixerat, poffe Concilium alteri deferre Præfidium, quando *ei vifum fuerit*, item *præfentibus etiam Pontificiis legatis*: igitur quoque tum, quando Pontifex per legatos præfens vult præfidere : nunc ait, id folum valere, quando Papa *renuit præfidere.* Attamen contradictiones non curat.

Interim cafus, quem Febronius ponit, mera hypothefis eft, quæ non fiet, neque fieri

fieri posse a providentia et assistentia Capitis invisibilis Christi præsummendum est. Et si fieret, observandum est, quod in Regula præscripsit Concilium generale VIII., Constantinopolitanum IV. act. 10. Can. 21. *Si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter, et cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, et solutionem accipere, aut proficere et profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romæ Pontifices.* Videat, qualiter reverentia Summo Pontifici custodiri debeat, et simul necessitati Ecclesiæ consuli absque violentis illis remediis, subtractione obedientiæ, eversione Jurium Primatus etc., quæ hodie Febronius, aliique præscribunt, quæque non nisi Schismata et Seditiones in Ecclesia gignere possunt; quippe per illam generalis Concilii Regulam frænum etiam ponitur tot irregularibus Episcoporum conventibus, qui sub arrogato Concilii nomine violentias, Schismata, tumultus, Seditiones excitarunt,

 ut

uti factum est a Dioscoro, Photio etc. etc., et quam Regulam si præ oculis habuisset Basileense Concilinm, Schisma non conflasset: sed ab his non abhorret Febronius, qui conculcatis juribus Primatus ubique necessitatem et utilitatem Conciliorum inculcat, etiam oblata contra summos Pontifices subtractione obedientiæ, et si audiatur, pessime consultum erit Bono et Paci Ecclesiæ.

Porro adhuc per se certum est, talem Synodum, quam suadet Febronius, regulariter fieri non posse, nisi ex una parte certa et aliunde irremediabilis sit necessitas Ecclesiæ, et ex altera manifesta et pertinax renitentia Papæ: de hac tamen hypothesi tunc sermonem movere poterit, quando in actum reductam esse viderit.

Denique in simili casu nihil valet paritas cum *Sede vacante* aut *Metropolita.* Etenim *Sede vacante* vel exspectari debet novus Pontifex, et interim ab Ecclesiis provisorie agendum, uti in caussa Lapso-

rum

rum Cypriano respondit Ecclesia Romana, vel præprimis curandum, ut eligatur Caput Ecclesiæ, ut dein res plena Ecclesiæ authoritate decernatur: absente vero *Metropolita* Decanus seu Primus Provinciæ Episcopus secundum dispositionem Ecclesiæ Præsidium obtinet, utpote cui, sicut et Metropolitæ hoc jus ab Ecclesia concessum est: at Primatus Petri nec in alios transit, neque Dispositioni Ecclesiæ subjacet, ideo a Concilio suppleri aut exerceri nequit. Reliqua, quæ in aliis tomis de præsidio Conciliorum repetit Febronius, jam satis præoccupata sunt.

§. V.

Generalium Synodorum Decreta non indigent Pontificia confirmatione. Hujus non usum probant acta singulorum Conciliorum.

Optandum quidem est, ut Summi Pontificis consensus accedat ad Concilii conclusa, ad evidentius nempe opponendum adversariis universalis Ecclesiæ consensum. At si Papa subscribere recuset, et universalis Ecclesiæ definitioni se accomodare, poterit Concilium adversus illum uti authori-

tate

tate sua. Ita formaliter declaravit Concilium Constantiense Sess. III. et Basileense Sess. II. hæc declaratio, quam respuunt ultramontani, exprimit doctrinam Ecclesiæ *Galicanæ*, imo verius *universalis*. Ita etiam Turrecremata lib. 3. Cap. 10. confer etiam inferius Cap. IX. §. 9. Cum aliunde certum sit, omne Concilium a dominatione Papæ liberum esse debere, Synodalia Decreta absque illius approbatione tum maxime vigorem obtinent, quando de ipsiusmet *Pontificis Persona et prætensionibus agitur.* Observant eruditi, ante duodecimum Seculum nullam Synodum deprehendi, cujus Decreta sub nomine Pontificis fuerint concepta. Antea loquebatur, et decernebat suo nomine Synodus, et merito quidem.

1. Triplex *Synodorum Species* distinguenda venit. *Prima*, quibus ipse Pontifex interfuit. *Altera*, quibus adfuit per legatos. *Tertia*, quibus neutro modo interfuit. Ad primam Speciem pertinent Concilia *Lateranensia*, *Lugdunensia*, *Viennense* et *Florentinum*. In his nullibi legitur, Pontifi-

tificem rogatum fuisse pro confirmatione, sed nec ab illo proprio motu confirmata fuisse; sed nec opus est tali confirmatione, aut per hanc pleniorem tribuere authoritatem Concilio, cui ipse Papa adfuit, omnique sua Potestate ad ejus Decreta condenda concurrit. Decreta Conciliorum Lateranensis IV. et V. Lugdunensium et Viennensis concepta fuerunt sub nomine Pontificis cum clausula, *Sacro approbante Concilio*: igitur horum confirmationem petere, idem esset, ac rogare, ut Papa suummet opus firmaret. Si autem confirmatio intelligatur pro nuda declaratione, quod decreta legitime facta sint, de tali confirmatione hic non agitur, neque fructum habent, cum Papa declararet id, quod ex modo concipiendi Decreta jam satis intelligitur.

2. Ex nullo monumento probatur, Conciliorum, quibus Papa per legatos adfuit, Confirmationem a Sede Romana, rogatam fuisse. Quoad Concilium Nicænum I. nulla apparet requisitio confirmationis ex parte Synodi, aut ejus concessio

ex

ex parte Pontificis præter utramque ſpuriam apud Harduinum tom. I. Col. 343. et 344. unde potius patet, quid ſerius Romani imperitis perſuadere tentaverint, quam quid dictaverit geſtorum veritas.

Ex Concilio *Ephesino* Patres Epiſtola ad Cœleſtinum P. exponunt, quæ geſta ſunt, nullo verbo a Papa ſuorum Decretorum confirmationem rogantes. Neque ex Commonitorio a Cœleſtino legatis tradito argumentum pro abſoluta Rom. Pontificis Poteſtate, in hoc Concilio exercita, deſummi poteſt, ut putat Cardinalis Orſi. Prudenter utique egit Pontifex inſtruendo legatos ſuos, ne contendentium Epiſcoporum diſſidiis ſe immiſcerent, *cum Synodo utique*, in qua Papa legitimi Primatus prærogativam recte ſuſtinuit, Judicis autem partem minime *ſolus* egit.

Concilium *Chalcedonenſe* Epiſtola ad Leonem P. non petivit Confirmationem ſententiarum, quas in hæreſes ipſas et earum authores tulerat: eam tamen poſtulavit ad aliud factum multo minus grave, nempe

quod

quod Patriarchæ Conſtantinopolitano ſecundus in Eccleſia gradus concederetur, cui legati Pontificii repugnabant. Itaque Synodus cupiens tollere hanc qualemcunque difficultatem, recurrit ad Pontificem, petens ſub *confirmationis* verbo ratihabitionem eorum, quæ contra voluntatem legatorum acta fuerant. Diverſa hæc agendi ratio *circa duo Capita* docet, Concilium non putaviſſe, quod ſua, Decreta, *annuentibus legatis* confecta, confirmatione Pontificis indigeant: econtra eam utiliter obtineri pro roboratione Decreti, *iisdem legatis repugnantibus* concepti circa rem, de qua citra Primatis univerſalis concurſum diſponi non poſſe exiſtimabatur. vid. Epiſt. Leon. M. 90. Cap. 2. et Epiſt. 87. Cap. 1. item Febronii Cap. V. §. 4. n. 3.

Concilium *Conſtantinopolitanum III.* videtur ab Agathone P. poſtulare Confirmationem per verba Synodalis Epiſtolæ, *quam*, doctrinam, *ut iterum per honorabilia Scripta confirmetis*, *veſtram rogamus paternam Sanctitatem*. Sed multum abeſt, ut Patres petant confir-

firmationem, de qua hic agitur; rogant enim duntaxat confirmationem, quæ ſita eſt in *nova approbatione*, quæ cum ſit *novum teſtimonium*, Pontificem Concilio conſentire, definitionem aliquatenus corroborat. Firmat hunc ſenſum verbum *iterum*, evincitque nihil aliud peti a Pontifice, niſi ut rurſus faciat, quod jam fecit.

Epiſtolæ Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Hadrianum P. ſcriptæ poſt celebrationem Concilii *Nicæni II.* annumerari poſſunt iis epiſtolis, quæ *Synodi relationes* appellantur, et de quibus credibile eſt, ſimiles epiſtolas ad alias quoque inſigniores ſedes miſſas eſſe. Talis etiam epiſtola circularis ſcripta fuit a Concilio *generali VIII. Conſtantinopolitano*, probabiliter miſſa ad omnes Epiſcopos abſentes, vel ſaltem eorum præcipuos: inſcripta Hadriano II. definit in hæc verba: *vos autem Conventum omnium noſtrum, et conſonantiam hujus Synodi benevole recipite, et precibus apud Deum veſtris confirmate.* Hæc longe a Confirmatione authoritativa abſunt. Hæc

de

de Conciliis *Orientis*. Quantum ad Concilia *occidentis*, quibus per legatos Papa adfuit, nullum nofcitur, Confirmationem rogaffe a Pontifice præter unum *Tridentinum*: qui Bullam Pii IV. Tridentini confirmatoriam confecit, in hiftoria Conciliari parum erat verfatus, dum ait, Concilium petendo confirmationem veterum fequi veftigia Conciliorum. De *Conftantienfi* et *Bafileenfi* Conciliis actum eft fupra §. 1.

3. Sine ullo Pontificis interventu habitum eft Concilium *Conftantinopolitanum I.* fub Damafo P., quod nullam Roma confirmationem petiit, atque ex epiftola Synodica ad Damafum P., Ambrofium Mediolanenfem, Brittonem Trevirenfem, Valerianum Aquileienfem directa manifeftum eft, ante omnem Rom. Pontificis confenfum pro æcumenico habitum fuiffe, dum ait: *Si tomum Synodi antiochenæ, et eum, qui fuperiori anno Conftantinopoli a Synodo univerfali eft editus, infpicere dignamini.* Idem eft de *Conftantinopolitano II.* Epiftolam Vigilii Papæ Decretalem pro confirmatione

 hu-

hujus Synodi ſuppoſititiam eſſe notat Harduinus, idque probari a Joanne Garnerio S. J., nec de tali confirmatione in illa Epiſtola ullum verbum legitur.

4. Quædam acta, ad executionem Conciliorum pertinentia, ſine omni præjudicio dici poſſunt facta in illorum *confirmationem.* Sic Concilium *Conſtantinopolitanum I.* Epiſtola ad Theodoſium Imp. confirmationem geſtorum ſuorum petit: *rogamus igitur Clementiam tuam, ut per litteras Pietatis tuæ ratum habeatur Concilii Decretum.* In fine Concilii generalis VI. extat Lex Conſtantini Pogonati ad Joannem P. in confirmationem Concilii ſub hac Rubrica: *Exemplar Divinæ juſſionis Juſtiniani Auguſti, directæ ad Joannem P., urbis Romæ in confirmationem* VI. *Synodi Conſtantinopolitanæ.* Vide plura apud Boſſuetum lib. 13. Cap. 2. 9. etc. etc. Pariter Concilia generalia per Pontificiam confirmationem nihil impetrare intendebant, quam litteras eorundem executioni inſervientes per teſtimonium approbationis Capitis Eccleſiæ.

5. Ti-

5. Finaliter triplicem poteſt habere *Confirmatio* ſenſum: authoritatem impertiri: ratum habere: agnoſcere, quod requiſitæ ſolennitates fuerint obſervatæ. Non declararunt Patres Tridentini, quo ſenſu a Papa confirmationem peterent: veroſimile eſt, diverſis motivis impulſos, Italos ſub prima notione Confirmationis, Gallos, Germanos, Hiſpanos ſub ſecunda et tertia petiiſſe, ita ut ea via concorditer abſolveretur Concilium, et per unitatem Confirmationis declararetur unitas Concilii, ſub tribus Pontificibus celebrati.

6. Boſſuetus lib. 13. Cap. 10. ait: *Libenter quærerem, ludantne nos Synodi, cum abſolute ac decretorie pronuntiant*: ſi quis non ita ſenſerit, anathema ſit. *Ac nimis profecto ineptiunt, qui hæc anathemata intentari reſpondent a Synodis ſub ratihabitione et confirmatione futura ipſius Pontificis. At ſaltem audiant has formulas ab omnibus Synodis frequentatas, quæ effectum ipſum denotant*: ab Eccleſia projecimus, privavimus, nudavimus omni dignitate. *Ac rurſus alio modo*: nudatus eſt, privatus eſt, projectus eſt, *tan-*

quam perfecta re, quam ipsi pendere volunt. *Postremo si adhuc hæsitant, esto illud ab VIII. Synodo decretum, peremptorium haud minus adversus eorum sententiam, quam adversus Photium.* Nos eum inobedientem et resistentem Sanctæ huic et universali Synodo repulimus, et anathematizavimus, atque a tota et Apostolica Ecclesia fecimus alienum, per datam Nobis potestatem in Spiritu S. a primo et magno Pontifice nostro liberatore et Salvatore cunctorum. *Quid enim exspectant, qui sic pronuntiant?*

Nota.

Inexcusabilem se reddit Febronius, dum a Conciliis Constantiensi et Basileensi gradationem facit *ad doctrinam Ecclesiæ Gallicanæ, imo verius universalis.* Primatum Capitis, qui in Petro et ejus Successoribus constitutus est, nec totum Concilium sibi arrogare aut exercere potest. In controversia autem cum ipso Capite, summo Pontifice, observandum est, quod ipsa Ecclesia in Concilio generali VIII. legitime congregata Can. 21. docuit, præscripsitque, nempe

cum

cum convenienti reverentia sciscitare, solutionem accipere, proficere, et profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere adversus summos Rom. Pontifices.

Concilium Constantiense utique non de certo et indubio Capite, sed de casu Schismatis, tunc præsenti, loquebatur: et si de quovis et certo Pontifice intelligi deberet, ubinam hac in parte, et circa hæc Decreta tanquam legitimum et generale agnitum, et acceptatum fuit a tota Ecclesia? contrarium utique altercationes ad hodiernum usque diem testantur, quod supra in Diggress. ad §. 1. luculenter demonstravi. Quandonam in Ecclesia, qui illis decretis in adversariorum sensu omnem authoritatem abnegant, pro hæreticis sunt habiti? quod tamen fieri debuisset, si illa Decreta in eo sensu a Concilio Constantiensi et universali Ecclesia legitime sunt definita. Dein an non idem Concilium, quod se supra Pontifices efferre dicitur, ab his non semel legem accipere debuit, quando Gregorius XII., qui tamen indubitatus Pontifex

non fuit, primas tredecim hujus Concilii Sessiones publice per suum legatum abolevit, irritavitque inspectante, et non reclamante Concilio: et Martinus V. legitimus Pontifex non nisi quae ad fidem et mores pertinent, eaque solum, quae *conciliariter* acta erant, *et non aliter* confirmavit?

Basileense autem, cum a Regula illa Concilii generalis VIII. deviaret, jam a Sessione secuuda cœpit esse Schismaticum, et in Conciliabulum desiit. His ait, niti *Doctrinam Ecclesiæ Gallicanæ, imo verius universalis.* Universalis Ecclesiæ Doctrina, ut modo diximus, certo non est, atque in hoc falsus est Febronius. Gallia vero utique recepit hanc doctrinam per Sanctionem pragmaticam: attamen hæc iterum, utpote *tempore Schismatis et Seditionis ad infringendum Apostolicæ Sedis authoritatem lata* ab ipso Rege, dein rursus *per concordatum* inter Leonem X. et Franciscum I., tandem publice in Concilio Lateranensi V. abrogata, et reprobata fuit. Restauravit quidem hanc doctrinam Conventus Cleri Gallicani an-

anno 1682. Sed hic conventus fuitne tota Ecclesia Gallicana? et quo fato? exposui hoc Cap. I. in Not. et alibi sæpius; saltem *constans* et *universalis* doctrina non fuit.

Quod addit, ante seculum duodecimum Synodorum decreta sub nomine Pontificis concepta non fuisse, verum est, et ideo verum est, id factum non fuisse, quia in prioribus Conciliis generalibus nullibi *in Persona* præsentes erant Rom. Pontifices: igitur horum nomine Decreta concipi non poterant, quorum consensus et approbatio primum exspectanda erat.

Ad 1. Hoc per se clarum est, eorum Conciliorum Confirmationem non necessariam, imo frustraneam fuisse, in quibus ipse Pontifex interfuit, quia hoc idem fuisset, ac suum opus firmare.

Ad 2. Ad negandam Pontificiam *Concilii Nicæni* confirmationem sufficit Febronio male fundatam Harduini crisin afferre, et inde tanquam ex re jam evicta protinus inferre, quod Romani serius imperitis falsa persuadere tentaverint. Sed priusquam tam

male et temere Romanos arguat Febronius; ſciat, rem nondum deciſam eſſe, utrum Epiſtola *Concilii Nicæni* ad Sylveſtrum P., et hujus confirmatoria ad Synodum eandem ſpuria, et in quo ſenſu ſpuria ſit? imo Harduini criſin nec indubitatam eſſe, nec illud ex iſta probari. Harduinus utramque Epiſtolam ſpuriam putat *ob ſtyli et temporis notam.* Sed inde nondum ſequitur, utramque Epiſtolam in ſe ipſa falſam, adeo que a Concilio et Sylveſtro ſcriptam non fuiſſe. Potuit in utraque interpolatio aliqua fieri, vel in temporis nota variari, et nihilominus de cætero genuina ac vera eſſe. Certe Epiſtolæ Concilii Nicæni ad Sylverum P. meminit Dyoniſius exiguus *in Præfat. Concil. Nican. in Corp. Can. et apud Creſonium. Item Epiſtola Synodi Rom. ad Cleric. et Monach. Orient.*, quæ extat apud Baronium ad ann. 448. et *in nov. Collect. Concil. tom. 7. pag.* 1139. habetur: *trecenti decem et octo Ss. Patres apud Nicæam congregati confirmationem rerum, atque authoritatem S. Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Epiſtola Sylveſtri P. confirmatoria hujus Sy-

Synodi legitur apud Baronium ad ann. 325. et solertissimi Ballerini appendic. Ad opera S. Leonis dicunt, eam per Abundantium Presbyterum et Abundium Diaconum ad Concilium a Sylvestro missam fuisse, ubi hic ita loquitur: *Arium anathemate percussum quasi vestro ore confirmantes damnamus, et quidquid in Concilio Nicæno Civitatis Bythiniæ constituistis, pro universalis Ecclesiæ moderatione pari forma custodimus.* Quare ad rejiciendam utramque Epistolam non sufficit cum Harduino dicere, Spuriam esse ob styli et temporis notam, sed id ipsum, imo et amplius probari debet, revera in se ipsa fictitiam esse et falsam, atque testimonia modo allata relevari, et refelli, secus nihil agit Febronius.

Concilium *Ephesinum* quod attinet, non est, cur Patres rogarent vel Pontifex daret confirmationem gestorum ac decretorum, quando ipsi non nisi ex præscripto Cælestini P., ac secundum formam illis traditam procedebant, prout sæpius ipsi Patres in Concilio testati sunt. Firmus Cæsariæ

Episcopus dixit: *Apostolica et Sancta Sedes Cælestini Episcopi per litteras — — — etiam ante de præsenti negotio sententiam, Regulamque præscripsit, quam nos quoque secuti — — — formam illam executioni mandavimus.* Et Patres Concilii Epistola ad Augustos: *illic simul congregati Cœlestino sanctissimo, piissimoque Magnæ Romæ Episcopo etiam præsente — — — definierunt. Et hæc quidem antequam hæc Synodus conveniret, Cœlestinus — — per litteras suas indicaverat, — — — sed et nunc denuo aliis etiam litteris sanctæ Synodo — — — hæc significavit.* Et alia Epistola ad eosdem: *qui* (Cœlestinus) *ante nos sententiam in ipsum tulit.* Qui ergo illi Patres consensum et confirmationem Papæ petere potuere, quando ipsi nihil egerunt, nisi quod Pontifex prius præscripsit? imo quæ egit Concilium ultra, quam ei a Papa commissum fuit, diligenter ad eundem perscripsit, vel hujus judicio reservando, vel confirmationem petendo. Sic dum Joannes Patriarcha Antiochenus de collusione cum Nestorio suspectus esset, Concilium non ausum fuit, ulti-

ultimum in eum judicium proferre, sed Rom. Pontifici reservavit: *Pietatis tuæ judicio hoc reservavimus.* Et dum in locum Nestorii Maximinianum ordinarunt, petunt hoc specialiter confirmari a Cœlestino, quam confirmationem etiam dedit Epistola ad Synodum data. Certe in hac Synodo longe maxima Romani Pontificis authoritas supra Concilia enitescit.

Neque dicat Febronius ideo Concilium in Patriarcham Antiochenum ultimum judicium non pronuntiasse, quia majores Sedes, præcipue Antiochena, sine præscitu et interventu Rom. Pontificis judicari non debent. Inanissima ratio, et novum contra ipsum argumentum, hic Rom. Pontificem Conciliis generalibus subjici: si vero Concilium generale et æcumenicum non habet jus et potestatem judicandi Patriarcham Antiochenum sine authoritate Romani Pontificis: undenam habet authoritatem in ipsum Rom. Pontificem, Primatem totius Ecclesiæ, et vicarium Christi?

De Concilio *Chalcedonensi* dubitat Febronius vel potius negat, confirmationem

a Rom. Pontifice petitam, aut miſſam fuiſſe? ſtudioſe lectores ſuos fallit! an non Patres Chalcedonenſes Epiſtola ad S. Leonem P. ſecundum antiquam verſionem ex Manuſcriptis Ruſtici Diaconi S. Romanæ Eccleſiæ, qui vixit anno 550., et quam in lucem produxit Stephanus Balluzius, ita loquuntur? *omnem vobis* (Leoni Papæ) *geſtorum vim inſinuavimus ad comprobationem noſtræ Sinceritatis*, *et ad eorum*, *quæ a nobis geſta ſunt*, *firmitatem et conſonantiam*, vel ut textus græcus legit, *confirmationem atque conſenſionem.* Num hæc non de omnibus, quæ in Concilio geſta ſunt, nempe etiam contra Dioſcorum, Euthychen, eorumque hæreſes intelligi debent? id ex ſequentibus adhuc manifeſtius patet: tergiverſabatur aliquamdiu Leo Papa: ſed Marcianus Imperator ſtrenue eum urgebat, ut petitam confirmationem ſubmitteret, ſcribens ad Leonem Epiſt 88. *miramur ſupra modum*, *quod poſt Chalcedonenſem Synodum*, *et litteras venerabilium Epiſcoporum ad Pietatem tuam miſſas*, *quibus omnia in ipſa Synodo acta ſignificabant*, *nullo prorſus Pacto a tua Clemen-*

mentia ejusmodi Epistolæ remissæ fuerint, quas videlicet in Sanctissimis Ecclesiis perlectas in omnium oportebat notitiam venire: quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum Beatitudo tua, quæ in S Synodo Decreta sunt, confirmaverit. Et ob hanc rem tua Pietas litteras mittere dignabitur, per quas omnibus Ecclesiis et Populis manifestum fiat, in S. Synodo peracta a Beatitudine tua rata haberi. Et infra: ***quam ob rem ita veneranda Dignitas decretum quam celerrime emittat, quo confirmare ipsam Chalcedonensem Synodum manifestissime ostendat, ut ii, qui exoptant invia diverticula, nullam habere possint suspicionem de judicio tuæ sanctitatis.*** Oculis careat, qui ex litteris tum Episcoporum, tum Imperatoris non videat instantissime petitam *confirmationem* Pontificiam, imo et hujus *necessitatem* ad conciliandam Concilio plenam authoritatem, ac quidem quoad omnia omnino, quæ in Concilio gesta sunt.

De

De Concilio *Constantinopolitano III.* clarum est, quod Patres congregati ab Agathone Pontifice petant *confirmationem* per verba ab ipso Febronio allata: hic in voce *iterum* scrupulum invenit facile tamen solvendum. Prius dixerant Patres Concilii, se egisse ex sententia Agathonis antea prolata: *Anathematibus interfecimus ex sentententia per sacras vestras litteras de iis prius lata*: Commentarios et legatos de Concilio una cum legatis Pontificiis mittunt, ut cognoscat Pontifex, *quæ in unoquoque negotio sunt pertractata*, et dein horum *confirmtionem* rogant quem in finem? ut rursus faciat, quod jam fecit? ridicula, inanis petitio, superfluæ hæ preces forent: igitur ut Decreta Concilii non tantum *aliquatenus* corroborentur, sed ut *veram et firmam* authoritatem in tota Ecclesia obtineant. Id patet ex Epistola Leonis II. (nam Agatho interim obierat) ad Imperat. Constantinum Pogonatum, quæ continet confirmationem hujus Synodi his verbis: *idcirco et Nos, et per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter his,*

quæ

quæ definita sunt ab ea, consentit, et B. Petri authoritate confirmat, sicut supra solidam Petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. Propterea sicut suscepimus; atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia Concilia, ita et quod nuper — — — celebratum est sanctum Concilium — — — cum eis digne connumerari, tanquam una et æquali Dei gratia congregatum decernimus. Concilium tanquam legitimum et generale declarare, inter universalia Ecclesiæ Concilia ab omnibus tenenda reponere, idque ad officium Primatus et B. Petri authoritatem referre, talis *confirmatio* profecto quid amplius importat, quam simplicem *consensum* aut qualemcunque corroborationem, quin imo aperte majorem ipso Concilio authoritatem ostendit.

Quaod Concilium *Nicænum II.*, si dicta et Suffragia Patrum attenduntur, litteris et sententiæ Hadriani Papæ tanquam submissæ Professioni fidei se subjecerunt, atque subscripserunt; ob id igitur necessaria non fuit *confirmatio*, sed solum *relatio*: et si illa

ne-

necessaria fuisset, quomodo Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus eam petere intermisisset, postquam ipse Hadrianus in Epistola ad Augustos hoc jus expresse sibi vindicat: *Sedes Romana in toto orbe terrarum Primatu fungens, Caput omnium Dei Ecclesiarum constituta est, — — — quae et unamquamque Synodum et sua authoritate confirmat, et continuata moderatione custodit.*

Annatus in apparat. ad Theolog. Posit. et alii testantur, hoc Concilium ab Hadriano P. approbatum fuisse, licet hæc confirmatio Epistola ad omnes Ecclesias et Imperatores data ritu solemni facta non fuerit, et ipse Febronius supra §. 2. n. 4. ait, Papam hujus acta rata habuisse. Interim eo ipso, quod confirmatio Pontificia solenniter ad omnes Ecclesias data non fuerit, atque de illa approbatione ubique non constiterit, hoc Concilium aliquamdiu in Germania et Gallia pro æcumenico habitum non fuit, uti etiam Natalis Differt. 6. Sec. 8. meminit, quod manifesto argumento est, Confirmationem Pontificiam ita necessariam habitam fuisse.

fuiſſe, ut ſine ea, et authoritate Papæ pro æcumenicis ne quidem agnita ſint. Porro hactenus allata teſtimonia manifeſte demonſtrant, quænam antiquitus in Eccleſia fuerit traditio, doctrina ac praxis circa authoritatem Papæ in- et ſupra Concilia generalia, quam traditionem criſes ac gloſſæ Febronii, aliorumque nequaquam ſubvertere poſſunt.

Et revera ſi Concilia legitima et æcumenica ſunt; et eſſe poſſunt ſine interventu Rom. Pontificis, ſi hujus *convocatio*, *Præſidium*, *confirmatio* neceſſariæ non ſunt, ut hactenus multo labore perſuadere voluit, det mihi rationem fundatam, det teſſeram et ſignum certum, per quod Concilia legitima a falſis diſcerni poſſunt. Oſtendat, undenam certo innoteſcat, Concilium Nicænum I. eſſe legitimum, econtra alia non minus generalia ac numeroſa, nempe Mediolanenſe II. plus quam trecentorum Epiſcoporum a Conſtantio Imperatore convocatum, ipſo præſente celebratum, item Ariminenſe 600. Epiſcoporum tum ex oriente, tum ex occidente eſſe illegitima? item

quare Concilium Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, in quo 338. Episcopi statuerunt, abolendas esse sanctorum imagines, illegitimum est, econtra Nicænum II., in quo cultus imaginum probatur, legitimum? quare hoc Nicænum II. et aliud Constantinopolitanum sub Gregorio IV. anno 842. legitimum, econtra aliud Constantinopolitanum sub Leone III. anno 814., in quo illud Nicænum II. condemnatur, illegitimum fuit? Hoc discrimen utique non ex eo discimus, quod illa Concilia veram doctrinam tenuerint, alia falsam, item quod illa ab Ecclesia fuerint acceptata, non vero ista; nam hoc petitio principii est; quippe undenam constat, illa veram, ista falsam doctrinam docuisse? quænam doctrina vera, quæ falsa sit, utique in dubio per ipsa Concilia legitima discere debemus? ergo aliunde nobis constare debet, esse legitima, et sic redit quæstio. Dein quare alia ab Ecclesia sunt acceptata, alia non? nonne post Concilium Mediolanense II., post Sirmiense et Ariminense, in quibus trecenti, modo sexcenti circiter sede-

runt

runt Episcopi, maxima pars Ecclesiæ in errorem et impietatem Arianam inducta fuit, ita *ut totus ingemuerit orbis, et se Arianum esse miratus est*, prout ait S. Hyeronimus Dial. contra Lucifer. Quare hoc? quia in numero Episcoporum confidebat, et illa Concilia tanquam legitima acceptabat, utpote quibus tot subscripserunt Episcopi. Patet hinc, quid sint Concilia, quid Ecclesia sine Capite, et si non sint huic coadunata? Superest Concilium Constantinopolitanum IV., ubi Patres congregati iterum testantur, se ea tantum peragere, quæ a Rom. Pontifice Adriano II. statuta, atque præscripta fuissent: legati Pontificii formulam ab Adriano producebant, cui omnes Episcopi subscribere debebant: *neminem*, aiunt, *orientalium vestrorum in nostram Synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio S. Sedis Apostolicæ, sumpsimus, nobis fuerit satisfactum.* In hoc libello autem sequentia leguntur: *sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes omnia ejus constituta, speramus, ut in una Communione, quam Sedes Apostolica prædicat,*

esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ Religionis soliditas, promittentes etiam, jam sequestratos a Communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter Sacra non esse recitanda Mysteria. Hic libellus in Concilio lectus, et ab omnibus Episcopis subscriptus fuit. Sed hæc abs dubio summam in Conciliis Rom. Pontificis Potestatem palam produnt: et quis post hæc confirmationem a Pontifice vel peti, vel dari amplius necessarium existimabit, quando ipse jam prius in Concilio gerenda præscripsit, atque præscripta exacte impleta sunt? Anastasius Bibliothecarius quidem observat, quosdam hunc legatorum agendi modum ægre tulisse, dicentes, *non bene factum fuisse, quod Ecclesiam Constantinopolitanam tanta subjectione Romanæ subdi Ecclesiæ Imperator et Patriarcha permiserint, ita hanc ei tanquam Dominæ ancillam tradiderint.* Tales Photianos fuisse facile dignoscitur: sed ab Imperatore nihil obtinere poterant; legati Apostolici sua authoritate fruebantur, et duo Metropolitæ Ancyranus et Nicænus,

qui

qui libello subscribere recusabant, act. 3. a Concilio ejecti sunt. Nihilominus ex superabundanti Patres in Epistola Synodica ad Adrianum II. adhuc confirmationem petierunt his verbis: *omnium nostrum conventum, et universalis hujus atque Catholicae Synodi consensum et consonantiam recipiendum praedica, eum magis ac magis veluti proprium, et solidius confirma evangelicis praeceptionibus, et admonitionibus vestris, ut per sapientissimum Magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiasticis Personis et suscipiatur veritatis verbum, et justitiae decretum.* Confirmationem vero datam fuisse ab Adriano II. P., testatur Anastasius Bibliothecarius in Praefat. ad hanc Synodum, testis Synchronus et praesens. Unde Thomassinus Dissert. 12. Concil. Chalced. ait, quod *Tyrunculis primo historiae limina saltem ingressis compertum sit, omnia ibi nutu et Imperio Romanae Sedis actitata fuisse.* Per tot hactenus testimonia quoties Febronius falsi convincitur.

Sed ad probandam necessitatem confirmandi Decreta Synodalia a Sede Apostoli-

ca, ut ea in tota Ecclesia robur obtineant, etsi non extarent tot certe testimonia et traditio, Febronii aliorumque crisibus adhuc prævalere, et sufficere deberet testimonium Gelasii I. P. jam anno 495. ad Traditionem et notitiam universæ Ecclesiæ provocantis in Epist. ad Episcop. Dardaniæ: *quibus convenienter, ut dictum est, ex Paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ et unamquamque Synodum et sua authoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilo minus subsequente, et tenuit semper, et retinet.* Et Idem *in Anathemat. contra fautor. Acacii: totum, ut dictum est, in Sedis Apostolicæ positum est potestate, ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod præter ordinem Con-*

Congregatio Synodica putaverit uſurpandum. Quid clarius ex veteri traditione?

Videat Lector, his omnibus perpenſis, quam falſum ſit, quod Febronius ait, nullum *Orientis* Concilium *ſuorum Decretorum confirmationem* a Pontifice petiiſſe. Idem eſt de Tridentino, quod confirmationem Decretorum petendo, utique non niſi veterum veſtigia Conciliorum ſecutum fuit.

Ad 3. Concilium Conſtantinopolitanum I. æcumenicum non fuit, antequam Damaſus P. cum Concilio occidentis acceſſit, ut ſupra §. 2. ad n. 1. probavi. Nec refert, quod ſeipſum *univerſale* nominet; nam utique *univerſale totius Eccleſiæ* tunc non erat, ſed ſolum *Orientis.* Eſt autem Diſcrimen inter Concilium *æcumenicum*, et *univerſale.* Sic Concilium Romanum, in quo tamen ſoli Epiſcopi Italiæ congregati erant, ſe nominabat *generale:* Toletanum III. ſe dicit *univerſale*; ita etiam Carthaginenſe IV., imo Conciliabulum Mediolanenſe

lanense plus quam 300. Episcoporum anno 355. habitum *universale* nominatum fuit, et tamen hæc omnia *œcumenica* non fuerunt, imo ultimum omnino Latrocinium erat. Non igitur ex voce *universalis* statim concludere debet, etiam *œcumenicum*, id est, Sigillo et authoritate totius Ecclesiæ, præcipue Romanæ Sedis munitum fuisse; quod necesse est, ut æcumenicum dici possit. Denique illud Concilium Constantinop. I. a Damaso P. confirmatum fuisse, testis est minime suspectus Photius lib. de 7. Synod. vid. supra §. 2. n. 1.

Ad Concilium *Constantinopolitanum II.* dico: inprimis Vigilius P. in Epistola ad Eutychium consensit in convocationem hujus Synodi, quod etiam in Collat. 8. ejusdem indic tur. Item ex Collat. 1. et 2. patet, quod tres Patriarchæ et 16. Metropolitani a Concilio deputati fuerint ad Vigilium, rogaturi, ut ad Concilium venire, eique præesse dignaretur, quod dein rursum factum fuit ab Eutychio Patriarcha Constantinop. in Epist. ad Vigilium. Tam Solem-

nis

nis deputatio, ubi non nisi Metropolitæ, et maximi Patriarchæ officio Deputatorum perfuncti sunt, ostendit summam in Rom. Pontifice authoritatem, atque quod illis certum fuerit, eidem soli Præsidentiam in Conciliis competere.

Quod vero *confirmationem* hujus Synodi a Vigilio P. factam attinet, quamvis Garnerius hujus Epistolam confirmatoriam censeat supposititiam, ejus tamen argumenta satis refellit Natalis Alexander *in Synopsi ad Sæc. 6. Cap. 2.* §. 9. Dein hujus rei testes alii adhuc extant, Photius *lib. de 7. Synod.* Evagrius *lib. 4. Cap. 37.* item hoc legitur in Manuscripto Arabico antiquissimo apud Gilbertum Gaulinum. Colligitur etiam ex *Eustacio Presbytero Constantin. in vit. Eutych. Patriarch. Cap. 13. Cyrillo Scitopolitano in vit. S. Sabæ. Liberato in Brevia. Victore Turonensi in chronic. Zonora, Cedreno, Euthymio, Nicephoro.* Denique hæc Synodus etiam ab aliis Rom. Pontificibus approbata fuit Pelagio I., Joanne III. Benedicto I., Pelagio II., Gregorio M., Leone II. vide Petrum de Mar-

ca in Differt. de Vigilii decreto pro confirmatione quintæ Synodi, et Sandini in Vita Vigilii P.

Ad 4. *et* 5. Poft hæc vanæ funt gloffæ Febronii, quafi *confirmatio* Rom. Pontificis tantum executioni inferviret, item triplex tuus fenfus de *confirmatione*. Confirmatio Pontificia robur et authoritatem tribuit Conciliis generalibus, ut fint vere æcumenica et legitima. *Quod firmavit*, ait S. Gelafius I., *in Synodo Sedes Apoftolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit habere non potuit firmitatem.* Quare enim aliqui Synodum Chalcedonenfem non recepere, eo folo obtentu, quod ab Apoftolica Sede confirmata non fit? quare tantum Marcianus Imperator urgebat confirmationem Leonis P., hancque omnibus Ecclefiis neceffario intimandam effe dixit? undenam generalia et maxima quædam Concilia pro legitimis et æcumenicis habita non funt, nifi quia approbatio et confirmatio Apoftolicæ Sedis non acceffit, vel ab ea reprobata funt?

Tan-

Tandem Febronius audacter pronuntiat, et persuadere vult, quo sensu Patres Tridentini confirmationem suorum Decretorum a Pontifice petierint? Certe legati proponentes hanc petitionem alium sensum non habebant, quam ut in hoc sequerentur vestigia veterum Conciliorum, et quia illam necessariam esse existimabant: responderunt omnes Episcopi, unico excepto, *Placet.* Jam si his placuit alio in sensu, quam legati proponebant, sibi hoc non solum asserere, sed et probare incumbit. Et quare id non expresserunt Patres? nam præsumendum est, illos eo sensu, quo rogabantur, respondisse, ac consensisse. Vide frivola ejus glossemata et asserta.

Ad 6. Inprimis ex Bossueti verbis clare ostenditur, excommunicationes *latæ sententiæ*, *proprie tales*, et censuras *ipso facto* incurrendas legitimas esse, atque in veteri Ecclesia usitatas, ab ipsis Conciliis usurpatas et inflictas fuisse, quod aperte pugnat contra Febronii Cap. III. §. 4.

Dein

Dein ad verba Boſſueti atque Febronii directe ita reſpondeo : *libenter quærerem, ludantne nos* Boſſuetus et Febronius, dum ita decretorie perorant ? nunquid et alia Concilia reprobata et latrocinia, Anathemata et Depoſitionis ſententiam ita abſolute pronuntiarunt ? Tyrienſe, Jeroſolomitanum, Antiochenum, Mediolanenſe contra Athanaſium, Conciliabulum Epheſinum a Joanne Antiocheno congregatum contra Cyrillum et alios ortodoxos Epiſcopos, Latrocinium Epheſinum contra Flavianum et alios multos, duo Conſtantinopolitana Conciliabula anno 730. et anno 754. contra Germanum Patriarcham, Gregorium Cyprium, et Joannem Damaſcenum, ubi etiam ſacrarum Imaginum cultores anathematizati ſunt, aliud Conſtantinopolitanum anno 814. contra Nicænum II. generale legitimum, item Concilia a Photio habita contra Nicolaum I P. *jam quid exſpectarunt in his Conciliis Patres, qui ita pronuntiarunt ?* utique revera nihil. Et tamen bruta erant eorum fulmina, nullius valoris ; nec effectum habentia. Et quid ? ſi etiam addidiſſent illa

la Synodi VIII. verba: *per datam nobis Poteſtatem in Spiritu S. a primo et magno Pontifice noſtro liberatore et Salvatore cunctorum.* Nam et hanc poteſtatem ſibi arrogabant? ſi dicat, eam non habuiſſe, quia non erant legitima: tunc redit quæſtio, ut ſupra, undenam conſtabat, hæc non eſſe legitima, alia vero fuiſſe legitima, horum Anathemata robur habere, aliorum non habere, hæc veram, illa falſam doctrinam docuiſſe? fors quia Eccleſia illa probavit, hæc non probavit? ſed iterum in idem recidit Febronius; nam et in his Conciliis veram Eccleſiam inexiſtere prædicabant illa Conciliabula, et quidem absque affectatione, quando illis magna pars, ſæpe totus fere Oriens, imo quandoque maxima pars Eccleſiæ adhæſit. Certe ſi Pontificiam in Conciliis denegat authoritatem, non poteſt diſcernere Concilia legitima ab illegitimis, rationem dare non valet, quare illorum Epiſcoporum et Synodorum anathemata valeant, aliorum non valeant? nihil proficiunt omnes hæ, quantumvis ſpecioſæ, vel potius captioſæ Boſſueti elocutiones. Errat Boſſuetus

tus, errat Febronius, et alii, femperque in fuppofito laborant. In hoc utique tota ratio confiftit, quod, docente fupra S. Gelafio I., illa Concilia per hoc fuerint illegitima, quia acephala, quia Sedes Apoftolica non confenfit, nec firmavit; unde nec qualiscunque Ecclefiarum adhæfio iis potuit authoritatem conciliare, quando defuit authoritas et confenfus Capitis feu Romani Pontificis, cum vera Ecclefia fine Capite intelligi non poffit. Econtra alia Concilia Epifcoporum, et hi numero inferiores erant, legitima funt, authoritatem obtinent, quia Pontifices five per fe, five per legatos præfuere, atque ab iisdem confirmata funt, ficque vere totam Ecclefiam cum Capite præfentabant, et tunc utique fecuri *anathemata pronuntiant*, *nihil exfpectare debent.* Quippe fi Pontifex in Perfona adeft, *confirmatio* non quæritur, et fuperflua eft. Si per legatos: illa fecure obtinebitur, fi hi limites fuæ legationis non egrediantur; Pontifex enim per hos loquitur, et confirmatio fubfequens teftimonium Authenticum eft, feu potius ultimam authoritatem impertit,

tit, quod in Concilio omnia fuerint rite peracta, atque ab omnibus tanquam legitima et vera recipi debeant. Tandem ad Discursum Bossueti adhuc addo: etiam Concilia Provincialia quandoque Anathemata etc. ipso facto pronuntiant. Quid ista exspectant? et tamen certum est, quod Concilia Provincialia per se non obtineant universalem in tota Ecclesia authoritatem, utpote quam non repræsentant. Quid igitur de his dicet? num illorum judicium, dum ita pronuntiant, ultimatum est, atque in tota Ecclesia sine alio robur obtinet?

§. VI.

Nullus unquam Pontifex ausus est, de novo discutere Decreta alicujus universalis Concilii

Econtra Synodi generales frequenter ad novum examen revocarunt materias et quæstiones a summis pontificibus decisas.

In Conciliis Episcopi jure suo decernunt, et judicant. Nunquam aliquod Concilium, multo minus Pontifex ausus fuit discutere, aut sub incudem vocare definitiones

nes

nes præcedentium Conciliorum ; quin e contrario iisdem, tanquam documentis fidei ad dirimendas novas controverſias uſi ſunt.

Adverſa plane diſciplina uſa fuere Concilia reſpectu Pontificiarum Definitionum : has denuo diſcuſſerunt, per id ſignificando, aliter ſe de *his decretis*, aliter *de Synodalibus definitionibus* ſentire. Concilia Generale I. II. et V. non poterant ſubmittere ſuo examini Decreta S. Sedis, quia nulla præceſſerunt. At hæc diſciplina ſeſe plene manifeſtat in Conciliis III. IV. VI. etc. etc.

1. Ex act. 2. Concilii Chalcedonenſis apparet, plures Patrum non fuiſſe contentos ſola Epiſtolæ S. Leonis lectione, ſed voluiſſe et illam Cyrilli ad Neſtorium videre, ut poſt utriusque collationem *in tempore Diſceptationis parati inveniantur* : alios petiiſſe inducias, *ut tranquilla mente, et non perturbato animo, quæ Deo placent, a Patribus ordinentur.* Saniores non provocaſſe ad Leonis unius authoritatem, ſed etiam, et æqualiter ad Cyrilli ſententiam : *Leo ita do-*

docuit, *Cyrillus ita docuit.* Proin dum profitentur, Petrum per Leonem locutum fuisse, aliud non dicunt, quam examinatam a se, et cum Patrum scriptis colatam sententiam Leonis invenisse conformem doctrinæ Petri et reliquorum Apostolorum. Idem confirmatur ex ipsius Leonis P. Epistola 93. ad Theodoretum Cyren., in qua clare significatur *examen* Pontificii Decreti ad indagandam, firmandamque *veritatem* institutum; item *consensus* ab *assentatione* distinctus, isque cum plena libertate præstitus.

2. Adhuc gravius id elucet ex Concilio Constantinopolitano, generali VI. ab Act. 4. ad 17., ubi quæstio ab Agathone P. in Romana Synodo 125. Episcoporum definita, nihilominus in a Concilio rursus tractata, ac definita fuit, quasi nunquam tractata, et definita fuisset. Hoc eo majorem attentionem meretur, quod Agathonis definitio vim omnem et pondus habeat, quæ definitioni *ex Cathedra* maxime solemni competere possit. Sic Agathonis Epistolæ probantur hac formula: *Paulus Magnificus*

ficus a Secretis dixit: dicat Georgius Archiepiscopus hujus Regiæ urbis, et qui cum eo etc., si convenit sensui suggestionum directarum ab Agathone Sanctissimo Papa, et sua Synodo. Georgius dixit: inspiciens omnem virtutem earum litterarum, et scrutans libros sanctorum probabilium Patrum, cuncta, quæ continent, inveni consonantia eis, et sic profiteor, et credo. Alii: *inveni in nullo eas a sanctis Patribus discrepare, et consentio.* In hunc sensum omnes singillatim loquentes non nisi illo examine facto receperunt.

Nec dicas, in tanta certitudine nullum quæstioni et examini locum permitti. Sed nesciunt hi, quid sit examen in negotio fidei. Neque enim Patres Nicæni, Ephesini et Chalcedonenses de dogmate, quod impetebatur, dubitabant, aut edoceri debebant, sed quibus verbis error confutandus, et utrum Pontifices recte fidem exposuissent, hoc quærebant, atque cum ea fide componebant, quam ipsi a Patribus acceperunt.

3. Tempore Leonis X. Pontificis infallibitas in definitionibus *ex Cathedra* asseri

jam

jam cæperat: hujus Bulla adverſus errores Lutheri poſt tractatum huic negotio parem edita fuit, et nihilominus ex actis Tridentini cum Bulla collatis manifeſtum eſt, Synodum rurſus et ab integro diſcuſſiſſe errores à Pontifice jam damnatos.

4. Cardinalis orſi de R. Pontif. authorit. L. 1. Cap. 10. art 2. ſuſtinet: *inſtituitur aliquando de rebus fidei collatio et inquiſitio, non ut aliquid, quod adhuc lateat, certum, fixumque eruamus, ſed ut illud majori luce donetur, utque firmis etiam rationibus teneamus, quod ſola authoritate tenemus; vel etiam ut non ipſi nos in veritate firmemus, ſed ut aliis conſulamus, et qui ad amplectendam de aliquo fidei dogmate Apoſtolicam definitionem Pontificiæ authoritatis pondere non ſatis inclinantur, eo ſaltem illos perſpiciuis ex ſacrarum litterarum aut Patrum, aut Conciliorum oraculis ductis argumentis compellamus.* Adducit dein exemplum Concilii Hyeroſolimitani, ubi Petrus ſententiam pronuntiavit, quam dein Jacobus ad Scripturarum amuſſim et Prophetarum

Oracula exegit. Et alibi ait, id fieri, ut Episcopi in generalibus Synodis juſtam notitiam Pontificiæ legis accipiant, hujus æquitatem, rationes, momenta cognoſcant etc.

At gratis ſupponitur, unius Petri authoritate quæſtionem de legalibus *deciſam, terminatamque* fuiſſe: Synodale concluſum emanavit *omnium Apoſtolorum et Seniore nomine ac Jure.* Abſonum foret dicere, toties univerſalium Conciliorum coactione totum orbem concuſſum fuiſſe, aliquot Epiſcoporum centurias ex diſſitis Regionibus, ab occidente in orientem, et viciſſim, proprios greges deſerendo, cum ingenti ſumptu in pauperum et Eccleſiarum præjudicium commigraſſe, ut quod ſinguli ex prævia *Pontificia authoritate tanquam de fide* domi jam tenebant dein S. Scripturæ, Patrum et rationum momentis firmatum peregre perciperent, quaſi hoc per litteras Encyclicas, aut alia via fieri non potuiſſet. Sapientiores putant, hoc eſſe, in re valde ſeria ludere, vel propriis oculis ſponte velum obducere, ut incautis pro *libertate* Canonica im-

imponatur *Servitus*, et forma Regiminis a Christo instituta evertatur.

5. De Concilio Hyerosolimitano Melchior Canus lib. 5. de loc. Theolog. Cap. 5. ait : *Apostolis et Presbyteris in Synodum Hyerosolimitanam congregatis non statim revelatum est, quid esset in fidei caussa decernendum, sed facta est prius, ut Lucas ait, magna conquisitio.*

6. Idem ait, in Synodo Nicæna frequentes tractatus et Discussiones habitas fuisse, ex quo perspicuum fit, non dormientibus et oscitantibus Patribus Spiritum S. assistere, sed diligenter humana via et ratione quærentibus rei veritatem. Sic actum in Conciliis, quibus præluserunt Pontificiæ Decretales, nec aliter processum in subsequentibus post Rom. Pontificum declarationes, quæ dein constituerunt objectum Deliberationis in similibus Synodis.

7. Fpiscopi sicut extra Synodos, ita et in Conciliis, probante etiam Bellarmino non sunt *consiliarii*; sed *Judices*. De Mar-

ca de C. S. et J. lib. 5. Cap. 7. n. 2. ponit hanc propoſitionem disjunctivam: *ſi ſummam in cenſendo et definiendo Poteſtatem Romano Pontifici tribuimus, perit libertas ſuffragiorum. At conceſſa ſuffragiorum libertate, æqualitas quædam hac in parte induci videtur inter Rom. Pontificem et cæteros Epiſcopos, quod multum de ejus ſumma authoritate detrahit.* Invictum, inconcuſſumque manet principium, fruſtra convocari Synodos generales, ſi tota definiendæ authoritatis et veritatis ratio in uno Pontifice conſiſtat. Qui ſic ſentiunt, uno hoc argumento attoniti, veluti palabundi in Diverſa fugiunt, ſed omnia perfugia obſtructa ſunt ſupra §. 1.

8. Andreas Epiſcopus Magorenſis in Gubernaculo Conciliorum Juliano Cardinali in Concilio Baſileenſi oblato ait: Papam poſſe peccare: ergo ſubjicitur correctioni Eccleſiæ, quæ illum poteſt arguere, judicare, condemnare; igitur hæc major eſt in Poteſtate, quam Papa. Papa non poteſt arguere, corrigere, judicare, condemnare Concilium, univerſalem Eccleſiam repræ-

ſen-

sentans, quæ regitur Spiritu S., et quæ sine peccato, sine macula est, cum tamen Papa peccare possit. Ergo major est Potestas Concilii, quam sit Papæ Romani.

NOTA.

Prima periodus partim falsa est, partim inepta et ad rem non pertinens. Falsum est, Rom. Pontifices nullum Concilium discussisse, aut sub incudem vocasse; certo enim constat, illos Concilia generalia confirmasse, alia etiam maxima Concilia, quæ titulum *universalis* quoque præseferebant, reprobasse, utique non sine *discussione* et *examine*. Sic S. Leo non approbavit, imo reprobavit Canonem 28. Concilii Chalcedonensis, quamvis Patres hujus *confirmationem* a Papa rogarent, et idem S. Leo reprobavit Concilium Ephesinum II., licet suo consensu convocatum, et cui aderant ejus legati, atque nomen *Concilii universalis* præseferret. Quod si sermo est de Conciliis *præcedentibus*, universim jam pro *generalibus* habitis, inepta est ratiocinatio, et ex-

tra quæſtionem verſans: hæc utique Concilia jam erant a Sede Apoſtolica recepta, approbata, confirmata, adeoque Sigillo authoritatis Pontificiæ munita; ſicque diſcuteret Pontifex, quod ipſa ſumma Sedes jam ſtatuit, approbavit, nempe ſuam propriam ſententiam; nam ſine interventu vel acceſſione Rom. Pontificis nulla Concilia generalia vel celebrata ſunt, vel ſaltem non pro generalibus habita. De adverſa diſciplina circa Pontificias definitiones nunc videamus.

Ad 1. Solummodo geſta in rectum ſuum ordinem redigantur, et ſtatim rei veritas eluceſcet. S. Leo jam prius ad Marcianum Imp. ſcripſerat Epiſt. 82. al. 62. *ne cujusquam procaci, imprudentique verſutia, quaſi de incerto, quid ſentiendum ſit, ſineret, inquiri, nec cujusmodi ſit fides tenenda, tractandum.* Et *Epiſt.* 94 ad eundem: *nulla penitus Diſputatione cujusquam retractationis admiſſa.* Epiſtola vero ad Concilium ipſum data ſic ait: *unde fratres Chariſſimi rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, vana errantium infideli-*

tas

tas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cum secundum Evangelicas authoritates, secundum Propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissime, et lucidissime per litteras, quas ad B. memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis D. N. J. Christi pia et sincera confessio. Jam ex his inprimis constat, quod S. Leo Dogma a se declaratum et definitum tam certum esse voluerit, ut non liceret amplius de eo etiam in Concilio disputare, ideoque suam definitionem et judicium jam ante Concilium *ultimatum*, et a Concilio irreformabile ostendit, de quo nec examen aut discussio admittitur. Jam quid factum sit ipso in Concilio, videamus.

Act II. Lecta est S. Leonis Epistola ad Flavianum Epistola: hac lecta statim exclamaverunt Patres: *hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt: anathema ei, qui non ita credit: Petrus per Leonem ita locutus est. — — Postea Judices dixerunt: post*

 hæc

hæc omnia quis dubitat? Reverendissimi Episcopi clamaverunt.: nemo dubitat. Ubi hic *examen, discussio, deliberatio*, quando nec ullus *dubitabat?* Patres a lectione Epistolæ nulla mora interposita hæc elocuti sunt. Febronius hos plausus, hæc verba ipse adfert, sed necesse fuit, gestorum ordinem invertere, ut ipsis alium sensum affingere posset. Verum post hæc primum Patres moram petiere: in quem finem? ad examinandam Epistolam Leonis? neutiquam. Qui enim eam amplius examinare poterant jam receptam, approbatam, laudatam; de qua nullus *dubitabat*; quando omnes ita *credere* professi sunt; quando in ea *Apostolorum fidem* contineri, et *orthodoxos ita credere* testati sunt; quando jam *anathemata* dixerunt ei, *qui non ita credit?* petierunt itaque Patres solum inducias, ut ex actis Concilii, ad scrutanda Cyrilli, et Patrum scripta, non ut cum his Leonis Epistolam conferrent, et examinarent, utrum illis conformis esset, quippe de Leonis epistola haud amplius erat quæstio, sed econtra ut illa scripta ad Leonis Epistolam examinarent,

utrum

utrum huic conformia essent, sicque uti aiunt, *in tempore disceptationis parati inveniantur*: nempe Cyrillus adhuc defendendus erat, Nestorius iterum, ac etiam Dioscorus condemnandi, irregularitas Latrocinii Ephesini ostendenda: quoad hæc disceptatio adhuc ineunda fuit cum ipso Dioscoro et ejus asseclis, quin et fautores quidam Nestorii adhuc præsentes erant. Sic Patres se præparare debebant, ut in his omnibus, *quæ Deo placent, tranquille ordinentur.* At de Leonis Epistola nec disceptatum amplius fuit, nec tractatus habitus. Imo eadem Act. II. Cæropius Sebastenopolitanus dixit: *emerserunt, quæ ad Eutychen pertinebant, et super iis forma data est a Sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis, et sequimur eum, et Epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: ista omnes dicimus, sufficiunt, quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri.* Ex his satis patet, Epistolam Leonis statim post illius lectionem sine mora, sine examine receptam, atque etiam subscriptam fuisse, aliam expositionem tanquam illicitam rejectam fuisse. Quid Febronius ultra petit?

Sed ait Febronius, ea, quæ dixerat, confirmari ex ipſa S. Leonis 93. ad Thodoret. Cyrenens., ibi S. Papa ſic habet: *ne aliarum Sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentatio videretur, aut alia qualibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent: et dum nonnulli a diſſenſionis incitati authore ad contradictionum Bella proſiliunt, ad majus bonum, malum ejus, authore totius bonitatis diſpenſante, perventum eſt.* Sed notet Febronius, hic ſibi ſermonem eſſe de *examine* et *diſcuſſione* judiciaria Epiſtolæ Leonis P., facta *a Concilio*, non de *dubio* vel *contradictione nonnullorum. Dubitabant quidam Illyrici et Paleſtini*, qui ob ignorantiam linguæ latinæ difficultatem patiebantur circa quorumdam verborum ſenſum, prout ipſimet dixerunt, de quo inſtructi pariter ſubſcripſerunt, ideoque hæc *interpretatio*, *inſtructio*, non *examen* fuit.

Fuere allii, qui primum ambigebant, vel contradicebant, inter quos præcipue Juvenalis Hyeroſolimitanus, Thalaſſius Cæſa-

reen-

reenſis, et de quibus hic S. Leo loqui videtur; verum de his probe notandum eſt, atque etiam ex ipſis Epiſtolæ verbis patet. 1*mo* non *Concilium* dubitaſſe, ſed tantum *nonnullos.* 2. Eos temere dubitaſſe, imo ad hoc incitatos fuiſſe a Diabolo, *diſſenſionum authore;* hoc toti Concilio non adſcribat, et hoc ipſo illorum *Diſcuſſionis* aut *examinis* petitio legitima ac bona non erat, ſed *mala.* 3. voluntati Divinæ adſcribit id S. Leo, *ne conſenſus aſſentatio videretur*, non quod jure ac bene factum ſit. 4. ait, hoc *malum* a Deo in *bonum* verſum fuiſſe. En! de quali examine loquatur hic S. Leo. Hæc ſi Febronii ſententiam confirmant, pariter *mala*, imo peſſima erit. Tandem quod diximus, clariſſime pateſcit ex relatione, quam Patres Synodici dederunt ad Marcianum Imp., in qua de Epiſtola Leonis ita loquuntur: *credentibus ſufficit ad utilitatem fidei indiſcuſſa perſpectio ad confeſſionem pii Dogmatis devotos pertrahens animos. Hos autem, qui doctrinam rectam pervertere moliuntur, ad ſingula, quæ male pariunt, opportet occurrere.* Ergo orthodoxis Patribus ſufficiebat *indiſcuſ-*

ſa

ſa perſpectio : hæretici et perverſi erant, nempe Eutychiani et fautores Dioſcori, qui poſt jam receptam ſolenniter et ſupſcriptam Epiſtolam adhuc Diſcuſſionem expetebant. En! in quem finem, in quorum gratiam, et quale *examen* fuerit? Num per hoc authoritati Definitionis et Sedis Apoſtolicæ quidquam detrahitur? num examen poſt receptionem et ſubſcriptionem Concilii, et ſolum ad convincendos hæreticos inſtitutum Judicium cenſorium et authenticum circa ipſam Epiſtolam dici poteſt?

Ad 2. Quod ad Epiſtolas Agathonis adfert Febronius, non omni ex parte verum eſt. Equidem verum eſt, quod Georgius Conſtantinop. ita locutus fuerit; ſed in hoc error eſt, quod *alii* dixerint: *inveni in nullo eas a Ss. Patribus diſcrepare.* non enim *alii*, ſed *alius*, unus nempe Siſinnius heracleæ ita dixit. Pariter gratis dicitur, *omnes ſingillatim in eum ſenſum dixiſſe*; nullus enim id exprimit, ſed omnes præter hos aſſignatos ſimpliciter ſuffragia dant, nulla facta mentione examinis.

At-

Attamen missis his Agatho P. in Epistola 2. ad Augustos. Ait, se suis ad Concilium legatis mandasse, ut quæ ipse in Synodo Romana definierat, non amplius examinarentur, tanquam dubia et incerta, sed ut certa ac immutabilia publicarentur: Personas, inquit, *prævidimus dirigere non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa et immutabilia compendiosa definitione proferre.* Et infra: *qui vero hæc confiteri noluerint, ut infestos Catholicæ atque Apostolicæ confessioni perpetuæ condemnationis reos esse.* Prohibuit ergo summus Pontifex, suam definitinonem in examen aut judicium vocari, sed tanquam *immutabilem* et *certam* ab omnibus amplectendam esse voluit. Hæc autem Epistola lecta fuit in Concilio act. 4., ab omnibus probata et subscripta act. 8. uno contradicente Macario Monothelita, quid ideo fuit depositus.

Dicet Febronius, nihilominus eam Epistolam examinatam fuisse a Concilio. Ita est; ast jam quæritur iterum, quo examine? ad quorum instantiam? quo motivo et autho-

thoritate? utrum propria authoritate freti Patres ad ferendum judicium, rectene, an male sensisset Pontifex?

Macarius Antiochenus cum suis Sectatoribus Monothelitis jam actione 1. dixerat, se non novam hæresin docuisse, sed esse doctrinam a Sanctis Conciliis et Patribus acceptam, jussusque est a Concilio, id probare. Legitur in eadem actione Synodus Ephesina, legitur in 2. action. Concilium Chalcedonense, legitur in 3. act. Synodus æcumenica V., legitur in 4. act. Epistola Agathonis. Post hæc Macarius ad Patrum testimonia recurrit, quæ act. 5. 6. 7. pervolvuntur, atque exemplaria græca cum latinis conferuntur. Jam peto: utrum illa Concilia æcumenica et Patres per hoc, quod ibidem lecta et discussa fuerint, hujus Concilii examini et judicio censorio, authentico atque supremo subjecta sint? an non Patres illa Concilia et Patrum testimonia pro lapide lydio et regula tenebant, *NB. ad quam* Monothelitarum hæresin examinabant, et quia illis non consentiret, rejiciebant?

Idem

Idem eſt de Epiſtola Agathonis lecta in act. 4. Dein quinam ſunt, qui huic diſcuſſioni anſam præbuerunt, vel qui eam petebant? utique non Concilium fuit: Macarius, hæretici erant, qui apponebant Concilia et Patres; his occurrendum erat, iique convincendi: citabat Agatho Patres: citabant hæretici. Quæſtio in facto verſabatur, quisnam genuina Patrum teſtimonia proferret? hanc quæſtionem non Concilium, quod de definitione jam certum erat, ſed hæretici excitabant proferentes Codices Ss. Patrum et Conciliorum, et ſua teſtimonia genuina eſſe clamantes: quare examen et collatio non ſolum ad horum inſtantiam inſtitutum fuit, ſed etiam eum in finem, ut illi de hæreſi convincantur, neutiquam vero ut Epiſtola Papæ, ejusque definitio cenſuræ Concilii ſubjiciatur, indeque robur et authoritatem accipiat. Quod ſi hæretici ad Concilia et Patres non provocaſſent, nulla collatio, nullum examen inſtitutum fuiſſet. Si quid igitur probat, illud eſt, hæreticos in dubium vocaſſe definitionem et infallibilitatem Pontificis, et quidem in facto dogmatico,

quod ab eo pendebat, utrum Pontifex genuinis testimoniis et sensu Patrum etc. in sua definitione niteretur? at eo ipso erant hæretici; quippe jam prius in epistola pronuntiavit Agatho, *ut infestos Catholicæ atque Apostolicæ Confessioni perpetuæ condemnationis reos esse, qui hoc*, quod definivit, *confiteri noluerint*: quia vero Macarius ea profiteri, et Epistolæ Agathonis subscribere noluit, eidem Act 8 tanquam novo Dioscoro unanimi Patrum voce anathema dictum, jussusque deponi. Quin nec ex sententia hæreticorum contra judicium et infallibilitatem Pontificis quidquam concludet; nam Concilia æcumenica certo sunt infallibilia, sed illos nec horum judicio et authoritati sese submisisse constat.

Addo adhuc et aliud argumentum, ex hac Synodo depromptum, et ad refellendum Febronium aptissimum. Si non sine examine et discussione, ut hic prætendit, Synodus approbavit epistolas Agathonis, tunc firma et certa est infallibilitas Romani Pontificis ab universali sacra Synodo non nisi post ma-

turam

turam deliberationem, et ſtudioſe approbata et aſſerta; hæc quippe in dictis epiſtolis clare aſſeritur: nam ut alia plura omittam, ait Agatho P. in Epiſt. ad Conſtant. Imper., quæ Act. 4. in Concilio lecta fuit: *cujus Petri adnitente Præſidio hæc apoſtolica ejus Eccleſia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus* (Romanæ Eccleſiæ) *authoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, et NB. univerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſecutæ ſunt etc. etc.* Inferius ait, in Romana Eccleſia fidem illibatam permanere *ſecundum ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit.* In his igitur manifeſte dicitur, univerſales Synodos, et omnem Chriſti Eccleſiam authoritatem et judicium Romanæ Eccleſiæ amplexas et ſecutas fuiſſe, non vero de ea judicaſſe, illam nunquam erraſſe, nec etiam Petri fidem defecturam eſſe, hoc ei a Chriſto promiſſum fuiſſe. Legit iſta Synodus, recepit, approbavit ſolemniſſime. Nam

præter acclamationes et plausus, videamus, quid Patres singillatim, quid tota Synodus in hanc rem locuti fuerint. Sergius Salimbriensis dixit: *Sequens suggestiones Patris nostri Agathonis Sanctissimi Papæ Romæ: et ita suscipio et amplector eas tanquam Epistolas Sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris ejus Beatitudinis.* Domitius Prusiadensis dixit: *suggestiones directas a Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ et Principalis Sedis antiquæ Romæ tanquam a Spiritu S. dictatas — — suscipio et amplector.* Hæc pro Epistolis et judicio Leonis summam authoritatem demonstrant, et cum supra dictis Febronii neutiquam conveniunt. Tandem tota Synodus in Epist. ad Imp. ait: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem, et divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, — — — Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur.* Eadem Synodus in Epistola Synodali ad Agathon. P. *Maximi*

mor-

morbi majoribus indigent auxiliis, — — — idcirco Christus verus Deus noster — — sapientem dedit Medicum vestram a Deo honoratam Sanctitatem. — — Itaque tibi, ut primæ Sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei Petram, libenter perlectis veræ Confessionis litteris, — — quas ut a summo Apostolorum vertice divine præscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus. An Concilium de Pontifice sibi subjecto, et a se mox judicato ita loqui poterit?

Ad 3. Argumentum invalidum! etiam post Concilium generale Nicænum in caussa Arianorum, atque contra alias hæreses quot Concilia alia post alia habita sunt, in quibus rursum errores discussi atque damnati sunt: an idcirco Nicæno vel aliis per posteriora quidquam authoritatis decerptum, aut additum fuit? neutiquam: sed dictum Augustini tunc verificatur: *caussa finita est, error utinam finiatur.* Jam non Concilia, non Pontifices, nec eorum judicia et defini-

tiones, sed hæretici iterum judicabantur, condemnabantur. Caussa jam decisa error adhuc serpebat, tumultus, dissidia non finiebantur. His igitur nova obstacula opponenda, nova remedia adhibenda erant. Et ita factum in caussa Lutheri. Dein Concilium Tridentinum non erat acephalum: in eo omnia cum consensu Pontificis agebantur, præsentibus ejusdem Legatis; igitur objectio extra quæstionem nostram vagatur.

Ad 4. Quid dicet Febronius de Synodis Diœcesanis, præcipue in amplissima Diœcesi, quales in Germania et alibi multæ inveniuntur. In his Episcopus certo solus est Judex et Legislator, et ibi concurrunt omnia incommoda, proportionatim a Parochis et inferioribus Clericis ferenda, quæ respectu Synodi universalis ab Episcopis subferri debent. Nunquid nil opus est, ut Pastores avocentur ab Ovibus, ut pauperes Clerici itinera, tot dispendia et incommoda subeant ad audiendum unum hominem Legislatorem? nunquid idem per Epistolas encyclicas præstari poterit? at in Febronianum hoc do-

gma

gma nullus Episcopus consentiet, et Concilia his non attentis Synodos Dioecesanas praescripsere: pari modo perstant adhuc Cardinalis Orsi rationes, quas Febronius nullatenus subvertit. Interim ad objecta Febronii ita respondet Melchior Canus Lib. 5. Cap. ult. *Nec si summus Pontifex firmus in fidei caussa Judex est, Concilia frustra coguntur. Primum enim Romanus Pontifex non temere et stulte, sed considerate et sapienter debet fidei controversias definire. — — Ita enim Divina procuratio in Ecclesiam se fundit, ut membra praecipua, tametsi a Capite ipso pendeant, Caput tamen tueantur, et juvent. Facit quoque Concilium plausibiliorem Populo fidem propter acceptissima multorum testimonia atque judicia; nam et leges, quae communi optimatum consensu et rogantur, et feruntur, libentius Populus accipit, quam si a Rege solo ederentur.* Et Barlaamus graecus Episcopus Gyracens. Epist. ad amic. *non enim eo, quod sit majoris authoritatis, et magis possit generale Concilium, quam Apostolica Sedes, generalia aggregantur Concilia, sed quia incidentes quaestiones diffici-*

liores sint, *et majori indigent discussione.* Adde, quæ correctionem morum, disciplinam et ritus attinent, consultius, imo quandoque necessarium est, audire Episcopos, ut quæ omnibus Nationibus conveniant, aptius statuantur.

Ad 5. *et* 6. Melchior Canus nihil aliud vult, quam supra dixerat, nihil temere nihil inconsulto statuendum, sed facta prius discussione et deliberatione. Sed quis hoc negat?

*Ad*7. Ad dilemma Petri de Marca dico, illud seductorium, et oppido falsum esse. Hoc patet ex eo, quod si extra Concilium Pontifex aliquam quæstionem definiat, num tunc perit Libertas Episcoporum in Ecclesia dispersa? quisnam cogit illos ad consensum? an non liberrime præstant assensum? quod si ad definitionem Rom. Pontificis extra Concilium liberrima sunt suffragia Episcoporum, horumque consensus, quare non et in Concilio? an non liberrime pronuntiant illud *placet*, vel *non placet.* Imo Libertas suffragio-

giorum adhuc fortius comprobatur, atque elucet iu Concilio, quam extra illud; nam nulla in Concilio præcedit definitio Pontificis, et Pontifex solus in illo non definit, nempe absque, sed in - et cum Concilio. Vel enim in Sessionibus publicis Bullas prælegi facit Pontifex, editque, uti factum est in Conciliio Lateranensi V., vel solum Legatis instructiones dat, significans, in quibusnam consensum præstet, aut non præstet, uti factum fuit in Tridentino? in primo casu prævie materia Episcopis ad deliberandum proponitur, conventus habentur, atque in unum sensum cum Papa liberrime conveniunt; ex hinc desuper Bulla et Definitio formatur, quæ in publica Sessione legitur. Quando tunc Episcopi illud *placet* pronuntiant, an non liberrime id faciunt, quod jam ante fecerunt? quia hic assensus nihil aliud est, quam publica confirmatio et testimonium suæ sententiæ seu suffragii, quod jam ante liberrime tulere. Igitur in hoc casu Pontifex aperte *solus* non definit. In secundo vero casu Papa nullibi omnino definit, sed quod cuilibet Episcopo permissum est,

ipse solum suum consensum vel dissensum prævie ad materiæ decisionem, quæ præ manibus habetur, per Legatos significat, qui *consensus* vel *dissensus* definitio ex Cathedra non est, quamvis hic præ cæteris attendi debeat, cum etiam fatentibus adversariis in decidendis quæstionibus *Rom. Pontificis præcipuæ partes esse debeant*. Qualiter ergo periit Libertas suffragiorum, ubi nulla Pontificis definitio præcessit? hæc de eo, quod Papa agit in Concilio respectu aliorum Episcoporum, et falsum est, quod in suo dilemmate supponit de Marca, Papam *definitive* in Concilio procedere, quia ipse nunquam, vel saltem solus non definit. Quin etiam in iis, in quibus definitio Pontificis jam præcessit, sicuti circa errores Lutheri per Bullam Leonis X., Concilio a Pontifice permissum est, non quidem discutere et judicare definitionem Pontificis, uti supra existimabat Febronius, sed in errores iterum inquirere, sententiam ferre, ac si nulla definitio præcessisset, eo ferme modo, quo alia Concilia post Nicænum caussam Arianorum iterum tractarunt, damna-

runt-

runtque, atque illi Concilio ſtandum eſſe ſtatuerunt. Quare Barthelius opuſc. 1. Hiſtor. Pacificat. Imp. art. 3. de Concilio Tridentino ait: *Patres liberrime in omnibus et ſingulis conventibus atque Seſſionibus ſententiam dixiſſe ſuper iis etiam rebus, quæ legatos et ſummum Pontificem ſpectabant, in aprico eſt tenore Decretorum ejusdem Synodi.*

Hæc equidem æconomia antiquitus in Eccleſia ſervata non fuit. Cœleſtinus I. damnavit Neſtorii hæreſin, et in ipſum Neſtorium ſententiam dixit, quam primum Cyrillo, dein Concilio Epheſino exequendam dedit. S. Leo contra Eutychetem dogma Catholicum definivit Epiſtola ad Flavianum data, hancque definitionem in Concilio Chalcedonenſi ab Epiſcopis recipi et ſubſcribi voluit, *nulla penitus diſputatione admiſſa.* Confer ſupra in Not. ad 1. Agatho P. hæreſin Monothelitarum damnavit, atque in Epiſt. ad Concilium Conſtant. Generale V. de hac definitione, *tanquam de re incerta contendere* prohibuit.

Ex

Ex hac veteris Ecclesiæ, Conciliorum et Rom. Pontificum praxi sequitur 1. Papam posse definitionem ponere, et sententiam dare, hanc dein mittere Concilio, et vocare Episcopos ad subscribendum. 2. Ideo tamen non omnino superflua esse Concilia, sicut nec ista pro superfluis, sed tanquam necessaria habita sunt ad veritatem universalius propagandam, clarius et firmius stabiliendam, et pacem Ecclesiæ citius procurandam. 3. per hanc veterem praxin omnino Rom. Pontificis authoritatem supra Concilia eminere. 4. revera liberiora fuisse suffragia Episcoporum in posterioribus Conciliis, quæ ideo sine caussa sugillat Febronius, quam in illis primis. Nam in posterioribus vel nulla omnino definitio Pontificis præcessit, vel caussam, quasi non præcessisset, Pontifex ex integro examinari permisit, vel definitio in ipso Concilio non nisi ad prævia Episcoporum suffragia data fuit.

Quæ de *examine* Epistolarum Pontificiarum in illis Conciliis objiciuntur, mox supra ad num. 1. et 2. atque sæpius alibi nul-

nullius ponderis, imo ſenſu, quo ab adverſariis allegantur, omnino falſa eſſe, dilucide oſtendi.

Interim non obſtante veterum Conciliorum æconomia nihilominus verum manet, Epiſcopos in Synodis generalibus non eſſe mere *Conſiliarios*, ſed veros *Judices*, ita tamen, ut quando definitio Rom. Pontificis præceſſit, ſe non audeant propria authoritate ſupra eam evehere, atque authoritative de ea judicare, de quo Concilia Epheſinum, Chalcedonenſe, et Generale VI. luculenta nobis præbent teſtimonia. Attamen non dicimus, ſemper neceſſarium aut conſultum eſſe, ut definitio Romanæ Sedis antecedat; nam peculiaris ratio in illis Synodis hanc æconomiam perſuaſit. Hæretici, contra quos inibi præcipue agebatur, maximi erant Patriarchæ, Neſtorius Conſtantinopolitanus, Dioſcorus Alexandrinus, Macarius Antiochenus, quibus multi Epiſcopi adhærebant, quique judicium Epiſcoporum inferiorum aſpernabantur: neceſſarium igitur erat, ut primus Epiſcopus et Caput Eccleſiæ totam ſuam interponeret autho-

thoritatem, sententia reliquos orthodoxos Episcopos præiret, quo liberius isti ab omni metu liberati suam proferre possent, atque illi non haberent ansam conquerendi, se legitime judicatos non fuisse.

Docent igitur illa Concilia supremam Rom. Pontificis super ipsa Concilia Potestatem, hanc tamen in iis exercitam non fuisse, nisi quando necessitas et ratio id persuasit, quia caussa ad rectum finem perduci, paxque reddi non potuisset. Docent posteriora Concilia modestiam Rom. Pontificum, ubi deficiente tali necessitate, eam potestatem in iis non exercuerunt, Episcopis liberrima suffragia permittendo, sic tamen, ut in omnibus etiam consensus Capitis accederet, ne Concilium *acephalum* evadat, et quia in gravioribus caussis *Rom. Pontificis præcipuæ partes esse debent.* Videat Febronius qualiter in Conciliis liberrima sint suffragia Episcoporum, et quæ sua jactantia est, nos ad argumentum de Marca nec attonitos fuisse, nec palabundos fugisse. Attamen de his plura §. seq. Sed dum libertas suffragiorum ab

ab Episcopis ferendorum in Conciliis aperte demonstratur, illi adhuc Scrupulus hæret, quod stante infallibilitate Pontificis saltem extra Concilium, vel si definitio Papæ jam præcessit, etiam in Concilio, non sit liber *assensus* Episcoporum in Ecclesia dispersorum, vel tum congregatorum, quia doctrinæ legitime definitæ non licet dissentiri. Ita est: *Doctrinæ legitime definitæ non licet dissentiri*, et ideo Ss. Cœlestinus, Leo, Agatho Pontifices nec in Concilio amplius de doctrina a se definita disputare permiserunt. At in Potestate Episcoporum est, inquirere, utrum quæstio *legitime*, id est, adhibitis iis mediis et conditionibus, quæ ad quæstionem decidendam necessariæ et opportunæ sunt, definita fuerit? si ita, liberrime præstant assensum, et ita se Judices esse demonstrant: si non: monere debent Pontificem, instruere, ut res altius examinari possit, et inde ab eo ipso, caussa plenius instructa atque discussa, et clarior et firmior prodeat decisio. Sic Pontifices intendunt Conciliis, ut ibi omnia legitime ac ordinate procedant, et Episcopi extra Concilium inten-

tendunt Pontifici, ut in quæſtionibus decidendis etiam ipſe legitime procedat, ſic utrobique infallibilis prodibit definitio. Atque in hoc ſtat ille conſenſus et unitas Corporis Eccleſiæ, quam Chriſtus Characterem eſſe voluit ſuæ Eccleſiæ in perpetuum duraturæ. Cæterum hactenus dicta nequaquam contradicunt noſtræ doctrinæ, quam alibi de infallibilitate Rom. Pontificis dedimus; hic enim jam non de authoritate, ſed de modo decidendi quæſtiones agitur.

Ad 8. Ratiocinium Magorenſis ſuppoſito laborat, in quo peccant omnes Baſileenſis Concilii fautores, et ipſe Febronius. Concilium, quod repræſentat univerſalem Eccleſiam, non eſt ſine Capite, quia ſine Capite non repræſentatur tota Eccleſia, cujus pars præcipua et primaria deficit. Quod ſi autem Concilium una cum Papa unitum hunc ipſum judicaret, tunc utique jam non ſolum Concilium, ſed Papa potius ſe ipſum judicaret. Videat primo fallaciam, dein ridiculum hujus diſcurſus, quem ex Andrea Magorenſi depromit. Dein Concilium ſine Ca-

Capite poteſt errare, Epiſcopi omnes in Concilio legitimo poſſunt peccare. Quid inde concludet? ergo totum Concilium non eſt infallibile? non habet ſupremam authoritatem? ſic contra ſe ipſum perorat.

§. VII.

Concilia Generalia abſolute neceſſaria eſſe, Eccleſia ſæpius agnovit. Et frequentius haberi optat Eccleſia, et Canones præcipiunt.

Quando Boſſuetus quærebat, *quorſum attineret, ab ultimis Orbis partibus cieri Epiſcopos tantis laboribus, tantisque ſumptibus, et Eccleſias Paſtoribus viduari, ſi totum erat in Rom. Pontifice?* Reſpondet Cardinalis Orſi tom. 2. pag 334. Hoc non quærendum eſſe ex Rom. Pontificibus Sylveſtro, Damaſo, Cœleſtino, Leone, Agathone, Hadriano, qui nusquam dicunt, poſt Apoſtolicæ Sedis decreta ad confodiendas hæreſes opus fuiſſe æcumenicis Synodis, ſed ex Orientis Imperatoribus, et Regiæ urbis Epiſcopis quærant, cur poſt Apoſtolicæ Sedis Decreta *per univerſum occidentem, et maxi-*

mam Orientis partem recepta, voluerint tantis laboribus, ſumptibusque adhuc Concilia æcumenica celebrari ? ſi reſponderint, quod non aliter potuerint ſolemnia Romanæ Sedis Decreta, toto jam fere orbe ſuſcepta, invictum authoritatis robur obtinere, reſponſio jam non noſtram, ſed quæ etiam Gallicanis Epiſcopis communis eſt, ſententiam labefactat. Igitur hoc argumento vel non probatur Conciliorum neceſſitas, aut eo demonſtratur, quod neque accedente majoris partis Epiſcoporum, et eorum moralis unanimitatis conſenſu irreformabile evadat Apoſtolicæ Sedis de fidei controverſiis judicium. Hoc ratiocinium ſingulare vocat Febronius, quaſi celebratio primarum Synodorum Generalium fuiſſet particulare attentatum Imperatorum et Patriarcharum Conſtantinop. Orientis adverſus authoritatem et infallibilitatem Rom. Pontificis: quaſi horum Conciliorum acta non eſſent factum totius Eccleſiæ: quaſi hoc factum toties repetitum non ſit apertum documentum conſtantis diſciplinæ, quo medio finaliter implexæ et tumultuoſæ fidei controverſiæ terminari debeant.

beant. Igitur potius dicendum fuiſſet, *ex univerſali Eccleſia quærendum eſſe, cur ea poſt Apoſtolicæ Sedis Decreta adhuc voluerit in Synodos coire.* Dein Orſi retorſio Gallorum ſententiam non debilitat, ſed ſupponit, et firmat, tunc communiter et univerſim talem concordantem non congregatorum Epiſcoporum ſententiam pro *finali* judicio habitam non eſſe. Quippe non numerus Epiſcoporum Pontifici adhærentium, ſed cauſſæ difficultas, et tumultus attendebantur, atque putabantur, aliter tolli non poſſe, aut Imperatoria Poteſtate prius comprimi, quam articuli fidei ea authoritate definiti eſſent, quæ ab omnibus, et in omni caſu *pro irrefragabili* haberetur.

1. Vel tunc non cogitabatur de ea quæſtione, quæ hodie in Scholis tractatur, vel non putabatur rei Catholicæ conſultum, ſe in hanc indagationem intromittere, et interim certum ac naturale Conciliorum remedium differre, aut negligere.

2. Orſi, Bellarminus, Canus admittunt, eo caſu Concilia æcumenica deſidera-

ri posse, quando res adeo implexa est, ut ad eam terminandam ipse Pontifex judicet, sibi opus esse, non modo domesticæ, sed et plenioris, imo generalis Synodi consultatione. Verum si ad hæc restringitur necessitas Conciliorum generalium, certe supervacua dicenda erunt octo priora Concilia generalia, quia Pontifex hoc fine iis usus esse non noscitur, imo aliqua sine ejus voluntate adunata leguntur.

3. Card. Zarabella tract. de Schism. ait: *mos antiquus habuit, quod omnia negotia difficilia terminabantur per Concilia, et crebro fiebant. Postea vero summi Pontifices, qui magis ad modum terrenorum Principum, quam Apostolorum, rexerunt, non curarunt facere Concilia, ex qua omissione prodierunt multa mala.* Igitur secundum morem antiquum Ecclesia indiget Conciliis, qui Ecclesiam secundum morem terrenorum Principum regere amant, non indigent. Quid vero maxime conveniat, imo necessarium sit, longa experientia edocti Patres Concilii Constant. Sess. 39. statuerunt Decretum *frequens.*

4. Si

4. Si necesse est, *ut veniant scandala*, si *oportet esse hæreses*, necesse etiam, ut in Ecclesia sit *certum* et *ultimatum* aliquod judicium. At res *fidei* nulla meliori ratione, quam per generale liberum Concilium decidi posse, declarant Recessus Imperii Romano-Germanici ab anno 1524. usque ad annum 1551. Adde Gibert.

5. Idem Tom. 1. Corp. Jur. Can. in Proleg. pag. 169. observat: infallibilis *consilio* non indiget. Hujus judicium nemo improbare potest, nisi forte ii, qui Pontificis infallibilitatem nasci dicunt solum post approbationem Episcoporum: sed sic necesse erit, eos confiteri, Pontificem ejusmodi prærogativam habere a Concilio. Hoc concesso tollitur necessitas explorandæ mentis Pontificiæ circa uniuscujusque Decreti argumentum. Nihil quippe foret in suffragio Pontificis, quo tanquam certa regula Patres adstringerentur, sed sufficeret Legatos audire, sicut aliorum Episcoporum Procuratores audiuntur, qui speciali instructione non indigent circa singula Capita per Sy-

nodum discutienda, sed sufficit generale pro omnibus in Concilio gerendis.

6. Genuina hæc principia sectatus Hadrianus VI. errorum Lutheri condemnationem, a Leone X. anno 1520. factam non allegavit in litteris ad Fridericum Ducem Saxoniæ, nec in mandatis Francisco Cheregato Legato suo in Germaniam eunti datis: atque in ultimis sic ait: *et certe fatemur, Luthero* (qui se a Leone X. inauditum condemnatum esse querebatur) *defensionem negari non debere in his, quæ sunt facti, hoc est, utrum dixerit, nec ne, utrum prædicaverit, vel scripserit, nec ne? super divino jure et materia sacramentorum standum est authoritati Sanctorum et Ecclesiæ.* Dein ait, in dubium revocari non debere, quæ per *Concilia generalia* et *universam Ecclesiam* determinata sunt.

7. Clemens VII. in Litteris anno 1532. ad Franciscum Regem Galliæ datis affirmat, Concilium generale ad sopiendam hæresin Lutheri unicum a suis decessoribus usurpa-

tum

tum remedium esse. Et Paulus III. in convocatione Tridentini tres Concilii generalis habendi caussas memorat, *ad tollenda in Religione dissidia, ad reformandos mores, ad suscipiendam contra infideles expeditionem, quorum*, inquit, *trium Capitum caussa, Concilium maxime esse necessarium semper duximus.* Launoius lib. 3. Epist. 4. producit Rom. Pontificum 36. testimonia, quibus Conciliorum non modo utilitas, sed etiam necessitas identidem comprobatur.

8. Petrus de Alliaco ait, schisma non tamdiu duraturum fuisse, sicut nec schisma Graecorum, si cito Concilium generale provisum fuisset, adeoque damnabiliter peccasse sive Principes, sive Praelatos, qui convocationem Concilii neglexerunt, aut impediverunt. Addit, casus arduos aliquos esse, sicuti est reformatio Curiae Romanae, in quibus non potest commodius, quam per Concilium generale provideri.

9. Sicut generalia Concilia in quibusdam occurrentiis, non raro obvenientibus,

 ne-

necessaria sunt, ita *frequens* eorundem celebratio Spiritui Ecclesiæ et Canonicis Sanctionibus conformis est, quod ex Concilio Constantiensi observant Martene, et Durand, et Patres Basileenses Epist. ad Eugen. P. dicunt, Decretum *frequens* ita esse in Ecclesia necessarium, sicut oculus in Capite, nec in Potestate Papæ esse, hoc decretum abolere, aut ejus dispositionem frustraneam reddere.

10. Quando Bellarminus cum suis Theologis Scholasticis ex volaticæ Academiæ principiis *Concilia utilia esse* dicit, et *suo quodam modo necessaria, non tamen absolute et simpliciter*, Conciliorum frequentationem ad rerum naturalium conditionem redigit, quæ est summa in philosophando fallacia: alius est rerum *moralium* status, quo æstimanda est Synodorum Generalium celebratio, alius rerum *naturalium* status, quo perpenditur, quid *absolute* et *simpliciter* necessarium sit. hac fraude deposita, disputatio tota concidit.

11. Ad supprimendas quasdam hæreses non opus fuit Concilio, etiam particulari: e-

con-

contra aliæ non nisi immensa vi Synodorum Generalium suffocari potuerunt. Nempe *illæ* unam, alteramve solum Ecclesiam, *hæ* majores quosdam et plures infecerant Episcopos. Remedium prudenter malo proportionatur; huic Augustinus Pelagianis Concilium Generale petentibus, illud denegandum putavit, dum contra alias hæreses tanquam necessarium decretum fuit.

NOTA.

Febronius *absolutam* necessitatem Conciliorum Generalium vage et simpliciter pronuntiat: quandoque necessaria esse nemo negat; attamen si de necessitate sermo est, tunc præprimis quæritur, *ad quid*, *in quem finem* sint necessaria? utrum solum ad decidendas fidei quæstiones, vel ad finiendos errores jamjam per totam aliquam Nationem, et plures Ecclesias grassantes, quibus etiam docti, aspectabiles, atque potentes viri impliciti sunt, ad tumultus et seditiones sedandas, vel tandem ad disciplinam, reformationem aliquam universaliter

inducendam, ſtabiliendamque? in his poſtremis caſibus dicimus, Concilia generalia eſſe neceſſaria, quia in tam difficili negotio, et ad plures ſe extendente, qui audiri volunt et debent, et quibuscum tractandum eſt, unus Pontifex non ſufficit, et facilius, atque efficacius per univerſalem Congregationem abſolvitur. Aſt in primo et ſimili caſu, his non intervenientibus circumſtantiis atque incommodis, negamus, neceſſaria eſſe Concilia generalia, quod documenta et praxis univerſalis Eccleſiæ aperte demonſtrant. Quot enim hæreſes a ſolis Rom. Pontificibus irrefragabiliter damnatæ ſunt, et mox ut tales poſt judicium Apoſtolicæ Sedis ab univerſa Eccleſia habitæ? et unde per novem fere priora ſecula tantummodo octo Concilia generalia celebrata, dum tamen longe plurimæ hæreſes in Eccleſia exortæ ſint, quin tamen aliquod horum Conciliorum cogitaret de Conciliis generalibus per ſingula Decennia celebrandis, prout Conſtantienſe ſtatuit. Nullius momenti ſunt, atque contra ipſum pugnant effugia Febronii, dum ad judicia Epiſcoporum et Conci-

ciliorum Provincialium, quibus etiam hæreſes configuntur, aut *ad conſtantem et uniformem univerſalis Eccleſiæ conſenſum obſervantiamque* recurrit. Quippe judicium Epiſcoporum ſingularium et Conciliorum Provincialium *certo* non eſt *infallibile* et *finaliter* deciſivum: igitur illæ hæreſes extra univerſales Synodos damnatæ adhuc hæreſes *certo* non eſſent, neque Doctrina his contraria dogma fidei, quod dicere hæreticum et impium eſt: *conſtans vero et uniformis univerſalis Eccleſiæ conſenſus et obſervantia* quandonam obtinet, ſuumque effectum producit, ut aliqua nova quæſtio pro hæreſi et dogmate per hoc medium deciſa videatur? nunquid Secula exſpectanda erunt, et interim res in incerto fluctuat, atque aliquis nec hæreticus, nec Catholicus, nec bonus, nec malus dici poteſt, cauſſa *finaliter* nondum deciſa? nam *univerſalis obſervantia* poſt multa tempora inducitur, et conſenſus totius Eccleſiæ non minus poſt longiſſima intervalla haberi, et tum vix cognoſci poterit. Et quid deinde illis hæreſibus, quæ ne quidem toti Eccleſiæ et ubique innotuere? At jam ad argumenta Febronii redeamus.

Incaſſum Cardinalis Orſi ratiocinium ſuggillat Febronius, quod contra ipſum optime et convincenter concludit. Utique Febronius ſupra §. 2. jus convocandi Concilia generalia ſolis Imperatoribus vindicat, atque per totum probare contendit, priora ab Imperatoribus tantum convocata fuiſſe. Si ita: tunc utique non aliunde, quam ab Imperatoribus quærendum eſt, cur illa convocaverint? hoc factum, hæc geſta Eccleſiæ non formant, neque probant diſciplinam, nec pro tali haberi poſſunt in ordine ad neceſſitatem generalium Synodorum etiam poſt Decreta et deciſiones Sedis Apoſtoſtlicæ, quia Eccleſia non *proprio motu*, *authoritate*, aut *decidendæ quæſtionis* neceſſitate adacta, ſed *ex Imperio Imperatoris* coibat, cui refragari non licebat, quia ut Febronius ait, *jus* habebat *imperandi Epiſcopis ſuæ Jurisdictioni et Imperio ſubjectis, ut in cœtum coeant.* Immotum ergo ſtat in Syſtemate Febronii Cardinalis Orſi Ratiocinium.

Valet et alterum Orſi argumentum firmiſſime. *Si tunc communiter*, uti ait Febronius

nius, *et universim concordans cum Papa non congregatorum Episcoporum sententia pro finali judicio habita non fuit*, tum tota Gallorum sententia ruit, quæ in declaratione Cleri Gallicani de anno 1682. Proposit. 4. ita formatur: *in fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* Galli non petunt semper Concilium Generale, sed sufficit illis consensus Ecclesiæ seu Episcoporum dispersorum. Fateatur igitur Febronius, post judicium Papæ vel Concilia generalia per se non esse necessaria, vel neque Gallorum sententiam subsistere.

Ad 1. Nihil horum, quæ objicit, sed interveniebant aliæ caussæ, in quibus Concilia necessaria esse supra diximus. Patiebantur plurimæ ac maximæ Ecclesiæ, ipsi Patriarchæ hæresin inducebant, aut favebant, et quod plus est, totus fere oriens commovebatur, tumultibus, Seditionibus replebatur, illi ab inferioribus Episcopis et Conciliis

liis judicari nolebant, nullus erat, qui Rom. Pontificum judicia et ſententias contra tam potentes Patriarchas vel tot Epiſcopos executioni daret. Hæc igitur et ſimilia neceſſitatem Conciliorum Generalium perſuadebant. Hinc eſt, quod Rom. Pontifices præprimis ſua Decreta et definitiones in Conciliis generalibus executioni mandari urgebant, quæ jam prius ipſi ferebant, uti Cœleſtinus contra Neſtorium, S. Leo contra Dioſcorum, Agatho contra Monothelitas, Adrianus I. contra Iconoclaſtas, Adrianus II. contra Photium. Hinc eſt, quod Concilia easdem definitiones et judicia tanquam *formam* et *normam* ſibi præſcriptam cenſebant, agnoſcebant, et venerabantur, quam in judiciis ſuis ſequi deberent. Et hæ non meræ conjecturæ aut argutiæ ſunt, quales objicit Febronius, ſed ex geſtis Conciliorum, et hiſtoria illorum temporum pateſcunt.

Ad 2. Non eſt hic unicus caſus, quo Concilia neceſſaria dicimus, ſed etiam quos modo memoravi, et quos Bellarminus, Canus et Orſi quoque non excludunt: propter

pter tales vero priora Concilia convocata fuisse, notum est.

Ad 3. Quid Zarabella, quid Febronius Pontificibus exprobrant, raro fieri Concilia, si non penes hos, sed penes Principes stet jus ea convocandi? nunquid permulta negotia difficilia per novem priora secula in Ecclesia contigerunt? et tamen octo solum celebrata sunt Concilia generalia. Cessat ergo invidiosa Zarabellæ crisis; imo eo ipso etiam per talia principia Decretum *frequens* Concilii Constantiensis frustraneum redditur; nunc per illa mutata est Scena, et quod prius crebro fieri voluit Concilium, jamjam fere impossibile factum est. Certum est, eo tempore, et quotiescunque tale schisma recurrit, ubi de dubio agitur Capite Ecclesiæ, necessarium esse Concilium generale. Ast prævidisset Concilium Constantiense, in subsequenti Basileensi non pacem, et concordiam, sed schisma per ipsum Concilium, legitimo et indubio Capite Ecclesiæ existente: prævidisset, postmodum talia principia foveri, et juribus Conciliorum, et primatui di-

vino,

vino, supremæque Sedi contraria, quibus ipsa Concilia frustranea et impossibilia redderentur, scilicet penes Principes stare jus ea convocandi, penes hos esse, ut Episcopi in Conciliis compareant, vel non compareant, sicque ut Concilia generalia sint, vel non sint, in facultate eujuslibet Nationis et Regni esse, ut Concilii etiam generalis Decreta, Statuta, leges, disciplinam, reformationes recipiant, vel non recipiant, et ita Concilia optato effectu et fine careant, atque hanc facultatem tanquam libertatem et Privilegium jactari: prævidisset tandem Concilium Constantiense, a seipso jacta fuisse semina, qnibus tam exorbitantes sententiæ fulciuntur; num his prævisis, atque perpensis, nihilominus frequentem Synodorum generalium celebrationem inculcasset, statuissetque? haud credo. Utique prius plana reddenda fuisset via, obstacula removenda, eorum celebratio facilior facienda, non impossibilis relinquenda, pariter eorum authoritas stabilienda, antequam frequentatio pro lege poneretur; dein de certo fructu et effectu providendum fuisset. Quid juvat,

ime

imo quid non nocet toti Ecclesiæ, toties concuti orbem, toties Episcopos cum ingenti sumptu et præjudicio Ecclesiarum a suis gregibus evocare, si postea revertentibus ad sua non licet executioni mandare, quæ in Concilio statuta sunt? si grex, si subditi non tenentur ea acceptare? vel si ipsis Episcopis in Concilio congregatis non licet loqui, proponere, aut recipere, quæ sibi, tanquam a Spiritu S. ad regendam Ecclesiam Dei constitutis, sed quæ Principibus, Nationi, subditis suis placent? num hinc Concordia, Pax, et uniformis Ecclesiæ disciplina exspectanda erit? itane adversarii uno ore continuo generalia Concilia inclamant, et insimul ea vel frustranea, vel impossibilia reddunt.

Ad 4. Dissensiones circa res *fidei* optime a Conciliis generalibus tolli posse, non diffitemur. At dicimus, hanc non unicam esse viam, qua haud minus bene tolli possunt; hinc sequitur, Concilia non semper esse necessaria. Igitur ex recessibus Imperii *absolutam* Conciliorum necessitatem non-

dum probas, præcipue dum ibi non ſolum de decidenda fidei quæſtione, ſed etiam de reducenda Concordia et pace agebatur. Interim neſcio, quid hiſce velit? anne putat, per receſſus Imperii Eccleſiæ legem dari? doctrinas ſuas ex conſtanti traditione Eccleſiæ, non Imperii, firmare promiſerat.

Ad 5. Pontifex infallibilis utique indiget *Conſilio*, quia non temere et ſtulte, ſed conſiderate et ſapienter, ut ait ſupra Canus, debet controverſias definire. Etiam Concilium generale eſt *infallibile*, et tamen prius in cauſſas inquirere, eas diſcutere, inſuper Theologorum et Juriſconſultorum *Conſilia* atque ſententias audire debet. Econtra infallibilis *Concilio* non indiget generali, niſi id non tam quæſtionis deciſio, quam aliæ cauſſæ ſupra memoratæ poſtulent. Porro ſi vera eſt Giberti obſervatio, tunc neque in quæſtionibus decidendis *eſſent præcipuæ partes Rom. Pontificis*, quod tamen Galli volunt, Jura et ſuffragia Pontificis atque Epiſcoporum per omnia eſſent æqualia, rueret Primatus, Caput iners maneret, ex quibus

bus ſequitur, obſervationem Giberti fundamento deſtitui, aut nimium exorbitare.

Ad 6. Quid hoc derogat juri et Prærogativæ Rom. Pontificis, ſi ipſe poſt ſuam definitionem, ad inſtantiam partium de novo cauſſam in Concilio tractari permiſit, præſertim quando agebatur ſolum *de quæſtione facti?* num ipſe ad tempus jure ſuo cedere non potuit? num quæſtio in Concilio absque ejus authoritate iterum diſcuſſa fuit? an non ipſe in hoc judicio Præſes et Judex fuit? hæc non defectibilitatem judicii, ſed prudentem æconomiam ad ſopiendas adverſariorum querelas, ad evacuandam eorum erga Sum. Pontificem perhorreſcentiam, ad præcludenda iisdem omnia effugia demonſtrant.

Ad 7. Clemens VII. præmonet, a Cæſare omnia jam tentata fuiſſe, etiam comitia Auguſtana nihil profuiſſe, obſtinationi Lutheranorum nihil remedii afferre potuiſſe, Concilium ab ipſis Lutheranis poſtulatum fuiſſe. Videt, jam alia concurrere, nempe tumultus, bella, ſeditiones, ſic ut ipſum

Caput Imperii despectui haberetur, ideo jam non de sola articulorum decisione, sed de Pace *Imperii* et *Ecclesiæ* reducenda agebatur, atque *in simili casu* Concilia usitata et necessaria esse, verum est. Inde tamen non sequitur, *in omni casu*, quando nempe de sola controversia fidei et morum definienda, hæresi damnanda, doctrina Catholica stabilienda, disciplinæ articulo promovendo agitur, Concilia necessaria esse.

Pariter inter tres caussas a Paulo III. memoratas utique etiam sola expeditio contra infideles a Summo Pontifice decerni et perfici non potuit, non auditis et assentientibus omnibus, quorum interest, quique illam promovere, vel quidquam contribuere debebant. Tandem sibi pessime consuluit Febronius, quando ex Launoio 36. testimonia Rom. Pontificum citat, quibus jam non utilitas, sed et necessitas Conciliorum comprobatur. Quippe id ipsum manifesto argumento est, summos Pontifices a Conciliis generalibus non abhorruisse, neque ea obstinate impedivisse, prout Febronius eos sæpe falso incusat.

Ad 8. *et* 9. Petrus Alliacenfis loquitur de fchifmate fui temporis, quo cafu Concilium utique neceffarium eft pro legitimo et certo Capite conftituendo, ne Ecclefia tamdiu maneat acephala. Sed ab uno vel altero cafu particulari non concluditur generaliter ad omnes cafus neceffitas Concilii. Quod de fchifmate græcorum addit, ad iftud tollendum utique plura Concilia generalia congregata fuere, et tamen funditus fublatum non fuit. Ex hoc, fi ad modum Febronii argutari velimus, fequeretur, Concilia generalia fæpè jam non neceffaria, fed inutilia et fuperflua effe. De reformatione Curiæ vero jam alibi fatis dictum fuit.

Pariter de decreto *frequens* mox fupra verba fecimus. Si hoc Decretum non alium fructum reportaret, quam qualem in Bafileenfi Concilio protulit, ubi fchifmatum vepres non extirpatæ, fed feminatæ funt, atque fuccreverunt, profecto fatius, imo neceffarium foret, illud antiquare; nempe tunc verum effet, quod Gregorius Nazianzenus de Conciliis fui temporis fcripfit ad Proco-

 pium:

pium: *Ego si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii lætum finem et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem et incrementum habuerit.* Absint tamen ista a legitimis Conciliis et vere æcumenicis Conciliis, quæ pro norma non sumunt Basileensium tentamina, et ubi Capiti debitus honor impenditur, atque vicissim membra æqua proportione suis juribus et libertate fruuntur. Hoc tantum interest, ut prius ad Concilia facilis et planior via sternatur, ea ubivis authoritatem obtineant, et postmodum suo fine non frustrentur.

Ad 10. Pontifices, Concilia certos casus exprimunt, in quibus et quando necessaria sint Concilia; inde Bellarminus concludit, non semper et in omni casu, seu *absolute* et simpliciter necessaria esse. Hoc *Scholasticorum fraudem, et summam in philosophando fallaciam* vocat: at quod in statu *moralium* semel et in aliquo casu necessarium est, num etiam *semper* et *ubivis* necess-

ceſſarium erit? Febronius verbis inanibus lectorem circumducere, et obcæcare vult.

Ad 11. Ergo ipſo fatente, ad damnandas hæreſes, et fidei quæſtiones decidendas non ſemper neceſſaria ſunt Concilia, ſed et aliæ cauſſæ debent concurrere, quod et nos dicimus. Confer, quæ ſupra in Not. dixi.

Quæ autem Febronius inſuper de frequentia et neceſſitate Conciliorum generalium in poſterioribus tomis habet, ut plurimum eorum, quæ hic attulit, repetitiones ſunt, vel cum his coincidunt. Nos nullibi dicimus, Concilia generalia *nunquam* neceſſaria eſſe: hoc tantum aſſerimus, ad definiendam fidei aut morum quæſtionem, ad damnandas hæreſes, ad doctrinam Catholicam declarandam ea *per ſe* non eſſe neceſſaria, ſed ſufficere irreformabile Rom. Pontificis judicium, nempe niſi aliæ cauſſæ accedant, unde neceſſitas Concilii perſuadeatur. Dicimus ulterius, ab iis ipſis, qui *frequentiam* et neceſſitatem Conciliorum generalium plenis buccis prædicant, ea inſimul fere impoſſibi-

lia et fruſtranea reddi. Tandem nos loquimur de Conciliis vere legitimis, non de talibus, quale Baſileenſe et alia fuere, quæ pacem Eccleſiæ turbarunt, non dederunt.

§. VIII.

Parum firma eſt illorum Sententia, qui a plurima parte Epiſcoporum, Definitioni Rom. Pontificis extra Concilium adhærentium; ultimatum et irrefragabile judicium conſtitui exiſtimant.

Nota.

Mira eruditione, et ſingulari ingenii acumine hunc Paragraphum elaboravit Febronius, ut ſingularem ſuam ſententiam firmaret. Huic refellendæ tempus nos non conſumimus; habet enim contra ſe torrentem, atque communem Theologorum Catholicorum doctrinam, quin et ipſum Boſſuetum, totamque Gallicanam Eccleſiam, nam et ibi irreformabile declaratur, *Romani Pontificis judicium*, ſi *Eccleſiæ diſperſæ* conſenſus acceſſerit. Interim Febronius ſuis in argumentis æquivocationibus non deſtituitur; ludit nempe in vocibus *ſinguli*, *Cor-*

Corpus, *universa Ecclesia*. Per *universa*, *Corpus*, *Ecclesia* modo intelligit *Concilium Pastorum congregatum*, modo totam Ecclesiam *extra Concilium*, scilicet prout in subjecto textu Concilia et Patres convenienter ad suum sensum loqui exoptat, hunc eidem substituit.

Citat illa verba Christi: *ego vobiscum sum*, quæ de Conciliis interpretatur, sed reticet subsequentia, *omnibus diebus*, quæ clare indicant, de Conciliis unice intelligi non posse, quia *omnibus diebus* non sunt congregata, nec existunt. Ubicunque Patres et Conciliia de *communibus* disceptationibus, deliberationibus, consensu loquuntur, hæc de Conciliis generalibus tantummodo intelligi vult, quasi nullus esset consensus Ecclesiæ extra Concilia, nulla deliberatio, disceptatio in Conciliis Provincialibus, in Concilio domestico apud Rom. Pontificem, quando de decisione gravioris caussæ agitur, et quasi in deliberatione, disceptatione non scientia, doctrina, eruditio, sed numerus litigantium attendi deberet.

A ſtatu rerum *naturalium* et *Civilium*, quod priori paragrapho inhibuit, exprobravitque Bellarmino, argumentatur ad ſtatum *Divino - Hierarchicum*, ac ſi aſſiſtentia divina non æque Eccleſiæ *Diſperſæ*, ac in Concilio *congregatæ* promiſſa fuiſſet, nihilque operaretur extra Concilium. Pariter cum Gerſone et Almaino philoſophatur, horumque ambiguitates et argutias adoptat.

Poſt hæc ultro admittit ſequelam, quæ ex ſententia ſua neceſſario fluit, nempe nullum hæreticorum *ultimato* et *infallibiliter* damnatum eſſe, niſi per *univerſale Concilium.* Si hoc verum, tunc nulla proprie *hæreſis*, nec qui eam ſectabantur, *hæretici*, neque contraria doctrina vere *Catholica* et *Dogma fidei* dici poterunt, niſi poſtquam id in univerſali Concilio fuerit ſtabilitum, quæ doctrina certo falſa, ſumme ſcandaloſa, et Catholica non eſt. Si hoc verum eſt, quare mox ſupra in fine prioris paragraphi ait „ quod Auguſtinus Pelagianis Concilium generale petentibus, non neceſſarium, ſed denegandum eſſe putaverit: pro-

profecto non denegandum sed necessarium fuisset stante hac doctrina Febronii.

Attamen in hac sua sententia nullum effugium invenire ait Jansenistas, quamvis *ultimato* et *in forma* nondum sint condemnati; rationem dat, quia modo adsunt omnia *materialia* prævidendæ damnationis in futuro Concilio generali. At profecto habent effugium in sententia Febronii: si post Judicium Rom. Pontificis, si post consensum Episcoporum nondum sunt *ultimato* et *infallibiliter* damnati, tunc licite adhuc adpellationem interponunt ad futurum Concilium generale: nec posita illa *materialia* eos absterrere debent; quippe in Systemate Febroniano multum interest inter *singularia* ac *dissgregata* plurimum judicia, et inter *Collegiale* conclusum: quisque domi suæ ex privato sensu judicat de re et objecto controverso, econtra in Senatu seu Collegio singuli eriguntur, et confirmantur suorum Collegorum eruditione, intellectu et experientia: disputationes, contradictiones dant ansam ulterioribus reflexionibus, unde re-

resultat amplior caussæ dilucidatio, exactior et securior disscussio, curatius examen etc. ita Febronius. Si ita est, Jansenistæ nullatenus perperam sperare poterunt, non obstantibus his *materialibus* jamjam positis, caussam post conciliare examen adhuc in favorem suum decidendam fore. Quare per ridiculam distinctionem inter *materialia* et *formam* minime evadit Febronius, sed aperte sustinet appellantium Jansenistarum sententiam, scilicet Ecclesiam dispersam non esse infallibilem, sed tantum in Conciliis congregatam, quod præcipuum illorum effugium est.

Sed ut alia omittam, Episcopi Gallicani hanc sententiam nullatenus Catholicam, sed traditioni, veteri Ecclesiæ praxi, promissioni Christi Petro factæ omnino contrariam esse, in litteris ad Innocentium X. P. datis profitentur. Postquam enim dixissent, quemadmodum Innocentius I. ad Episcoporum Africæ relationem hæresin Pelagianam damnavit, ita Innocentium X. ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresin ex adverso, *Pelagianæ oppositam autho-*

thoritate profcripfiffe; poftea ita pergunt: *enimvero vetufta illius ætatis Ecclefia fola Cathedræ Petri communione et authoritate fulta Pelagianæ hærefis damnationi absque cunctatione fubfcripfit* (hæc omnino cohærent cum iis, quæ Cap. V. §. 1. in Not. diximus. Profequitur Epiftola) *perfpectum enim habebat* (vetufta Ecclefia) *non folum ex pollicitatione Chrifti Petro facta, fed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex Anathematifmis adverfus Appollinarem et Macedonium, nondum ab ulla Synodo damnatos, judicia pro fancienda regula fidei a fummis Pontificibus lata fuper Epifcoporum confultatione, divina atque fumma per univerfam Ecclefiam authoritate niti, — — — — — five Epifcopi in confultatione fententiam fuam ponant, five omittant.* Anne a judicio, quod *divina et fumma per univerfam Ecclefiam authoritate* nititur, appellari poteft? anne hoc adhuc eft reformabile? anne Febronius vere fententiam *Ecclefiæ Gallicanæ*, vel potius errantium et damnatorum quorumdam fcriptorum fequitur?

§. IX.

§ IX.

Quæ priori paragrapho tradita, illustrantur, et confirmantur ex controversia de Baptismo Hæreticorum inter Ss. Cyprianum et Stephanum P.

S. Stephanus P. in dissensione tribus præsidiis munitus incedebat, scilicet *authoritate primæ Sedis*, ita Firmilianus Epist. 75. ad Cyprian. *Stephanus de Episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt.* Secundo *traditione*, sed hanc non legitimam esse Cyprianus cum suis contendebat, nempe illo tempore nondum satis constabat, pro qua parte staret veritas et traditio. *Tertio numero Episcoporum cum Rom. Pontifice sentientium.* Augustinus lib. 3. contra Crescon. Cap. 3. At inprimis intelligitur, eo jam ævo sub obtentu Cathedræ Petri a Rom. Pontificibus amplius quid juris prætensum esse, quam eis ab aliis Ecclesiis agnitum, concessumque fuerit. Ideo Cyprianus in Concilio Carthagin. Patres ita alloquitur: *superest,*

eſt, ut de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a Communione aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Non enim quisquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut Tyranico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit. etc. Illum numerum Epiſcoporum non putabat Cyprianus, nec etiam Auguſtinus ſufficere *citra generale Concilium* ad conſtituendam firmam regulam fidei. Nam poſterior lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſt. C. 14. ait: *illis temporibus, antequam plenarii Concilii ſententia, quid hac de re ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet, viſum eſt ei*, Cypriano, *cum ferme octoginta coepiſcopis etc.* Et lib. 2. de Bapt. Cap. 4. *neque nos tale quid auderemus aſſerere*, quale Stephanus juſſit, *niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima authoritate firmati, cui et ipſe Cyprianus ſine dubio crederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur.*

1. Vix dubium eſſe poteſt, dogmaticam fuiſſe quæſtionem inter Stephanum et Cy-

Cyprianum, quia agebatur de præcipuo Religionis noſtræ Capite, de valore, virtute, efficacia Sacramenti omnino neceſſarii, imprimentis characterem, quo deficiente nullus cenſeri poteſt Chriſtianus, de unitate Baptiſmi non iterandi in S. Scriptura declarata. Sane Cyprianus et Epiſcopi Concilii Carthagin. dogmaticam cenſebant, dicentes: *qui hæreticorum Baptiſma probant, noſtrum evacuant: ſecundo Baptiſmate qui non fuerit baptizatus, Regno cælorum fiet alienus. — — — Qui hæreticis Baptiſmum Eccleſiæ concedit, et prodit, quid aliud, quam Sponſæ Chriſti Judas exiſtit.* Et tamen hac in parte putabant, non cedendum eſſe Stephano Papæ, et Epiſcoporum per orbem diſperſorum, ſententiæ ejus adhærentium multitudini: ſed et Stephanus cenſebat agi *de doctrina*; nam in materia meræ *Diſciplinæ* is nunquam potuiſſet dicere, vel cogitare, minus definire, omnes a ſe diſſentientes ab Eccleſia pellendos eſſe.

2. Tournelius putat, pro parte Stephani in hac controverſia *non fuiſſe moralem una-*

unanimitatem , *ſaltem completam et perfe-ctam.* Cardinalis Orſi econtra inquit, fuiſſe *moralem* Epiſcoporum *unanimitatem* , et tamen Auguſtini ſententia manet inconcuſſa, *ſe non audere tale quid aſſerere* , *quale Stephanus juſſit*, *niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima authoritas per plenarium Concilium fuerit eliquata et ſolidata.*

3. Cardinalis Orſi tenet , fuiſſe punctum *diſciplinæ*, atque in Decreto Stephani authoritatem *Cathedræ præcipientis*, non *Cathedræ definientis* agnoſci, juxta verba Auguſtini dicentis , *Stephanum* Cypriano *non conſenſiſſie*, *verum etiam contra ſcripſiſſe*, *atque præcepiſſe.* At ſicut Cypriani factum contradicit infallibilitati Rom. Pontificis, ſi præceptum Stephani *dogmaticum* ſit , ita repugnat *Monarchiæ* , ſi pro *diſciplinari* habetur, dum Cyprianus quærit, quis eum *Epiſcopum Epiſcoporum conſtituerit*, ſeu talem, qui valeat Epiſcopis *præcipere.*

4. Auguſtinus lib. 4. de Bapt. Cap. 9. teſtatur, hanc controverſiam demum *plena-*

rio Concilio definitam esse. Interim Augustinus lib. 1. de Bapt. 6. 7. et lib. 4. C. 6. minus probat, quod Stephanus Cyprianum et Africanos a sua communione vel actu amoverit, vel id facere tentaverit, quia quæstio nondum satis erat *eliquata*, nec ab universali Ecclesia *decisa*. Prudentior et moderatior erat Cypriani agendi ratio juxta Augustinum lib. 5. Cap. 25. l. c. *ut vincente pace Christi in cordibus eorum, in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* Quod si similis in Ecclesia dissensio, quod optandum non est, accideret, qui prudentior, sanctiorque foret, is Cyprianica moderatione, Augustino, et bonis omnibus probata, uteretur, tenens firmum et aureum Augustini effatum: *præscindendæ unitatis nulla unquam justa potest esse necessitas.*

5. Tradunt adversarii, eam unanimitatem sufficere, quæ sit totius *Corporis Ecclesiæ*, quippe hæc *omnibus diebus* debet esse infallibilis: at talis est unanimitas multitudinis Episcoporum, Capiti suo Rom. Pontifici adhærentium. Verum non sic ratioci-

na-

natur S. Augustinus lib. de Bapt. contra Petilian. Cap. 14, dum ait, *utrosque*, qui cum Stephano, et qui cum Cypriano sentiebant, *in unitate consistentes* mansisse. Atqui si major Episcoporum numerus cum Papa legem faceret, nec Cyprianus, nec alii pauci cum ipso sentientes in unitate remansissent. Tandem Febronius suam sententiam Censuræ S. Romanæ Ecclesiæ subjicit.

Nota.

Quoties cum Cypriano recurrit, hujus factum extollit, errorem et oppositionem laudat? errorem inquam, a tota Ecclesia proscriptum. At in quem finem? nempe ut S. Pontificem Stephanum deprimat, exercitam ab eo authoritatem evacuet, atque omnes in Stephano simul Rom. Pontifices sua in Ecclesiam Potestate et authoritate exuat, vilesque reddat. Quid est enim, quod ait, *eo jam ævo*, seculo nempe tertio, *sub obtentu Cathedræ Petri a Rom. Pontificibus amplius aliquid juris prætensum*

 fuisse.

fuisse. Et inferius *præcipitantiam* et *immoderationem* Stephani accusat, Cypriani vero *moderationem* commendat. Si ita est: quare Isidori decretales de usurpatione et arrogantia Rom. Pontificum toties arguit, atque in has culpam rejicit? ante Isidorum in sensu Febronii erravit Stephanus P. jam seculo tertio: erravit Victor I. jam seculo secundo: usurpationis, arrogantiæ, depressionis jurium Episcopalium rei sunt. Verum sic præcipua et antiquissima traditionis Ecclesiæ pars tollitur, evacuaturque, quia ex factis, gestis, monumentis Rom. Pontificum a primis usque seculis nullum certum et firmum argumentum deduci posset, cum tamen in his, præcipue dum nulla adhuc Concilia generalia celebrata fuerunt, potissima Ecclesiæ traditio consistat. Anne hic Catholice docet? at non est, cur nos certam et antiquissimam traditionem cum præjudicio Ecclesiæ deferamus. Cyprianus erravit, et certo erravit, nec in suo errore triumphavit. Stephanus econtra Cypriano resistens recte statuit, præcepitque: et dum Stephanus contra Cyprianum, contra tot

Con-

Concilia Africana ſtatuit, præcepitque, certo credidit, ſe legitime hoc facere, ſe authoritatem et poteſtatem habere præcipiendi, ſtatuendique; quare ex hoc facto omnino authoritas Pontificia omni ratione ſuperior, omnisque expers erroris eluceſcit.

Cardinalis Sfondrati Gall. vindicat. Diſſert. 4. §. 3. de hoc ita diſcurrit: *quantus Cyprianus? quam eloquens, quam ſanctus, quot Synodorum, atque Epiſcoporum, qui poſtea Martyrio defuncti ſunt, authoritate munitus, quantisque rationibus ex Sacris litteris ſuccinctus? et tamen quamprimum ſuas opiniones, quantumvis veritatem apprime imitarentur, Romanæ ſententiæ prætulit, in errores prolapſus eſt, tota Eccleſia damnatos: unicum Stephani Decretum, paucis verbis conceptum, omnibus illis argumentorum, Epiſcoporum, Synodorum, Martyrum cohortibus præpoſuit. Roma iterum Chartaginem, Africamque docente. Si ergo etiam Cypriani, etiam integræ, pluresque Synodi, clariſſimis Epiſcopis, atque Sanctiſſimis inſtructæ agminatim cadunt, imo Africa tota errore invol-*

vitur, quoties Romanæ faci oculos claudit, quid, rogo, de aliis erit, qui nihil habent, quod cum Cypriani ingenio, doctrina, eloquentia, Sanctitate componi poteſt? omnes Africæ, Mauritaniæ, Numidiæ, Aegypti, *Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, Phrygiæque Epiſcopi ductore Cypriano hallucinantur, quamprimum a Rom. Pontifice ſecedunt; quis ergo erroris ſecurus erit? evolve totam hiſtoriam Eccleſiaſticam, paucos reperies, qui noluerint Romæ acquieſcere definitis, et iſti pauci ſemper errarunt. — — — Errat Polycrates, errat Cyprianus, errat Polycarpus, errat Firmilianus, errat Dyoniſius, errant denique, caduntque, quotquot cum hac Palma luctantur: quis neget, invictam eſſe, immotamque?*

Ait quidem, reſtitit Cyprianus Stephano, adeoque non credidit infallibilem. Reſpondeo: reſtitit; ſed hoc ipſo erravit, quia Stephno *recta præcipienti non conſenſit.* Reſtitit: ſed quæſtionem nec *dogmaticam* eſſe exiſtimavit, nec Stephanus *ex Cathedra* eam decidit, ut infra monſtrabimus, ideo

ex

ex ejus resistentia non sequitur, nec probatur sensus Cypriani de fallibilitate Pontificis. Nec etiam hac resistentia probatur defectus legitimæ Potestatis in Pontifice. Ipse mox supra §. 8. num. 19. asserit, *nihil futurum iniquius, quam si quis contendat, nulla judicia Ecclesiastica vim suam sortiri, priusquam partes adversæ adquiescant.* Concludo: ergo quod Cyprianus Decreto Stephani non acquieverit, non sequitur, illud nullam vim et authoritatem habuisse: concludo etiam ulterius, ex ore suo illum judicans, iniquissimum esse, quod ex resistentia Cypriani - et Decreto Stephani vim et ipsi Pontifici authoritatem abnegare contendat. Tandem ex hac resistentia non sequitur, Rom. Pontificem infallibilem non esse; quippe Concilio Nicæno, aliisque generalibus restiterunt semper aliqui, vel saltem non statim acquieverunt, et tamen nemo ex hac caussa iisdem infallibilitatem denegat.

Interim supposito etiam, quod Cyprianus crediderit, Papam non esse infallibilem, idcirco tamen fallibilis non est; nam *si Ba-*

ptiſmus hæreticorum , ait cit. Card. Sfrondrati, *non ideo invalidus eſt* , *quia Cyprianus credidit invalidum eſſe* , *ita non ideo Papa fallibilis eſt* , *quia Cyprianus credidit fallibilem eſſe. Quod ſi error Cypriani nihil nocet baptiſmo*, *ita error Cypriani nihil nocet Pontifici.* Confer ſupra Cap. V. appendic. 1. de leg.

Ex dictis facilis eſt ad gloſſas Febronii reſponſio. Stephanus P. *tribus* munitus *præſidiis* juſtiſſime et legitime incedebat, ſcilicet authoritate primæ Sedis, traditione, et numero Epiſcoporum ſibi adhærentium. Quantum *ad authoritatem primæ Sedis*, hanc utique tenebat, et de hac quidem non vane *gloriori*, uti Firmilianus cavillatur, ſed perbene *uti* poterat, et debebat Stephanus, quam ſi non agnovit Cyprianus, omnino erravit. Attamen eam agnoviſſe jam ſupra probavi cit. appendic. 1. ad Cap. V. de legib. id etiam evincitur ex ipſo effato Cypriani Epiſt. 55. ad Cornelium Papam: *neque aliunde hæreſes obortæ ſunt*, *aut natæ ſchiſmata*, *quam inde*, *quod Sacerdoti Dei*

non

non obtemperatur , nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos , et ad tempus Judex vice Christi cogitatur, cui , si secundum Magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum Sacerdotum Collegium quidquam moveret etc. nescio, quis sit ille *unus in Ecclesia Sacerdos , vice Christi Judex*, cui *divino Magisterio universa fraternitas* obtemperare debet, nisi Rom. Pontifex, vicarius Christi in tota Ecclesia ?

Neque quae Febronius affert loca, contrarium probant ; nam Cyprianus ea verba non de Stephano, sed ad suos coepiscopos in Concilio praesentes, atque de his effatus est. Hinc pessime Febronius illa Rom. Pontifici adaptat. *Traditioni* innitebatur Stephanus, utique *verae* , Cyprianus *falsae* ; quamvis igitur Cyprianus haberet *rationes* non *fictas* , et veritas nondum erat *eliquata*, debuisset tamen suam opinionem postponere *traditioni* Sedis Apostolicae, utpote certiori et antiquiori, et quae depositum genuinae traditionis tenebat, ideoque quod prius voluerit rationibus convinci,

 per

per hoc ab errore non excusatur; hinc etiam miratur Augustinus lib. 4. de Bapt. Cap. 6., quod Cyprianus, *vir tanta scientia praditus adversus totius orbis morem* tales *rationes arripuerit.* Tertio muniebatur Stephanus *numero Episcoporum sibi adhærentium.* Augustinus lib. 3. contra Cresconium Cap. 3. §. 3. et lib. 2. contra Gaudent. Cap. 8. clare improbat, quod Cyprianus respective cum paucis Episcopis orientalibus et Afris *contra tot millia Episcoporum, qui sententiæ Stephani participes erant*, sentiret, et *quibus hic error in toto orbe displicuit.* Igitur juxta Augustinum Rom. Pontificis accedente consensu Episcoporum dispersorum sufficiens et firmum erat, cui se Cyprianus cum septuaginta Afris, et Firmilianus cum quinquaginta orientalibus submittere debuisset. Effugium parat per hoc, quod idem S. Augustinus lib. unic. de Bapt. contra Petilian. Cap. 14. non improbet, *visum fuisse* Cypriano, ut suæ sententiæ inhæreret, *antequam plenarii Concilii sententia, quid de hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmasset.* Et quia idem S. Pater di-

dicit lib. 2. de Bapt. Cap. 4. *neque nos tale quid auderemus asserere*, quale Stephanus jussit, *nisi Ecclesiæ Catholicæ concordissima authoritate firmati*, *cui et ipse* Cyprianus *sine dubio crederet*, *si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata per Concilium plenarium solidaretur.* At inprimis quamvis hoc loco non improbet Augustinus, quod *ita visum sit Cypriano*, non tamen id approbat, sed alibi, quod mox supra vidimus, clare hoc improbat. Interim Cyprianus nunquam contra Decretum Stephani ad Concilium generale provocavit, ut inde concludat, ex mente Cypriani judicium Papæ absque concilio generali esse infirmum, et inferius.

Porro pro melius intelligendo D. Augustino attendendus est Scopus S. Patris, quem ibi propositum habuit; quippe tunc agebat contra Donatistas, qui exemplo Cypriani nitebantur, et abutebantur, et quidem eo tempore, quo quæstio jam erat *in Concilio plenario* eliquata et definita. Dicebat ergo, quod tempore Cypriani non ausus

ſus fuiſſet, ut dogma fidei aſſerere, ſicut nunc aſſerebat, quod Baptiſma hæreticorum ſit validum, quia nunc in Concilio generali id definitum jam eſt, prius autem, tempore Cypriani, a Concilio definitum nondum fuerat, neque etiam Stephanus definierat, cujus ætate nondum ſatis eliquata et diſcuſſa erat quæſtio, quique novitati, ipſo Auguſtino dicente, tantum opponebat antiquam conſuetudinem, atque *nihil innovari* præcepit. Quare hic aſſeritur quidem infallibilitas Concilii contra Donatiſtas, non tamen negatur infallibilitas judicii Pontificii. Quippe ibi nulla fit comparatio inter Pontificem et Concilium. Auguſtinus contra Donatiſtas ſolum ita argumentatur ad Hominem: ſi hæc quæſtio jam tunc fuiſſet in Concilio plenario eliquata et definita, S. Cyprianus, ad quem vos provocatis, illi acquieviſſet: quare ergo nunc, cum jam per Concilium ſit definita, vos non acquieſcitis? ubinam hic negatur infallibilitas Rom. Pontificis, quæ omnino extra quæſtionem verſatur, et quidem eo magis, quia Stephanus ſententiam ex Cathedra ne quidem definivit.

Ad

Ad 1. Quæſtionem inter Ss. Stephanum et Cyprianum motam dogmaticam fuiſſe, ideo confidentius contendit Febronius, ut inde contra infallibilitatem Papæ aptius concludere valeat. Verumtamen de hoc non ſolum dubium eſt inter eruditos, ſed ut adverſarii valide concludant, neceſſe eſt demonſtrare, quod quæſtio non tantum reipſa, ſed etiam in mente Cypriani præcipue fuerit *dogmatica*, atque quod Stephanus ut talem ſolemniter definierit, ſecus contra infallibilitatem judicii Pontificii nihil inferre poterit. At ne quidem veriſimile eſt, *in mente Cypriani* eam ſententiam *dogmaticam* fuiſſe, cum S. Pater repetitis vicibus epiſtola ad Stephanum P. Epiſt. ad Jubai. et in Præfat. Concil. Chartag. ad congregatos Epiſcopos dicat, in hoc quemque Epiſcopum habere liberum arbitrium, ut poſſit ſentire, aut facere, quidquid ei libuerit. At in materia et puncto fidei nihil valet arbitrium, et Cyprianus non potuiſſet id, quod dogma fidei exiſtimavit, Epiſcopis tanquam rem indifferentem proponere, cui pro libitu diſſentiri poſſent. Nihil obſtant argumenta Febronii.

Equi-

Equidem de fide eſt, ſine vero baptiſmate neminem eſſe et cenſeri Chriſtianum, nullum ingredi poſſe regnum cælorum, unum eſſe baptiſma. At nullibi in Scripturis legitur, hæreticorum baptiſma, qui baptiſmate Chriſti et in nomine Trinitatis baptizant, validum eſſe, neque circa hoc per Concilia tempore Cypriani quidquam declaratum fuit, ſicut nunc quodammodo per Concilium Nicænum, et expreſſius per Tridentinum definitum fuit; unde Cypriano et aſſeclis eo tempore ſolum opponebatur *conſuetudo* et *Traditio.* Patres Carthaginenſes vero dum dicunt, *ubique in Scripturis ſanctis declarari, Baptiſma hæreticorum non eſſe verum etc. etc.*, id de apertis teſtimoniis intelligendum non eſt, neque de his dicere poterant, quia hoc nullibi legitur, ſed tantum de illatione ex Scripturæ teſtimoniis perperam ab iis facta; familiare eſt autem omnibus, qui in re Theologica novam opinionem ſtabilire volunt, ut eam probent ex Scripturis: teſtimonia igitur Scripturæ, quæ proferunt, de fide ſunt; at non ideo etiam illatio et ſequelæ, quas proferunt, de

de fide ſunt. Accedit, quod ſi Cyprianus cum ſuis opinionem ſuam clare in Scripturis comprehendi, ideoque de fide et certo dogmaticam eſſe crediderunt, qualiter in unione cum Stephano et aliis contrarium tenentibus permanere potuerunt, dum ſecundum illius ævi diſciplinam a communione illius, qui alicui dogmati fidei aut Eccleſiæ adverſabatur, continuo abſceſſum fuit, et ut hæreticus ab Eccleſia projiciebatur? unde ſequitur, Afros eam quæſtionem vel omnino pro *Dogmatica* non habuiſſe, vel ſaltem eam *de fide* eſſe non credidiſſe, neque pro tali habere auſos fuiſſe, quamdiu Stephanus Caput Eccleſiæ non conſenſiſſet: utrumque ferit Febronium. Equidem illi contrariam Stephani ſententiam vocabant *errorem*, ſed ideo ſuam pro fide aut dogmate habuiſſe, nondum cenſendum eſt; quippe non ſolum *in fide*, ſed etiam *in Diſciplina* errari poteſt, reditque ſuperius argumentum: ſi contrariam opinionem certo pro *errore in fide* tenuerunt, cum his, qui ei adhærebant, in unitate et Charitate amplius conſiſtere nec poterant, nec debebant.

Porro nec ex eo, quod Stephanus cogitaret, omnes a se dissentientes ab Ecclesia pellere, sequitur, mentem Stephani fuisse, quod ibi agatur *de fide et doctrina*, proin quæstionem vere dogmaticam esse; siquidem non tantum rebelles *contra fidem*, sed etiam *contra leges Ecclesiæ* et *disciplinam universalem* jam præstabilitam, et quæ ex traditione ortum habet, ab Ecclesiæ communione depelli possunt.

Hæc de illa quæstione, non præcise secundum se spectata, utrum dogmatica sit, nec ne? sed qualis in mente Cypriani et suorum, atque etiam Stephani habita fuerit?

Ad 2. Tempore Cypriani quæstio illa, sive dein pro *dogmatica*, sive pro *disciplinari* habita sit, nullatenus adhuc decisa fuit, neque Concilium plenarium, neque Stephanus eam definivit ex Cathedra, sed tantum traditionem veterem observari voluit, uti ipse Augustinus lib. 2. de Bapt. Cap. 9. ait: *consuetudinis robore tenebatur orbis terra-*

rarum, *et hæc ſola opponebatur inducere novitatem volentibus.* Jam qualiscunque adhæſio Epiſcoporum et moralis unanimitas *doctrinam Eccleſiæ* quidem ſtabilit, nondum tamen *dogma fidei* efficit, niſi præceſſerit, vel accedat judicium Pontificis ex Cathedra definiens, atque tanquam de fide credendum proponens. Recte igitur Auguſtinus ait, ſe tempore Cypriani non tale quid auſum fuiſſe aſſerere, nempe fidei dogma eſſe, quod baptiſmus ſemel rite collatus ſit validus, proin quod habentes talem baptiſmum non liceat rebaptizari, ſicuti hoc nunc contra Donatiſtas aſſerebat, quia illo ævo res nondum erat deciſa et eliquata per Concilium generale, prout tamen ſuo tempore jam deciſa et definita erat. Per hoc autem, quod Auguſtinus alleget id, quod factum jam eſt, et prius factum nondum fuit, non negat aliud, quod fieri etiam potuiſſet: id eſt, quando duplici via quæſtio terminari poteſt, et una harum terminata jam eſt, ſcilicet per Concilium plenarium, et ipſe dicit, ſe poſt Concilium plenarium tale audere aſſerere contra Donatiſtas, quod ante

istud ausus non fuisset asserere, inde non sequitur, aliam viam tanquam insufficientem, aut illegitimam improbari, vel Concilium ad decidendam quaestionem necessarium fuisse, idque solum infallibile esse; quippe dum unum affirmatur, et alterum reticetur, per hoc istud non negatur. Quod si tempore Augustini quaestio nondum infallibiliter decisa fuisset, id ausus non fuisset asserere: fuit autem decisa per Concilium plenarium, igitur hoc recte allegat. Si vero per judicium Pontificis ex Cathedra caussa decisa fuisset, non est dubium, quod hoc contra Donatistas aequaliter allegasset, sicuti contra Pelagianos solum judicium Innocentii I. allegavit, causamque finitam esse dixit, quin tamen ex hoc sequatur, Concilium generale non etiam esse infallibile. Unde ex exemplo et renitentia Cypriani, atque Afrorum Episcoporum contra infallibilitatem Rom. Pontificis, adeoque pro *absoluta necessitate* Conciliorum generalium nihil omnino concluditur, quia Decretum Stephani neutiquam erat ex Cathedra definiens; econtra ex Augustino contra Donatistas infallibilitas Concilii

cilii generalis, et contra Pelagianos infallibilitas judicii Pontificii concluditur.

Ad 3. Factum Cypriani repugnat *Monarchiæ*, ait, si Decretum Stephani reputetur pro *disciplinari.* Quare? quia Cyprianus in Stephano quam maxime *Potestatis* defectum accusat. Et unde hoc probat? quia Cyprianus *quærit: quis eum* (Stephanum) *Episcopum Episcoporum constituerit, qui valeat Episcopis præcipere.* Sed hæc oppido falsa sunt, et Cypriani verbis adversantia. Inprimis enim Cyprianus non *quærit*, sed simpliciter asserit: *neque enim quisquam nostrum etc. etc.* Dein hoc non de Stephano, sed de Episcopis præsentibus, et ad hos tantum dicuntur: verba Cypriani clara sunt: *neque enim quisquam NB. nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit:* quod verba etiam mox antecedentia diserte indicant: *superest, ut quid singuli* (tunc invicem congregati) *sentiamus, proferamus.* quo igitur jure verba Cypriani in argumentum contra Stephanum producit, quæ a Cypriano contra Stephanum prolata non sunt?

 quod

quod autem Cyprianus Stephano *præcipienti* non acquieverit, nec ipſe Cyprianus in hoc *Poteſtatis* defectum ullibi incuſat, neque Auguſtinus, ſtudioſiſſimus Cypriani defenſor, eum ex hoc capite excuſat, ſed ſolum dicit, quæſtionem tunc nondum fuiſſe *diſcuſſam* et *eliquatam*, cumque inſuper Cyprianus exiſtimaverit, rem eſſe indifferrentem, cuivis arbitrariam, nec tanti momenti, ut Papa ſuam authoritatem interponere debeat, uti ſupra appendic. I. ad Cap. V. de legib. probavi, ideo forte ab hoc etiam errore et renitentia excuſari poterit. Attamen excuſari non valet, quod durioribus verbis contra S. Stephanum ſcripſerit, quem tamen ſupremum agnovit Caput Eccleſiæ, ita ut nec Auguſtinus in iis, quæ in Stephanum iratus effudit, illum excuſare voluerit.

Ad 4. Rurſum ad hoc devenit Febronius, ut S. Stephanum, et in hoc omnes retro Pontifices criminari poſſit, quo in loco Auguſtino abutitur. Oſtendat verba, queis Auguſtinus *improbat*, quæ Stephanus ſenſit, geſ-

gessitque: ubinam illa occurrunt? prudentiorem, moderatiorem vocat Cyprianum; sed hic prudentior erravit, et recta suadenti non consensit: hic moderatior *in Stephanum iratus* ea *effudit*, quæ Augustinus *retractare nollet.* Si tamen Cyprianus cum Stephano pacem abrumpere noluit, et ab hujus communione avelli, tunc ideo ab hoc abhorruit, quia sciebat, atque multis locis ipse testatus est, a tota Ecclesia extorrem esse, qui se ab una Petri Cathedra scinderet; sic enim habet Epist. 73. *qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* quare hæc Cypriani agendi ratio potius summam in successore Petri authoritatem, atque cum illo necessitatem communionis comprobat. Non est igitur, cur in simili casu suadeat Cyprianicam moderationem tanquam prudentiorem ac meliorem, sed potius tanquam necessariam, nisi quis velit a tota Ecclesia abscindi.

Ad 5. Falsissime concludit. Ex verbis Augustini potius ita concludere debuisset:

si utrique in unitate consistentes manserunt, tunc Cyprianus neque a Communione Stephani secessit, nec Stephanus Cyprianum excommunicavit, quia juxta hunc ipsum *in Ecclesia* esse non potest, *qui Cathedram Petri deserit.* Et hoc totum est, qnod ex verbis Augustini inferre poterit. Quod majorem numerum Episcoporum attinet, si cum Rom. Pontifice *definiente* in aliquod *dogma fidei et morum* consentiant, pauci contradicentes in unitate permanere non possunt: at si cum Pontifice nondum *definiente*, vel *in lege disciplinari* non consentiant, ideo unitas non statim rumpitur, ut ab Ecclesia extorres sint, sed requiritur, ut tanquam Rebelles per excommunicationem actu abscindantur; et hic est casus, ad quem factum Cypriani reducitur; igitur contra suos adversarios ex hoc nihil concludit Febronius.

Tandem cum opus suum *Censuræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* submittit, quis credet, eum serio egisse? quippe Romanam Ecclesiam, id est, Pontifices in ea sedentes, curiam et Clerum fædissime ubique depingit, non

san-

ſanctam, ſed depravatam, omnibusque vitiis immerſam fingit, authoritate et omnibus prærogativis deſpoliat. Et quid? Roma opus ſuum huic cenſuræ ſubmiſſum damnat, faciunt idem plures Epiſcopi: Febronius autem contemnit, exſibilat, reclamat.

§. X.

Legitimitas Appellationis a Rom. Pontifice ad Generale Concilium, proinde hujus Superioritas omnibus ſeculis, et ab omnibus Nationibus agnita fuit.

Febronius ita argumentatur: in omni Republica ſit, oportet, Judicium abſolute ſupremum. Tale eſt in Eccleſia Concilium generale; nam ſtatus Monarchicus juxta inſtitutum Chriſti et genuinam Eccleſiæ diſciplinam penitus exulat. Igitur de legitimitate appellationis a Pontifice ad Concilium dubitandum non eſt. Citat Auguſtini epiſtolam 162. contra Donatiſtas: *ecce putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe Judices; reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium.*

Item supra cit. lib. 2. de bapt. Cap. 4. *neque nos tale quid auderemus asserere, quale Stephanus jussit, nisi Ecclesiæ Catholicæ concordissima authoritate firmati etc.* Per hæc Augustinum Concilii præ Pontifice superioritatem et legitimum ordinem recursus ab hoc ad illud publice profiteri ait.

Appellationes a Papa ad Concilium quoad *substantiam antiquissimas* et *cum ipsius Ecclesiæ constitutione conjunctas esse* prætendit cum Bossueto et Hericurtio, qui *part.* 1. *loix Ecclesiastiques Cap.* 25. in hunc finem affert exempla Episcoporum Asiaticorum in caussa Paschatis erga Victorem P., Cypriani contra Stephanum, supra dictum effatum Augustini contra Donatistas post judicium Melchiadis P., Nestorii vocati ad suam sedem in Concilio etiam post condemnationem Cœlestini, Episcoporum Illyricorum post jam receptam ab Episcopis Italiæ, Galliæ et ex parte orientis epistolam Leonis, adhuc petentium et obtinentium Concilium generale, Concilii generalis V. contra decisionem Vigilii, Sophronii Patriarchæ Hyero-

rofolymitani et Concilii general. VI. condemnantis epiftolam Honorii P.

In his factis non quidem *formalis ap-appellatio*, fed varii *recurfus* a gravaminibus Pontificum erant modi illi ævo accomodati, ubi judiciaria proprie dicta, et abfoluta Poteftas in Rom. Pontifice refidere necdum exiftimabatur. Mutata difciplina, et remanente femper inter fideles idea Superioritatis Concilii fupra Papam creditum fuit, veræ appellationis fpecie, tanquam forma proceffui judiciario magis accomodata utendum effe, qui modus multis feculis duravit, præfertim in Gallia, donec ibi reciperentur appellationes *ab abufu*, multo commodiores, nec minus legales ad reprimendos exceffus Pontificiæ Authoritatis.

1. Tam frequentes fuere a feculo XIII. formales appellationes a Papa ad Concilium, ut integra Centuria afferri poffet. Inter alias Fridericus II. Imp. anno 1239. appellavit a fententia Gregorii IX. anno 1246. Ecclefia Anglicana appellavit ab impofitione

tributorum per Innocentium III. facta. Anno 1251. Conradus IV. Imp. contra Innocentium IV.

2. Anno 1303. Philippus Pulcher Galliæ Rex contra Bonifacium VIII. Gualterus Pictaviensis a Clemente V. anno 1323. Ludovicus Bavarus Imp. anno 1328. Michael Cæsenas ordinis Minorum generalis a Joanne XXII.

3. Anno 1408. Cardinales Gregorii XII. ab eo appellarunt ad Concilium. Anno 1418. a Martino V. Poloniæ Regis Legati. Anno 1427. Heinricus Archiepiscopus Cantuariensis a Martino V. item eodem anno Regens Angliæ. Anno 1431. Cardinalis Dominicus Capranica ad Concilium Basileense. Anno 1460. universitas Parisiensis a Bulla Nicolai V. eodem anno Sigismundus Dux Austriæ a Bulla excommunicationis Pii II. Item Joannes Dauvet Procurator Regis Galliæ cum reverentia se opposuit Bullæ *execrabilis* Pii II. qua sub pœna excommuicationis interdicuntur appellationes ad futurum Con-

Concilium. Anno 1461. Dietherus Archiepiscopus Moguntinus appellavit ab excessiva taxa Annatarum suæ Archi - Diœcesi imposita. Anno 1467. universitas Parisiensis ab abolitione Pragmaticæ Sanctionis. Anno 1497. Philippus I. archidux Austriæ ab Alexandro VI.

4. Anno 1501. et 1502. Capitulum Cathedrale Parisiense a censuris contra ejusdem Capituli Beneficiatos et subditos comminatis. Anno 1509. Respublica veneta ab excommunicatione Iulii II. et anno 1511. Florentina. Anno 1517. Academia et Parlamentum Parisiense. Anno 1526. Carolus V. Imp. a Decretis Clementis VII. Anno 1688. Achilles de Harley Procurator regius contra Innocentium XI. Cum appellare a Papa sit, recognoscere ejus authoritatem, ideo hoc remedium aliquid imbecillitatis et ignorantiæ juris sapit; aptior itaque et receptior postmodum est *appellatio ab abusu.*

5. Papa equidem non potest appellare a seipso ad Concilium: attamen Pontifices quan-

quandoque, qui pro remedio ad ſe recurrerunt, ad Concilium generale remiſerunt. Exemplum præbet Innocentius III. lib. 3. Regeſt. Epiſt. 104. plura ſuppeditat Launoius lib. 2. Epiſt. 7.

Nota.

Denuo materiam Appellationum aſſumit Febronius, easque a judicio Rom. Pontificis valere prætendit. In titulo hujus paragraphi *omnibus ſeculis* appellationes a Papa ad Concilium generale tanquam legitimas agnitas fuiſſe. Exſpectaſſem igitur in hunc finem ex traditione primorum ſecurum et veteri Eccleſiæ praxi teſtimonia clara, genuina, nulli contradictioni et controverſiæ obnoxia, pariter exempla et facta legitima, ab antiquis Patribus celebrata, ab Eccleſia agnita, recepta aut approbata. Sed nihil horum invenio. Exempla adducit nihil in hunc finem conducentia, nihilque probantia: his legentibus fucum facit, ut qui in Palæſtra Theologica non ſatis ſunt ex-

exercitati, vel aliunde Poteſtati Pontificiæ minus propitii, neſcio, quid momenti in iis latere exiſtiment.

Advertant lectores, ipſum Febronium clare fateri, in antiquis factis uſque ad ſeculum XIII. nullam *formalem appellationem*, ſed ſolum *varias ſpecies recurſuum* a Papa ad Concilium generale reperiri. Ergo ſequitur, ab initio Eccleſiæ uſque ad ſeculum XII. creditum fuiſſe, nullam valere veram appellationem a Papa ad Concilium, ſecus certo aliquando interpoſita fuiſſet. Quod autem per duodecim Eccleſiæ ſecula non licuit, non valuit, certe poſt illa adhucdum non valebit.

Febronius hic effugium quærit dicendo, *formalem appellationem* illi ævo non fuiſſe acommodatam, neque in uſu, ſed tantum *ſpecies recurſuum.* Sed hoc falſum eſt. *Formales appellationes* interpoſitæ fuerunt a Conciliis ad Papam, quidquid dicat Febronius, prout ſuperiori Capite de legib. demonſtravi. *De formali appellatione* loquun-

quuntur veteres Pontifices Damaſus, Innocentius, Zoſimus, Leo, Gelaſius, Vigilius, item Synodi Sardicenſis, Alexandrina, et ipſa Concilia Africana, quæ adverſarii contra Romanos appellationes allegant; ſi enim hæc de vera et formali appellatione non loquerentur, utique adverſarii incaſſum contra Romanas appellationes producerent, et firmiter allegare non valerent. Igitur *formalis appellatio* illi ævo accomodata et in uſu fuit, ſaltem a Conciliis Provincialibus et Judiciis inferioribus ad Papam: quare autem non a Papa ad Concilium generale? certe non alia ratione, niſi quod judicium Papæ ſufficiens et ultimatum, ſicut judicium ipſius Concilii generalis creditum fuit, ſecus, ut dixi, a Papa ad Concilium æque *formalis appellatio* interpoſita fuiſſet. Quod enim in veteri Eccleſia nunquam factum eſt, licet id faciendi multæ occaſiones et rationes extiterunt, cenſendum eſt, nunquam licuiſſe, aut valuiſſe, atque inde communis Eccleſiæ ſenſus depromitur. Tandem ad argumentum Febronii multæ ambiguitati involutum reſpondeo:

In

In omni Republica debet esse Judicium absolute supremum: adde, judicium et tribunal actu subsistens, ad quod adpellari, caussa deduci, et a quo justitia et judicium peti possit; nam appellatio ad judicem et tribunal non existens censetur illusoria et frustranea. *Tale judicium in Ecclesia est Concilium generale*: adde si existat. Dein debet esse unitum cum Rom. Pontifice, secus generale non est, quia totam Ecclesiam non repræsentat. Attamen cum Concilium generale non semper existat, imo nec existere possit, atque in Ecclesia tanquam in Republica bene ordinata semper et in omni casu debeat esse judicium absolute supremum, igitur deficiente Concilio generali, aliud debet existere judicium et tribunal supremum, nempe Rom. Pontificis, qui est universalis Primas, et Vicarius Christi. Unde status Monarchicus in sensu a nobis sæpius, et præcipue Cap. I. tradito subsistit, atque de legitimitate appellationis a Papa ad Concilium non tantum dubitandum est, sed illa omnino fundamento caret.

In-

Interim Febronius ex antiquitate nullum teſtimonium affert, quo appellatio a Papa ad Concilium generale probatur: neque etiam tale teſtimonium afferri poterit; nam ſi poſſet, Febronius utique certo produxiſſet. Auguſtinus nec verbo meminit talis appellationis vel recurſus: priora verba contra Donatiſtas protullit jam poſt Concilium Arelatenſe celebratum, atque narrat, quod factum erat, nempe poſt judicium Romanum Donatiſtis datum fuiſſe Concilium Eccleſiæ plenarium, neque in ſuo, ſed in ſenſu et ſententia Donatiſtarum id narrat: *ecce putemus*, ait, ſupponamus, quod vos Donatiſtæ prætenditis, Romæ non fuiſſe bonos judices: verba hæc non conſentientis, nec aſſerentis ſunt, ſed arguentis, et quidem ad hominem ex eo, quod ipſi adverſarii petebant, atque ipſis conceſſum, factumque fuit. Hoc tamen factum, nempe quod Donatiſtis poſt judicium Rom. Pontificis Concilium conceſſum fuerit, quando in ſuo ſenſu loquitur, non approbat Auguſtinus, *non quia jam neceſſe erat Concilium*, ait, quinimo improbat omnino S. Pater, dicens,

cens, *sed eorum perverſitatibus cedens* (Conſtantinus Imp.) *et omnimode cupiens tantam impudentiam cohibere.* Vides, non jus, ſed indulgentiam fuiſſe; nam ſi appellatio ſeu recurſus a Papa ad Concilium legitima fuit, tunc neceſſe fuiſſet, eis aliud judicium concedere, et Concilium negari non potuiſſet, neque talis provocatio Donatiſtarum *perverſitas et impudentia* dici debuiſſet, ſed jure ſuo fuiſſent uſi. Longiſſime igitur abeſt, ut Auguſtinus illis verbis approbet appellationem ſeu provocationem a Papa ad Concilium, ſed potius eam condemnat, ita ut adverſarii ab Auguſtino revincantur, *perverſitatis et impudentiæ* in ſua ſententia arguantur.

Sed et alio ex capite demonſtratur, hoc factum opinioni de appellatione a Papa ad Concilium nullatenus ſuffragari. Inprimis Conſtantinus Imp. non niſi ægre, et ſolum Donatiſtarum *perverſitatibus cedens*, *tantamque impudentiam cohibere cupiens*, uti ait Auguſtinus, Concilium dedit, quippe ait Petrus de Marca lib. 4. de C. S. et J. Cap. 17. *alienum putabat a Diſciplina, res ab Roma-*

 no

no Pontifice judicatas refricare. Dein Donatistæ aliud judicium postulabant, non quod judicium Papæ authoritate fuisset insufficiens vel inferius, sed quia, uti dicebant, tota caussa, præsertim Felicis Aptungitani, audita atque discussa non fuit, et ideo querebantur, male judicatum esse, prout testatur idem S. Augustinus Epist. 68. *Sed rursus majores vestri ad Imperatorem redierunt, et non recto judicatum, neque caussam omnem auditam esse conquesti sunt. Unde ille alterum Episcopale judicium dedit in Arelatensi Galliæ Civitate.*

Denique vera appellatio fit a judice inferiore ad superiorem, ubi ille prior non amplius potest sedere ut judex; sed nec Donatistæ ab altero judicio, quod petebant, Rom. Pontificem excludebant, atque in Concilio Arelatensi postea non solum summi Pontificis legati, sed et Maternus, Rheticius, Marinus Episcopi, qui prius Romæ cum Papa judicabant, tanquam Judices sedebant, pronuntiabantque denuo sententiam. Ex his omnibus liquido constat, S. Augusti-

ſtinum, et quæ in cauſſa Donatiſtarum facta ſunt, appellationi a Papa ad Concilium nec minimum ſuffragari.

Quod ſi tamen Febronio factum Donatiſtarum pro argumento ſufficiat, ſequeretur, neque Concilium generale eſſe abſolute ſupremum, ejusque judicium in Eccleſia ultimatum; quippe illi a Concilio plenario Arelatenſi rurſus ad Imperatorem appellarunt. Si dicat, Concilium Arelatenſe fuiſſe tantum nationale, non æcumenicum, quale revera non fuit, tunc utique objectio omnino extra quæſtionem verſatur, quæ eſt de appellatione a Papa ad generale Concilium, quinimo etiam in ſenſu adverſariorum probaret nimium, nempe a Papa ad quodvis inferius Concilium appellari poſſe, quod hactenus nemo ſomniavit. Hinc patet, quod mox dixeram, et Auguſtinum et factum Donatiſtarum ab adverſariis ineptiſſime allegari, quin et eorum opinioni aperte ac multipliciter adverſari.

Nec tandem in altero textu Auguſtini Febronius patrocinium obtinet. Certe Cy-

prianus nullibi a Papa ad Concilium adpellavit. Stephanus P. quæstionem non definivit, ſed ſolum antiquam traditionem ſervandam eſſe præcepit. Cauſſa poſtea in Concilio plenario definita fuit, hinc ait S. Auguſtinus contra Donatiſtas: *quæſtio tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii authoritatem, roburque deducta eſt.* Jam poſt hanc Concilii definitionem S. Pater Donatiſtis tanquam *dogma* proponit, hæreticorum baptiſma valere, et hæreticos rebaptizandos non eſſe, quod utique recte ait, ante Concilii definitionem, et tempore Cypriani, ſe non auſum fuiſſe dicere, nempe quia tunc quæſtio a Concilio, ſicut nunc dogmatice deciſa nondum fuit. Quid hic ſubinfert? num ideo judicium Papæ eſt inferius, quia cauſſa a Concilio definita fuit? ſed de hoc nihil agit Auguſtinus. Num S. Pater ait, cauſſam non potuiſſe decidi aut finiri a Stephano? neutiquam. Solum, quod factum eſt, commemorat, nempe a Concilio definitam eſſe, non negat, a Rom. Pontifice etiam definiri potuiſſe.

Ne-

Neque te moveant illa verba: *neque nos tale quid auderemus asserere, quale Stephanus jussit.* Hæc quippe defensionem Cypriani, non suggillationem Stephani P. continent, ac si hujus judicium non fuisset legitimum aut sufficiens, si discussis rationibus et inquisitione facta rem ex hathedra definiisset, sicuti postmodum per Concilium definita fuit. Sensus igitur est: *quæstio* tunc temporis *multis altercationum nebulis erat involuta*, qui ex adversa parte stabant, *defensiones non tales afferebant, quibus illa talis anima* (Cypriani) *moveretur.* Nondum *plenarium Concilium factum fuerat.* In talibus circumstantiis excusandus adhuc erat Cyprianus; nam in iis neque ipse Augustinus propria authoritate, et sine concordissima Ecclesiæ consensione contra Cyprianum et tot Episcopos eidem adhærentes ausus fuisset, tanquam verum, certumque asserere, atque observandum proponere, *quod Stephanus jussit.* Et hoc utique verissimum est, quia non licet in magna controversia singulari Episcopo contra Primatem et Concilium Episcoporum totius Nationis aut Provinciæ

quæstionem aliter decidere, aut propugnare, nisi aperta Traditione aut concordi Ecclesiæ authoritate firmetur. At hoc num etiam non licuit Stephano Romano Episcopo? nullibi hoc negat Augustinus, sed potius affirmat, dum utitur verbo, *jussit*, *quale Stephanus jussit*, atque hanc Stephani jussionem non culpat, non arguit Augustinus. Paritatem vero non inter se et Stephanum, sed inter se et Cyprianum instituit, quod ex antecedentibus patet, scilicet quia quæstio adhuc erat altercationum nebulis involuta, defensiones e contrario non tales afferebantur, quæ Cyprianum movebant, hinc excusari poterit, quod in sua opinione persisteret, in quibus circumstantiis nec ipse Augustinus id ausus fuisset, quod postea Stephanus jussit: attamen quod dein jubenti Stephano Cyprianus non paruerit, non excusat, nec probat Augustinus. Confer, quæ superiori paragrapho dicta sunt.

Hos igitur duos tantummodo ex traditione pro sua sententia Augustini textus affert Febronius, quos in posterioribus etiam

to-

tomis tanta cum jactantia sæpe proponit, repetitque, sed inspecta penitius mente et scopo Augustini nec oculatior quisquam Concilii supra Pontificem definientem authoritatem, et legitimum recursum ab hoc ad illud deteget. Imo mens Augustini in hoc puncto adhuc clarius ex eo patescit, quando Pelagianis a Rom. Pontifice damnatis sic caussam finitam esse dixit, ut iis recursum ad Concilium denegandum putaverit.

Unde palam est, Febronium nullo convenienti testimonio ex traditione et veteri Ecclesia probare posse, quod tam audacter in titulo hujus paragraphi asserit, appellationem a Papa ad Concilium tanquam legitimam *omnibus seculis* agnitam fuisse. Nos econtra clara et convincentia testimonia ex traditione afferimus, quibus invictissime ostenditur, talem appellationem primis Ecclesiæ seculis agnitam fuisse tanquam illicitam atque prohibitam. Jam in Concilio Sardicensi statuitur appellatio a Concilio Provinciali ad Papam. Profecto si ab hoc ulterior appellatio ad Concilium Generale legitima, vel

in usu fuisset, certe non reticuisset Concilium. Julius P. Epist. ad Conventum Antiochen. Ait: *ad eam* (Ecclesiam Romanam) *quasi apicem omnes majores Ecclesiæ caussæ et Episcoporum judicia recurrant, ejusque justa terminum sumant sententia.* Quod si caussæ per sententiam Papæ suum terminum sumant, ulterius appellari non poterit. In hunc sensum etiam loquuntur Damasus, Innocentius, Leo, Vigilius; quippe si appellationes circa majores caussas et judicia Episcoporum Rom. Pontifici reservatæ sunt, tunc extra Concilium generale hujus tribunal supremum est, a quo amplius appellari non poterit, quia solus supremus judex appellationes et judicia inferiorum sibi reservare valet. Clarissime tandem Gelasius P. appellationem a Papa ad quodcunque etiam generale Concilium illegitimam et prohibitam esse prodit in commonitorio: *ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare ju-*

di-

dicium. — — — — *Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi, et Majorum traditio, Canonum fulsit authoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet.* Item Epist. ad Dardan. Episcop. *nec tamen taceamus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habet judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones voluerint appellare, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Quo fundamento ergo dicit Febronius, appellationem a Papa ad Concilium generale *omnibus seculis* legitimam agnitam fuisse, quando Gelasius ait, a sede Apostolica nunquam appellari licuisse, atque hujus rei testem *cunctam per mundum Ecclesiam* adducit? ita pariter Bonifacius I. Epist. ad Episcop. Thessal. et Nicolaus I. ad Michael. Imp. Epist. 8. loquuntur.

Post veterum Rom. Pontificum testimonia, non desunt et alia tum Conciliorum

tum Patrum effata, et continuus per ſecula agendi modus ſeu praxis, queis unanimis ſenſus commonſtratur, Papam a nemine in terris judicari, neque ejus judicia refricari, aut ab iis appellari poſſe. Circa annum 502. convocati ad Synodum Epiſcopi a Rege hæretico Theodorico noluerunt cognoſcere cauſſam et accuſationes contra Symmachum Papam, rationes obtendentes, *quia Sedis Apoſtolicæ Præſules minorum nunquam ſubjacuere ſententiæ.* Pariter in hac cauſſa *NB.* tota Eccleſia Gallicana per avitum Viennenſem Epiſt. ad Senatores urbis Romæ ſuum ſenſum ita expreſſit: *quoniam a cunctis Gallicanis Fratribus meis ad hoc ipſum, non minus per mandata, quam per litteras oneratus — — — unus ſuggerenda ſuſcepi, non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. In Sacerdotibus cæteris poteſt, ſi quid forte nutaverit, reformari: at ſi Papa urbis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare.* Epiſcopi Italiæ tandem cauſſam diſcutiendam ſuſceperunt, ſed non, niſi expreſſe id volente et petente ipſo Pon-

tifi-

tifice Symmacho: *judicia iſte voluit, attraxit, ingreſſus eſt, — — — venerando Concilio authoritatem etiam contra ſe, ſi mereretur, indulſit*, ait Ennodius in libello apologet. pro Synod. et infra: *aliorum forte hominum cauſſas Deus voluit per homines terminari, Sedis iſtius Præſulem ſuo, ſine quæſtione, reſervavit arbitrio.* Vid. Nat. Alex. Diſſert. 1. Hiſt. Eccleſ. Sec. 6. contra Joann. Launoium

Itidem anno 800. Epiſcopi Gallicani juſſu Caroli M. Imp. ad Concilium Romanum vocati in cauſſa Leonis III. comparere renuerunt, niſi Pontifex ipſe eos convocaret, et ſe illorum Judicio ſponte ſubmitteret: ſic enim ajebant Epiſcopi teſte Anaſtaſio Bibliothecario in vit. Leonis III. *Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, et Vicario ſuo judicamur, ipſa NB. a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit.* Similibus verbis et ſenſu Epiſcopi Provinciæ Senonenſis, Concilio Nationali apud *Anſam* congregato adeſſe recu-

cusantes, Concilium Romanum, atque etiam Concilium generale VIII. sub Hadriano II. loquuntur. Nihil officit, citata Concilia, præter hoc ultimum tantum particularia fuisse; nam hic solum veteris Ecclesiæ sensum ac praxin inquirimus, qui nobis haud melius et universalius innotescit, quam per Concilia hinc inde celebrata. Adde his denique testes, quos Febronius perhorrescere non valet, Hincmarum Rhemensem, Ivon. Cornotens. S. Bernardum etc. primus lib. de Divort. ait: *quibus omnibus demonstratur, quia Synodus comprovincialium Episcoporum judicia, generalis autem Synodus comprovincialium dijudicationes sive dissensiones vel probet, vel corrigat; Apostolica vero sedes et Comprovincialium et generalium retractet, refricet, et confirmet judicia; sicut Epistolæ Leonis atque Gelasii, cæterorumque Rom. Pontificum, et Sardicensis Synodus evidenter ostendunt.* Ivo Carnot. Epist. 159. *quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem Ecclesia Romana docente, didicimus, si qui aliquando se prægravatos illius Ecclesiæ authori-*

thoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde exspectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen. Et Epist. 233. de Paschali II., qui contra jura Ecclesiæ investituras Imperatori concessisse dicebatur, ait: *Charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur* (Papa) *ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, reddamus Deo gratias: — — — si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de summo Pontifice.* S. Bernardus Epist. 213. Romanos Pontifices alloquens inquit: *quis mihi faciet justitiam de vobis? extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad illud appellem. — — Itaque recurro ad eum, cui datum est judicare de universis, hoc est, ad vos: vos appello ad vos, judicate et me et vos.*

Martinus V. Papa, uti refert ipse Gerson speciali Tractatu, Constantiæ in publico et generali consistorio 10. Martii anno 1418. solemniter promulgavit Bullam, qua prohibe-

betur appellare a Papa ad Concilium. Pariter appellationem à Papa ad futurum Concilium generale ſolemni Bulla in Conventu Mantuano edita proſcripſit Pius II. P.

Sed hæc utique ſufficient contra duos allatos a Febronio Auguſtini textus, in quibus de appellatione a judicio Rom. Pontificis ad Concilium generale nec verbo fit mentio, ſed in primo talis recurſus in Donatiſtis omnino reprobatur, in alterô ſimilis provocatio aut recurſus nec factus fuit, nec ſermo eſt.

Quando igitur ad probandum ſuum thema nulla ex traditione teſtimonia ſuppetunt Febronio, ad exempla et facta confugit, ſubſidium ei præſtante Hericourtio. Verum neque hæc attendenda ſunt: ſiquidem facta jura non ſunt, et ſi facta, quid valent, oſtendam tibi talia, quæ omnino ſuperioritatem Papæ ſuper Concilia Generalia, atque etiam æcumenica, quin et appellationem ab hîs ad illum legitimam eſſe clare convincunt.

Hel-

Helladius Tarſenſis et Eutherius Thyanenſis Metropolitæ, pluresque Epiſcopi a Synodo æcumenica Epheſina damnati atque depoſiti ad Sixtum P. appellarunt. S. Flavianus a Concilio Epheſino ſecundo, quod convocatione et legatorum Papæ præſentia generale fuit, appellavit ad S. Leonem P. Epiſt. Leon. ad Theodoſ. Imp. Theodoretus Epiſcopus Cyri in eodem Concilio ad Papam appellavit. Macarius et alii in Sexta Synodo damnati appellaverunt ad Leonem II. P., uti patet ex litteris Conſtantini Pogonati de his ad eundem ſcribentis. *omnes ſcriptis precibus ſerenitatem noſtram precati ſunt, ut eos ad Beatitudinem veſtram mitteremus; ſic igitur fecimus, veſtro paterno judicio omnem ipſorum cauſſam permittentes.* Ideo ſupra cit. Hincmarus dicit: *Apoſtolica Sedes et Comprovincialium et Generalium*, nempe Synodorum, *retractat, refricat, et confirmat judicia.* Nunquid hæc facta longe antiquiora, quam quæ Febronius protulit, clare probant non tantum ſuperioritatem Papæ ſupra Concilia generalia, ſed et ab his *formalem* et proprie dictam appellationem ad illum?

Econ-

Econtra Febronius in factis suis antiquioribus nullam quidem *formalem* appellationem, sed tantum varias species *recursuum* a gravaminibus Pontificum ad generale Concilium reperiri ipse fatetur. Profecto nisi sponte cæcutiret, suisque opinionibus pertinacius inhærere vellet, in suis factis ne quidem *recursum* a Papa ad Concilium reperiisset. Edicat enim, ubinam, quando, et a quibus a Decreto Victoris P. in caussa Paschatis, et a mandato Stephani P. in caussa rebaptizantium appellatio, vel qualiscunque recursus ad Concilium generale factus fuit? si postmodum caussa in Concilio iterum definita fuerat, num ideo appellatum fuit? et quid hoc officit authoritati Judicii Romani? etiam post Concilium Nicænum in aliis Conciliis iterum hæresis Arii, atque post alia generalia Concilia etiam in subsequentibus Conciliis errores prius proscripti, rursus damnati sunt, et tamen ista authoritati et infallibilitati Conciliorum generalium nusquam derogant, minus ab his ad alia Concilia *recursum* factum fuisse, somniare licet. Donatistæ quidem a judicio Papæ ad Concilium

lium provocarunt, ſed ita, ut in hoc ipſo exemplo manifeſte pateat, a Papa non dari proprie appellationem ad Concilium tanquam Tribunal ſuperius; quippe non appellarunt a judicio Romano tanquam tribunali inferiori, ſed ob denegatam in illo juſtitiam, nempe quod cauſſa non omnis fuerit audita, atque diſcuſſa, neque in Concilio, quod petebant, Romanum judicem, Papam excludebant, ſed hic eidem, non renuentibus Donatiſtis, iterum per legatos præſidebat, ut quomodo potius *reviſio*, quam aliud Tribunal et judicium vocari debeat. Dein nihilominus hunc *recurſum* S. Auguſtinus et Imperator Conſtantinus improbant.

Neſtorius vocatus fuit ad Concilium, non ut ibi ſedeat tanquam Judex, ſed ut Concilium in ipſo exequatur ſententiam Cœleſtini P., cujus executionem ſibi a Cœleſtino commiſſam, injunctamque fuiſſe, ſæpe teſtatur ipſum Concilium.

S. Leo prohibuit amplius diſputare in Concilio Chalcedonenſi de fide et definitione,

ne, quam ipſe in ſua ad Flavianum Epiſtola poſuerat; petiit vero hic S. Pontifex generale Concilium, non ut Epiſcopi Illyrici ſuam definitionem et epiſtolam approbarent, ſed ut eam reciperent, ei ſubſcriberent, Eutyches, Dioſcorus cum ſuo latrocinio Ephefino damnarentur, ſeu ut ſua definitio publice ac ſolemniter promulgaretur, atque ſententia in Eutychen et Dioſcorum executioni daretur.

Vigilius P. in ſuo *conſtituto* non defendit ſimpliciter et abſolute epiſtolam Ibæ, quin potius damnavit, quæ in ea orthodoxæ fidei minus congrua occurrere poſſunt, ſed ſolum in eo conſtituto prohibuit tria Capitula, et in his Epiſtolam Ibæ damnari expreſſis authorum nominibus; non erat igitur contra deciſionem et Conſtitutum Vigilii, quod Concilium Generale V. damnaverit Epiſtolam Ibæ.

De condemnatione Honorii quidquid ſit, certum eſt, et quis neſcit, ut ait Card. Sfondrati in Gall. vindic. Diſſert. 3. §. 1.,

Epi-

Epiſtolas Honorii ad Pyrrhum et Sergium privatas fuiſſe, non publicas et dogmaticas, utpote in quibus nihil Honorius definivit, ſed mentem tantum ſuam, privatamque ſententiam aperuit, neque ad totam Eccleſiam pertinere voluit. vid. du Meſnil, Joann. Cabaſſutium, Petrum Annati, Antonium Pagium, Alex. Natal., Joann. Garnerium etc.

Jam in his exemplis quis etiam perſpicaciſſimus, non dicam *formalem appellationem*, ſed prætenſam illam *provocationem* aut *recurſum* a judicio Papæ ad Concilium Generale deteget, dum ex eis nequidem judicium Concilii Generalis Pontificio ſuperius demonſtrari poſſit? quare cum Boſſueto graviter hallucinatur Febronius, dum ait: *novum ſit fortaſſe nomen, ipſa res antiquiſſima et cum ipſius Eccleſiæ Conſtitutione conjuncta eſt.* Profecto ex Conciliis Sardicenſi, Africanis, ex epiſtolis decretalibus Pontificum genuinis, aliisque priſcis actis conſtat, et *appellationis* vocabulum et rem antiquiſſimam eſſe, et cum ipſius Eccleſiæ Conſtitutione conjunctam: ſed illa de appellatione

a Synodis ad Rom. Pontificem loquuntur. Febronius econtra de appellatione a Papa ad Synodum generalem ipſo fatente, ne quidem *vocabulum*, minus adhuc rem ipſam probare valet. Quid mirum, quod cum ſuis aſſeclis tam inſulſas prætenſiones verborum involucris circumducere, atque inter *vocabulum*, *ſubſtantiam*, *rem* adeo ſcite diſtinquere debeat? quare

Ad 1. 2. 3. et 4. Reſpondeo. Dum adverſarius ex antiquitate nihil conſtans, nihil validum afferre potuit, quod appellationi ſaltem ſimile foret, ad ſeculum decimum tertium uſque excurrit, ibique primas formales appellationes invenit. Cedamus iſta, quia præterquam quod nulla antiqua traditione, uti mox vidimus, nitantur, nihil omnino pro Febronio, neqne etiam contra nos probant. Nunquid ideo appellationes a Papa ad Concilium in medium profert, ut inde præeminentiam Concilii ſupra Papam oſtendat? Sed hanc 1*mo*. non probant appellationes a mero gravamine externo et Politico, quales et ipſe inter alias adfert; nam

nam subditus etiam a gravamine sibi a suo Principe illato ad ejus Consilium Aulicum vel Comitia regni recurrere potest, quin inde Principis dependentia, aut subjectio arguatur. Nos loquimur utique de Papa tanquam judice Ecclesiastico, et utrum ab ejus judiciis, sententiis, decisionibus appellari possit? ad probandam ergo præeminentiam Concilii supra Papam, solum appellationes ab ipso tanquam judice Ecclesiastico, atque ab ejus judicio', sententia atque definitionibus valent. Sic Febronius affert provocationem Caroli V. Imp. a Clemente VII. ad Concilium generale: sed ibi aperte agebatur de mutuis querelis et accusationibus solum politicis, quæ forum Ecclesiasticum non tangebant, et ideo Imperator a Clemente non tanquam a Papa et judice Ecclesiæ, atque solum in caussa profana atque privata provocabat. Dein Cæsar appellabat ad Concilium, quod ipse Pontifex convocaret. Hæc igitur a nostra quæstione plurimum absunt. Interim etiam in casu gravaminis adhuc obtinet illud Ivon. Carnot. *ut ab ipsa*, Ecclesia Romana, *ad*

ipſam, non ad Concilium, *confugiant*, *et inde exſpectent levamen*, *unde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen.* 2. Ut ſupra memini, facto jus non ſemper probatur, nec aquiritur, præſertim ſi adſint jura poſitiva facto contraria, ut ſupra ex traditione veteris Eccleſiæ invictis teſtimoniis oſtenſum fuit; ideo etiam Petrus de Marca lib. 4. de Concord. Cap. 17. n. 1. Talem appellationem *novam* vocat, *quia nunquam in Eccleſia admiſſa fuit provocatio a Papa ad Concilium.* 3. Iſtæ appellationes non ſunt factæ ad Concilium generale, excluſo Pontifice, utpote quod præprimis probari debuiſſet, ſed ad Concilium, quod Pontifex convocaret cuique præeſſet per ſe vel per ſuos legatos; quippe tunc temporis, quo iſtæ appellationes fiebant, non credebatur, Concilium aliquod generale et legitimum fore ſine Pontifice, quando nempe indubius et certus exiſtebat. Et hoc adeo verum eſt, ut etiam illi Principes, qui a Papa ad Concilium appellabant, prius illum non amplius ut legitimum agnoſcere vellent, ſchiſma conflarent, Conciliabula cogerent, in quibus eum

accu-

accusabant, deponebant, Anti-Papam substituebant, uti patet in Friderico, Henricis Imperatoribus, Philippo pulchro Galliæ Rege, quod manifesto argumento est, eos existimasse, a vero et legitimo Papa appellari non posse. Quare illæ appellationes non sunt nisi novæ caussæ cognitiones coram eodem judice, aliis tamen judicibus subordinatis Pontifici assidentibus, vel si Papam partes tanquam minus sibi propitium perhorrescebant, prius huic objectis criminibus, quibus a Papatu excidisse declararetur, amoto alium sibi magis, certiusque patrocinantem substitui faciebant, coram quo et Concilio dein suam caussam tractari volebant, sicque illæ appellationes jam non a Papa, quem pro legitimo habebant, vel saltem ab illo ad Concilium sine Papa, et ad istud tanquam superius interpositæ sunt, nisi fors postquam apud aliquos male intellecto Concilio Constantiensi opinio de superioritate Concilii, utut acephali, invaluit, quam ex aliquibus novantibus hujus et Basileensis Concilii Doctoribus hauserunt.

Attamen quidquid ſit, jam dixi, facta hæc ſunt, neque etiam Magnorum facta continuo pro jure habenda ſunt; nam conſtat, Fridericum II. Imp. non a Papa ſolum, ſed a toto Concilio generali, quod erat Lugdunenſe I., ad aliud Concilium generale appellaſſe. Quod ſi hoc licuit, valuitque, quia ab Imperatore factum fuit, non erit amplius Concilium generale, a quo appellari non poſſit, ſicque in Eccleſia omnis judiciaria poteſtas facile eluditur, ipſa authoritas Conciliorum generalium, pro quibus tanquam pro aris, focisque decertat Febronius, in nihilum redigitur, nullæ erunt Claves in Eccleſia, totumque regimen authoritate, vigore carebit. Cæterum etiam hanc exitialem, uti eam vocat Gobelinus, appellandi conſuetudinem, a ſeculo decimo tertio introduci cæptam, teſte Gerſone tract. *quomodo et an liceat etc.* Martinus V. in Bulla *ad perpetuam rei*, Conſtantiæ promulgata in Conſiſtorio publico et generali anno 1418., adeoque in eodem Concilio Conſtantienſi damnavit, ex quo adverſarii pro ſuperioritate Concilii ſupra Papam ſua argu-

gumenta depromunt. Pius II. vero, utut adhuc tanquam Aeneas Sylvius eidem sententiæ tantopere patrocinatus fuerit, poſt Concilium Baſileenſe in Conventu Mantuano anno 1459. pariter in bulla, quæ incipit *execrabilis*, appellationem a Papa ad futurum Concilium proſcripſit. Ex quibus ad oculum manifeſtum eſt, hos duos Pontifices, qui Conciliis Conſtantienſi et Baſileenſi ipſi intererant, horumque mentem probe noverant, illorum Decreta vel non in adverſariorum ſententia intellexiſſe, vel ea nullius authoritatis eſſe, ſibi perſuaſum habuiſſe, ſecus contra illa appellationes a Papa ad Concilium tanquam *execrabilem*, *peſtiferum*, *priſtinis temporibus inauditum abuſum*, quaſi in facie illorum Conciliorum damnare auſi neutiquam fuiſſent.

Notatu valde digna ſunt motiva et verba Bullæ Pii II. inprimis appellationem a Papa ad futurum Concilium vocat abuſum *execrabilem*, *priſtinis temporis inauditum*. 2. *Eundem ſacris Canonibus adverſari.* 3. Per eam *pauperes a potentioribus multipliciter oppri-*

mi, remanere ſcelera impunita, nutriri adverſus primam ſedem rebellionem, libertatem delinquendi concedi, et omnem Eccleſiaſticam diſciplinam, atque Hierarchicum ordinem confundi. Politicam non minus rationem aſſignat, omnibus Principibus æque formidandam. Nam ſi ad Tribunal appellare licet, quod nondum et nuſquam eſt, neque ſcitur, quod et quando futurum ſit, cur non liceat a Tribunali Principis ad Tribunal futurum ſui ſucceſſoris adpellare? his motivis inducti Patres Conventus Mantuani exiſtimarunt, taliter appellantes *tanquam hæreſis fautores, et læſæ Majeſtatis reos plectendos eſſe.* Ita Pius Papa, qui adverſariorum ſententiam probe noverat, atque olim ipſe defenderat.

Febronius autumat, authoritati hujus Bullæ per multum detrahi, vel omnino ſuum vigorem deperdère, quod Joañes Dauvet Caroli VII. Galliæ Regis Procurator generalis ſeſe eidem oppoſuerit. Sed quid homo laicus, et hic unus contra ſententiam ſummi Pontificis cum Conſilio et in Conven-

ventu Patrum prolatam, atque contra Poteſtatem Eccleſiaſticam valeat? num hujus, aut totius Parlamenti erat limites, gradus, et ſubordinationem regiminis et Poteſtatis Eccleſiaſticæ determinare? fruſtra petit Febronius, majorem fidem, reverentiam et obſequium ab univerſo orbe Procuratori generali in Gallia, quam Rom. Pontifici, Vicario Chriſti haberi.

Tandem ridiculum eſt, quod in favorem appellationis et ſubjectionis Papæ num. 5. adducit Febronius, nempe quod Pontifices quandoque quaſi a ſeipſis ad Concilium generale provocaverint, quod putat probari exemplo Innocentii III., qui Philippo II. Galliæ Regi petenti reſciſſionem ſui Matrimonii cum Ingelburga contracti reſpondit, *non audemus ſuper ejusmodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid definire. — — — Si ſuper hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter offenſam et mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis et officii nobis periculum immineret.* Ergo Innocentius a ſeipſo

ad

ad Concilium appellavit, vel ſaltem ſe iſthoc inferiorem profeſſus eſt? quis logicus ita concludit? Innocentius aperte hoc dixit ad meram excuſationem et honeſtum effugium. Ibidem Regi ſatis declarat ſenſum ſuum, quod *contra illam Chriſti ſententiam, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, ſua autoritate non poſſit diſpenſare.* Sed nec Concilium plus concedere, aut in hoc diſpenſare poterat: allegabat ergo Concilium, ne, ſi contra Regem proferret ſententiam, eidem videretur minus favere, aut de partium ſtudio ſuſpectus, tum ut in tanto negotio per Concilium cauſſa, cujus deciſio ut plurimum a facto dependebat, majori cum deliberatione diſcutiatur.

Porro in hoc ipſo caſu cum hodiernis Politicis iterum redarguendus eſt Febronius: ſi Romani Ponifices per ſeipſos et extra Concilium legem ſtatuunt, vel cauſſam aliquam decidunt, culpantur, quod Monarchice, deſpotice regant, quod totius Poteſtatis Eccleſiaſticæ Summa in uno homine, mortali, infirmitatibus obnoxio reſideat; ſi ve-

ro

ro in re magni momenti caussam ad deliberationem Concilii deduci volunt Pontifices, tunc se huic inferiores esse, ac profiteri existimat. Sic quidquid illi agant, semper alieno colore depingit, similis illis hominibus, qui dicunt bonum malum, et malum bonum.

Tandem reminiscatur Febronius, se Cap. V. de leg. §. 2. affirmasse, ne quidem generalium Conciliorum decreta et leges obligare, vim et effectum legis obtinere, nisi sint a Provinciis, Regnis et Ecclesiis receptæ: secundum hæc principia neque Concilia generalia constituunt in Ecclesia supremum Tribunal, horum sententiæ, decisiones, judicia vim et robur non habebunt, ab his ad Principes, ad plebem, ad Laicos recurri poterit, sicque tota Potestas hierarchica et Ecclesiastica omnino evertitur. ut quid ergo pro necessitate et suprema authoritate Conciliorum generalium tantumdem perorat.

§. XI.

§. XI.

Dilucidatur ulterius materia Appellationum a Rom. Pontifice ad futurum Concilium, et declaratur, quibus casibus illæ obtineant.

Etiam in appellationibus, ficut in aliis datur *legitimus* ufus, et refpective *abufus*, legitimum ufum defignavit in actu appellationis in Bulla Pii II. fupra cit. Regius Procurator Joannes Dauvet, fcilicet in cafibus, qui tangunt *confervationem orthodoxæ fidei*, *extirpationem Schifmatis*, *et univerfalem reformationem Ecclefiæ in Capite et membris.* Item *fuper gravaminibus*, *quæ per aliquem fummorum Pontificum inferri contingeret Principibus et Regionibus.* *Abufum* denotavit Pius II. in fupra cit. Bulla *execrabilis* his verbis: *calumniatores malevoli et perverfi fubterfugere juftitiam præfumentes per ludibria frivolarum appellationum ad futurum Concilium, ceu ad id, quod nufquam eft, obedientiam improbe declinant et temere.* Julius II. et Gregorius XIII. has appellationes fevere et *genera-*

ratim inhibuerunt, quam prohibitionem poſtremus *Bullæ Cœnæ* inſeruit. Verum nemo prudenter ſuſtinebit, eſſe in Rom. Pontificis poteſtate, cum præjudicio univerſalis Eccleſiæ, antiquorum Canonum, ordinis Epiſcopalis, Principum et Regnorum, jura antiquitati ignorata, id eſt, ſuperioritatem præ Conciliis univerſalibus ſibi adſcribere, et ideo tales Bullæ nunquam fuerunt receptæ. In his ergo moderatione opus eſt dicente S. Leone P. *manet ergo Petri Privilegium, ubicunque ipſius fertur æquitate judicium.* Sed quis ſemper laturus eſt? num Joannes XII.? negabit Romanum Concilium, a quo iſte Joannes ob intoleranda crimina depoſitus eſt. Num Alexander VI.? non aſſentiet Julius II., qui ſe ab eodem immaniter tractatum ſcribit in Bulla indictionis Concilii Lateranenſis. Hi exceſſus erant, quovis Juris remedio emendandi. Propter levius autem quodcunque gravamen a Pontificis Decreto appellare nec expedit, nec convenit. Sed tum potius ſequendum Conſilium moderatione plenum 22 Epiſcoporum Concilii Triburienſis de anno 895. *in*

me-

memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam et Apostolicam Sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, conferamus, et pia devotione toleremus.

1. Ut quis appellare possit ad judicem superiorem, debet tribunal ejus existere. Quod si hoc deficiat studio et machinatione ejus, a cujus judicio provocatur, non minus justa et legitima erit appellatio, nec propterea carebit suo effectu, aut haberi poterit tanquam illusoria et frustratoria, modo appellans paratus sit se submittere decisioni hujus supremi judicii, qui animus defuisse videtur appellantibus Lutheranis etc.

2. Subsistit Tribunal æcumenici Concilii in voto Ecclesiæ et Jure. Vigore Conciliorum Constant. et Basileens. singulis decenniis congregandum est. Item Alexander III. in litteris indictionis Concilii Lateranen-

ranensis III. si hæc et aliorum Conciliorum decreta servarentur, haberet Ecclesia promptum, certumque remedium occurrendi et medendi pluribus incommodis, quibus nunc affligitur. Si Concilium Tridentinum statim congregatum fuisset, obveniri potuisset infinitis malis, quæ dein per moras et longas deliberationes immedicabilia facta sunt.

3. Sunt haud exiguæ difficultates congregandi Concilii generalis, sed maximæ remoræ et obstacula nascuntur ex horrore fere invincibili et oppositione Romanæ Curiæ, ad cujus solum fere nomen ea contremiscit inde a Constantiensi et Basileensi Conciliis. Noti sunt motus et sollicitationes ac minæ Caroli V. et Francisci I. Regis Galliæ pro convocatione Concilii Tridentini. Frequentiori Conciliorum celebrationi Romani Præsules tandem adsuescerent, posset fieri deliberatio de minus difficili Episcoporum accessu; secus Ecclesia merito ingemiscit, et inde minime concludi valet, appellationem ad Concilium propterea illegitimam et frustratoriam esse.

4. Ab omni Synodo, et maxime ab illa, ad quam a summi Pontificis Decreto appellatum est, exulare debent vis, metus, et quidquid plenæ libertati officere posset, quia nemo libenter se submittit decisioni, quam prudenter existimat esse ejusdem judicii opus, a quo provocavit. Sic non præjudicabitur Papæ præsidio, ad quod pertinet curare, ut servetur ordo, impediantur factiones, non præscribere ea, quæ Collegiali judicio decidenda sunt, aut dominari sive apertis modis, sive obliquis viis aut secretis motibus.

Nota.

Tandem Febronius vel invitus, vel non bene sibi conscius veritatem quodammodo confitetur, quam per integrum pene suum opus omni studio oppugnat. Datur *abusus* appellationum juxta ipsum a Papa ad futurum Concilium, quem Pius II. notavit, nempe quando *malevoli et perversi subterfugere justitiam præsumentes obedientiam improbe declinant et temere.* Igitur non semper a judicio Rom. Pontificis appellari potest,

vel

vel licet. Verum hoc ipſo in Romano primate admittit authoritatem et jurisdictionem, ejusque Tribunal ſaltem in quibusdam caſibus et cauſſis recognoſcit. Aſt quantum ſibi ipſi contradicit? nunquid Papam hactenus omni jurisdictione exuere voluit? huc illius contendebant ſtudia, machinæ, argumenta: in hunc finem omnia, quæ de Romanis Pontificibus unquam acerbe, abjecte, inſolenter, petulanter, falſo dicta fuere, in unum coacervavit, etiam bona in mala vertit, et lectori innocuo non reverentiam, quæ omni legitimo ſuperiori, præcipue Vicario Chriſti debetur, ſed contemptum et diffidentiam ingeneravit. Nunc eum judicem admittit, a quo appellare quandoque *abuſus* ſit.

Dicet, ſe Papam per hoc non conſtituere *judicem ſupremum*, a quo nullatenus appellari poſſit. Scio; at prius eum nec judicem admittebat, qui in Eccleſia judicare valeat, qui jurisdictione polleat. Ut omittam plurima (nam totum opus ejus recenſere neceſſe foret) utique Cap. II. §. 11. diſerte dicit, *Principatum ſummi Pontificis*

per universam Ecclesiam non tam esse jurisdictionis, quam ordinis et consociationis. Ad ipsum non pertinere de quibuscunque per orbem Christianum Ecclesiasticis caussis cognoscere et statuere. Ibid. Reservationem et decisionem *caussarum majorum* eidem per ordinem omnino denegat Cap. IV. et tandem Cap. V. in id totum incumbit, ut Rom. Pontifici potestas legislativa, proprie dicta jurisdictio, et jus appellationum non competat. Attamen neque hac qualicunque confessione, quam sibi ipsi contradicendo hoc paragrapho ponit, adhucdum contenti sumus: etiam hic dicta examinanda sunt, quippe nec cum ejus principiis, neque cum sano Ecclesiæ sensu, traditione et ratione bene conveniunt.

Dicit Febronius, Joannem Dauvet legitimum appellationum *usum*, Pium II. vero *abusum* designasse. Ergo homo laicus, Procurator regius toti Ecclesiæ modum Regiminis, ordinem instantiarum et judiciorum determinabit? et quid? si Concilia integra etiam et generalia (absque Papa intelligo) in talibus casibus gravamina, errores, impe-

pedimenta ponunt, qualia defacto posuisse notum est: ad quem tunc appellandum erit? quis medebitur, quis ea corriget, infirmabit, nisi Pontifex? interim Pius II. in genere, et absque exceptione appellationem ad futurum Concilium prohibuit, damnavitque: rationes etiam, quas in memorata Bulla affert, generales sunt; igitur omnis appellatio a Papa ad futurum Concilium *abusus* est. Pius autem in hoc non novum jus aut legem dedit, sed loquitur ex antiquissima Ecclesiæ traditione, atque ex ore veterum Pontificum Julii I. Innocentii I. Leonis I. Gelasii I. Bonifacii I. Nicolai I. etc. etc., quin et ex sensu ipsius veteris Ecclesiæ Gallicanæ, prout superiori paragrapho abunde ostensum fuit. Falsissime ergo Febronius vocat hæc *jura antiquitati ignorata, antiquis Canonibus, et ordini Episcopali præjudicantia*, quidquid sit de Bulla Cœnæ, de qua in præsentiarum non agimus, et alibi dictum jam fuit, sed solum de appellatione ad futurum Concilium.

Exin tam moderatum se exhibet Febronius, ut admittat judicium Papæ, si dictan-

te S. Leone *æquitate feratur*: ergo jurisdictione valet Papa, si judicium ferre possit; æquitas autem de legitimo superiori et judicio præsumitur. Væ omnibus tribunalibus, si pro ipsis non stet, aut concedatur præsumptio æquitatis! At ait Febronius: talis non stabit, pro Joanne XII. quia hic negabit Concilium Romanum, neque pro Alexandro VI., quia non assentiet Julius II. verum hæc adhuc a Febronio probanda restant, argumentum non conficiunt, ideo certiora oportuisset afferre.

Joannes XII. ambitione et potentia Patris sui Albrici Pontifex eligitur, vel potius intruditur: attamen schismatis vitandi caussa, ut ait Baronius ad ann. 955. universa Ecclesia Catholica, ob tempora illa pessima minus malum eligens, eum venerata est Pontificem. Fuit utique non bonæ notæ Pontifex; at si in sua conversatione et Persona malus, num etiam in judiciis iniquus? hoc nondum probatum fuit. Tres solum Constitutiones ab illo editas legimus, quibus nihil agit, quam tantummodo pristina jura Ecclesiæ Beneventanæ, Abbatiæ Humo-

lari-

lariensis et Vulturnensis confirmat. Postea plurium personalium criminum reus accusatus, adnitente Ottone I. Imp. in Concilio Romano deponitur. Verum istud exemplum, hæc depositio quid juris, quid authoritatis importat? Launoius lib. 4. Epist. ad Ludovic. Maræsium num. 27. in hoc facto sibi applaudit, quem Febronius secutus fuisse videtur. Sed viri majoris authoritatis, et in hac re minus suspecti aliter sentiunt. Ant. Sandinus in vit. Rom. Pontif. in Not. ita habet: *Baronius §. 31. et Petrus de Marca lib. 1. de Concord. Cap. 11. §. 7. consentiunt, Joannis XII. exauctorationem ab Ottone Imperatore, et Synodo Romana tentatam, nullius omnino fuisse momenti. Nat. Alex. Dissert. 16. in hist. Eccles. Sec. 9. et 10. ostendit, Pontificatus dignitatem Joanni XII. injuria abrogatam, et Leonem VIII. ei suffectum legitimis Pontificibus non esse annumerandum, quamvis id negaverint authores plerique coævi, maxime Germani, NB. Ottoni Imperatori ut adularentur.* Inter hos authores præcipue in suspicionem veniunt Luitprandus et Reginonis continuator

 te-

teſtibus Baronio, Ludovico du Meſnil, Natali Alexandro apud Sandīn. ibidem. Certe Leo VIII., qui poſt Joannem favente Imperatore intruſus fuit, nunquam inter legitimos Pontifices in Eccleſia adnumeratus ſemper pro Anti-Papa agnitus erat. Nihil ergo omnino iſtud Concilium Romanum valet.

Author hiſtor. Germanor. Ignat. Schmidt. Concilium iſtud, et depoſitionem Joannis exiſtimat legitimam, quamquam illud *generale* non fuiſſet, quia tacite a cæteris approbatum, putatque parum intereſſe, utrum Papa deponatur, quia non cenſetur legitime electus, vel quia mala converſatione et vita ſe Papatu indignum effecit. Aſt pace hujus viri dixerim, quamvis per iſta Febronio favere videatur, hæc partim a vero abeſſe, ac etiam extra quæſtionem noſtram vagari. Joannes vix intervallo duorum menſium iterum reſtitutus, et ut prius Pontifex agnitus fuit, Leo VIII. autem in hoc Concilio intruſus, retro ab omnibus ſemper ut Anti-Papa habitus fuerat: quomodo ergo brevi hoc tempore depoſitio Joannis ad noti-

titiam omnium Ecclesiarum devenire, et universa Ecclesia illud Concilium atque depositionem ratam habere potuit?

Dein in nostra quæstione utique permagni interest, ut quis sit actu legitimus Pontifex, vel an verus et legitimus Pontifex deponi possit? si quis non sit, aut probetur legitime electus, vel per crimina a Papatu, ejusque juribus omnino exciderit, tunc revera vel non fuit, vel saltem actu cessat esse Pontifex et Vicarius Christi, sicque nihil juris per talem depositionem exercetur in verum et legitimum Pontificem, imo non tam est depositio, quam declaratio, ipsum non fuisse, vel non esse legitimum Pontificem. Ast per hoc nondum sequitur, eum, qui actu est, fuitque certus ac legitimus Papa, in via juris deponi posse.

Tandem etsi concederetur (quod tamen falsum esse mox vidimus) Concilium illud legitimum fuisse, utique idem Author fatetur, Joannem in Concilio Romano inter alia accusatum esse, tanquam in fide et Religione

ſuſpectum, quod Diaconum in equili ordinaſſet, quod Jovem, Mecurium et Dæmonem ſæpius nominaret. Dum autem qui a fide et religione, hoc ipſo etiam a Papatu excidit, inde pronum eſt, Epiſcopos Imperatori faventes eo facilius in ejus depoſitionem conſenſiſſe, ſecus fors ad depoſitionem usque procedere auſi non fuiſſent.

Dum vero cit. author ait, Cardinales et Clerum Romanum, qui Joannem in Concilio accuſabant, in tantum ſua Privilegia et jura non ignoraſſe, atque Eccleſiam Romanam non magis, quam cæteras obligari, ut a malis Pontificibus ſe ſcandalizari ſinat, hæc inquam, ſi hiſtoriæ ſeries rite perpendatur, iterum ad quæſtionem de ſubjectione Papæ ad Concilium nihil conficiunt, nempe advertendum eſt, Joannem ad Papatum magis intruſum, quam rite electum, atque ab Eccleſia ob timorem majoris ſchiſmatis toleratum, ſicque quaſi neceſſitate agnitum fuiſſe; ideo multi ex Clero Romano eum non tanquam legitime electum agnoſcentes, neque in ſua, neque in Pontificum jura peccaſſe exiſtimabant, ſi a Papatu dejiciatur.

At

At de certo, vero, et legitime electo Pontifice, quamvis alias bonæ vitæ non foret, Clerus Romanus non ita ſenſiſſet, nec aliud reſpondiſſet, quam quod olim cum Epiſcopis Gallicanis reſpondit in cauſſa Symachi et Leonis III. PP. etc. ubi Clerus Romanus et Epiſcopi declarabant, ſummum Pontificem judicare ſibi conceſſum non eſſe.

An ergo ferenda ſunt crimina et ſcandala Rom. Pontificis? ad hoc reſpondebunt omnes illi Epiſcopi, qui Symachum, Leonem III. PP. accuſatos judicare renuebant: reſpondebunt etiam Politici, Nationes, Populi, qui non ſolum in ſupremis, ſed et inferioribus Principibus quando que vix ferenda ſcandala et mala tolerare debent. Pariter ſit, Julium II. adhuc Cardinalem a ſuo Prædeceſſore Alexandro VI. aliquando male habitum fuiſſe, num ideo in aliis fidem, Doctrinam, et Regimen Eccleſiæ tangentibus *æquum judicium* non tulit, aut ferre potuit? num ideo e Solio deturbandus erat? an ob privatum crimen vel odium Princeps a Regno et Principatu ſubmovendus erit? hæc nova et ſeditionis plena eſt doctrina,

et

et Febronius hos excessus *omni Juris remedio emendandos* esse vult. At summi Principes talia juris remedia contra se non patiuntur, etiam summi Pontifices ob privatas suas actiones his non subjacent: vel petis, solum Rom. Pontificem impeccabilem esse? hæc igitur non argumenta, sed argutiæ, cavillationes sunt, scite ad conflandam Rom. Pontificibus invidiam adinventæ.

Post hæc Febronius ait, propter leve gravamen a Papa provocare, nec convenire, nec expedire. Parum dicis. Sed dic potius cum Gelasio I. imo cum veteri Ecclesia, *hoc nunquam licere, nusquam esse permissum.* Dein in quibusque gravaminibus a Rom. Pontificibus illatis ad Consilium Synodi Triburiensis etiam adde monitum Ivon. Carnot. et S. Bernardi supra cit. ut qualitercunque gravati *non descendant in Aegyptum*, id est, extra forum Ecclesiæ a Potestate seculari remedium quærant, nec aliunde, *sed a Romana Ecclesia ad ipsam confugiant, et inde exspectent levamen, Pontificem appellent ad seipsum, ut se et ipsos judicet.* Adde denique Concil. Gener. VIII. Can. 21.

Ad

Ad 1. optime ait, ut quis appellet ad Judicem superiorem, debet ejus Tribunal existere: sed futurum Concilium, ad quod appellatur, non existit, et fors tota appellantis vita non existet. Hæc Pii II. certissima et convincens ratio est, talem appellationem frivolam et frustratoriam esse. Interim si Concilium superius est Pontifice, nequaquam timeat, illud hujus machinatione impediri posse; nam Judex inferior superiorem impedire non potest, idque minus adhuc fieri poterit in tua sententia, quando non solum Imperator, sed quivis Supremus Princeps Concilia generalia convocandi jus habet. Dein etiam his omnibus admissis merito adhuc quæritur, utrum regimen Ecclesiæ tam improvide, debile et inordinate sit constitutum, ut ultimum ejus Tribunal, ad quod tamen cuivis gravato appellare permissum est, fere nunquam existat, cujus convocatio tot laboribus, impensis et difficultatibus obnoxia est, quod etiam, licet appellatus sum. Pontifex non resistat, tamen adhuc a multis impediri potest, ne sit generale Concilium, et denique quod nullum

lum magni momenti negotium in Ecclesia sine Concilio terminari possit, sed ad voluntatem unius appellantis totus orbis commoveri, tot Episcopi a suis Ecclesiis maximis molestiis et impensis peregre emigrare et in unum convenire debeant?

Et profecto ad vocem unius appellantis hæc fieri deberent, nisi velit, in sola Ecclesia pro injustitia non haberi, quod injuste gravato, et jus suum persequenti justitia denegetur. Hæc appellationum fautoribus meditanda propono: hi Rom. Pontifici, cui tamen cura et sollicitudo totius Ecclesiæ incumbit, prærogativam et authoritatem non concedunt, ut si pro bono Ecclesiæ utile vel necessarium videatur, possit convocare Concilium, atque ut aiunt, ad unius nutum totus debeat commoveri orbis, et Episcopi convenire: attamen volunt, ut unus et quivis homo subditus possit provocare ad Concilium generale; igitur ad hujus voluntatem congregandum est: et si non congregetur, non fit justitia, multæ caussæ et lites non finientur, alii, ut ait Pius II., *non sanioris cupiditate judicii*, sed justitiæ declinan-

nandæ, et *punitionis evadendæ caussa* appellabunt, ſicque *ſcelera remanebunt impunita, nutritur adverſus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis Eccleſiaſtica diſciplina, et hierarchicus ordo confunditur.* Putatne, talem regiminis formam a Chriſto, qui juſtitia eſt, Eccleſiæ ſuæ inſpiratam eſſe? confer D. Barthel opuſc. 1. hiſt. gen. Pacificat. Imp. art. 3.

Ad 2. Tribunal, ad quod in omni eventu appellari poteſt, debet non ſolum *in jure* et in *voto*, ſed etiam *reapſe* ſubſiſtere. Interim quo amplius per totum orbem Religio Chriſtiana diffuſa eſt, eo magis crevit difficultas in unum congregandi Epiſcopos, et celebrandi Concilia generalia: hæc adhuc maius incrementum cepit, diſtracto in plures Principes Rom. Imperio, uti ſupra §§ 2. et 3. etc. dictum eſt. Dum autem hodie jus convocandi Concilia generalia fere ſingulis Principibus addicitur, Febronius hoc Cap. §. 2. etc., quando penes hos ſtat, Epiſcopos ad Concilia admittere, vel non, quando hi ſaltem in materia diſciplinæ debent curare tantum, quæ ſuæ Nationis ſunt,

quan-

quando penes Principes, Regna, Populos, ſubditos ſtat, recipere, vel non admittere leges, Decreta, reformationem Concilii generalis, tunc jam præter alias difficultates in congregandis, celebrandisque Conciliis non minimas, nec modicas, Concilia generalia jam videntur fere impoſſibilia, quin et in ſuo effectu fruſtranea. Bona fuit intentio Concilii Conſtantienſis, ſed quod humanum eſt, non prævidit impedimenta, quæ ſubſequentibus temporibns per talia principia ponerentur: non prævidit, mox poſt ſe Concilium Baſileenſe in legitimo et indubio Pontifice attentaturum fore, quod ipſum indubio feciſſet, atque talia ſemina ſchiſmatis jacturum eſſe, quæ in longiſſima diſſidia, et peſſimas ſequelas pullularent.

Et quid de Concilio Tridentino? num penes ſolos Rom. Pontifices ſtetit, ut ſtatim Concilium cogeretur; verum eſt, hi tales conditiones celebrandiConcilii expendebant, proponebant, poſtulabant, ſine quibus ipſis videbatur, Concilium nec utile futurum, nec fauſtum exitum habiturum eſſe: hæ conditiones univerſim Principibus non ſemper

place-

placebant, ſicque moræ trahebantur. Sed et alia obſtacula longe majora interveniebant, diſſidia, bella inter Principes Catholicos, inde de ſecuritate Concilii timebatur, et etiam congregatum rumpebatur, modo Gallus repugnabat, modo Pontifex capitur, in cuſtodiam mittitur, atque ipſa Roma diripiebatur, expilabaturque etc. de quibus ne longior ſim, videri poteſt Pallavicini Hiſt. Concil. Trident. Inde habet etiam reſponſum.

Ad 3. Cæterum facta Conciliorum Conſtantienſis et Baſileenſis merito terrere debent ſummos Pontifices, dum de Concilio celebrando agitur, quando in illis plurima tumultuarie, contra ordinem, morem, et traditionem ab antiquis Conciliis obſervatum, conſecratumque acta et attentata ſunt. Nunc autem, ut jam dixi, difficilior ad Concilia via redditur per novas opiniones et principia, quibus etiam ipſa Concilia, horumque finis et executio fere inutilis redditur. Quid Epiſcopi in Conciliis ſtatuant de faciliori ad ea acceſſu? ſi ipſi libere accedere non valent, ſi penes Principes et Provincias ſtat, ea convo-

 care

care, Episcopos ad illa mittere, vel domi retinere, eorum Canones et decreta admittere, vel respuere, quando tota Ecclesia videt, nec ultimi æcumenici Concilii Tridentini decreta executioni demandata fuisse?

Ad 4. Hæc glossemata, quæ Febronius a foro Civili mutuat, atque regimini Ecclesiæ adaptat, clare atque directe adversantur veteri praxi et traditioni Ecclesiæ in Concilio Arelatensi, in quo Melchiades P. in caussa Donatistarum post suum judicium Romanum iterum per legatos Judex sedit: in Concilio Ephesino, ubi Cœlestinus P., dum Nestorius suæ sententiæ aquiescere nollet, iterum eum damnavit, Concilio exequente Papæ sententiam: in Concilio Romano, in quo Episcopi caussam Symmachi P. tractare non sunt ausi, nisi ipso permittente et volente: in Concilio Constantinopolitano IV., ubi Adrianus II. Photium, sententiæ sui Prædecessoris se non submittentem rursus condemnat, damnationem subscribente Concilio, et tandem in Tridentino, in quo Rom. Pontifex Lutherum et asseclas a Papa ad Concilium provocantes iterum damnat.

Post

Poſt hæc Febronii monita et exceptiones in irritum cadunt, et reſponſum amplius non merentur.

§. XII.

Magna Generalium Conciliorum in negotiis fidei utilitas, et ex horum neglectu hæreſium propagatio.
Major eorundem pro conſervanda et reſtauranda diſciplina neceſſitas.
Concilium Tridentinum uberem adhuc reformationis meſſem poſt ſe reliquit, a futuris Conciliis univerſalibus colligendam.

In horum confirmationem vel potius probationem Febronius producit declarationem et Proteſtationem Cardinalis Lotharingi anno 1563. ſub finem Concilii Tridentini factam, ubi ait, *ſe probare, quæ nunc ſunt decreta, non quod ea judicet ſatis eſſe ad integram ægrotantis Reipublicæ Chriſtianæ curationem, ſed quod ſperet, Pontifices maximos curaturos, ut ea, quæ deſunt, impleant, in uſum revocatis veteribus Canonibus, jam diu abolitis, et maxime quatuor veterum illorum Conciliorum, vel ſi expedire videbitur, frequentiori Conciliorum œcumeni-*

 ni-

nicorum celebratione. Item quod Romani et Curialistæ egregie obstiterint reformationi per indefessa molimina propriam suam et suorum reformationem declinantes, quibus graviora reformationis Capita ad directionem et nutum Romanæ Curiæ identidem revocarentur, atque hac via sepelirentur, per longum recitat ex Commentario Francisci de vargas Hispaniæ Regis in Concilio Tridentino oratore.

1. Plenariorum Conciliorum utilitas et necessitas optime intelligi potest ex oppositione facta per Eusebium inter Imperatores Licinium et Constantinum in hujus vita lib. 1. Cap. 51. de Licinio tanquam persecutore Ecclesiæ refert: *lege lata præcepit, ne Episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius Ecclesiam ventitare liceret, et Synodos ac Concilia de communibus negotiis habere.* Addit Eusebius: *Si præcepto paruissent, Ecclesiasticas leges convelli oportebat. neque enim majoris momenti controversiæ aliter, quam per Synodos componi possunt.* Econtra de Constantino ajebat: *is Sacerdotes Dei, pacis et concordiæ mutuæ*

caus-

caussa in unum convocabat. Et Cap. 44. *Ecclesiæ Dei præcipue curam gerens, cum per diversas Provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus a Deo constitutus, Ministrorum Dei Concilia congregavit.* Viderint itaque illi, qui, quantum ad convocationem Conciliorum attinet, *Licinum* magis sequuntur, quam *Constantinum*, sicque ansam dant, ut interim disciplina Ecclesiastica corrumpatur, nec Ecclesiarum dissensiones circa res fidei in tempore tollantur.

2. Quantum Romana Curia reformatione indiguerit, optime doceri potest ex Instructione Adriani VI. data Cheregoto ejus Legato anno 1523. ad Norimbergensia Comitia misso. Hujus Pontificis declaratio tam sincera, quam ejus intentio de reformanda Curia seria fuisse videtur. *Sed quod non ita longe post morte sublatus Adrianus præstare non potuit, successor ejus forte noluit,* ait Claudius Espencæus oper. suor. pag. 480.

3. Post hæc haud difficulter fides adhibebitur Edmundo Richerio hist. Concil.

lib. 4. P. 1. Cap. 2. §. 1. dicenti, quamquam Curia Romana a Concilio Constantiensi usque toto conatu contenderit, studium reformationis obsolescere, tamen semper viros bonos et pios ruinam bonorum morum ac disciplinæ deflevisse, atque necessitatem emendandæ Ecclesiæ demonstrasse.

4. Gerardus Landrianus Episcopus Laudensis a Concilio Basileensi ad Henricum Angliæ Regem missus ait, omnia mala ex intermissione Conciliorum exorta fuisse, quibus medendis studebat Concilium Basileense.

5. Andreas Episcopus Magorensis Hispanus tract. gubernac. Concil. part. 3. etc. dicit, Episcopos et Prælatos non sanctos esse, sed ut tales sint, beneque vivant, ideo necessaria esse Concilia generalia etc. etc.

6. Idem prosequitur, Papam cum officialibus et Cardinalibus magis abhorrere a Conciliis generalibus, et velle, ut non sint in Ecclesia, ne in plurimis collationibus, reservationibus, concessionibus etc. limitentur.

7. Car-

7. Cardinalis Monilianus in Compendio Inſtitut. Theolog. Cap. 14. a Cardinali Alexandrino, poſtea Pio V. P. approbato dicit, Conciliorum celebrationem valere etiam *ad refrænandum exorbitantias quorumdam Pontificum, qui munus ſacrum aut ſpretis Ss. Patrum regulis, et pro voluntate exercent, aut Simoniaca pravitate dehoneſtant, aut ſeculi vanitate, aut vita ſcandaloſa confundunt.*

N o t a.

In vanum currit: quis negat Conciliorum utilitatem, quandoque etiam neceſſitatem, modo ſint legitima, non acephala, non ſchiſmatica, et in iis ille ordo et forma, modusque ſervetur, qui traditione, atque in primis Eccleſiæ ſeculis præſtitutus fuit? confer in hunc finem, quæ diximus hoc Cap. §. 7. in Not. etc. Quid igitur tot pro utilitate et neceſſitate Conciliorum iterum teſtimonia accumulas? nempe quia in his acutos aculeos et non levia dicteria in ſummos Pontifices et Romanam Curiam hinc in-

 de

de invenisti, ideo tibi prætereunda non erant. Per hæc igitur denuo nobis respondendi necessitatem imponis, ne lectores caussam jam victam putent, quando accusatus non defenditur.

Longior forem, necesse est, si Cardinalis Lotharingi sensus, studia, motus, variationes, quæ in Concilio Tridentino emicuerunt, referre vellem. Inter cætera notum est, eundem Cardinalem præ cæteris cum Pontifice de fine Concilio imponendo egisse, atque ad hunc studia sua contulisse. Quod si Synodus exspectationi totius orbis et Ecclesiæ per sua reformationis Decreta nondum satisfecerat, quare non magis hujus prosecutionem, quam finem postulabat? at in sensu Cardinalis res ita se non habebat; nam l. c. a Febronio ait: *cum his corruptissimis temporibus et moribus intelligam, non posse ea, quibus maxime opus est, protinus adhiberi remedia, — — — sed quod sperem, his prius lenioribus fomentis adhibitis, cum graviora medicamenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices Maximos, et maxime Ss. D. N. Pium etc. curaturum etc.* Inde patet 1*mo*

Lo-

Lotharingum judicasse, interim ea pro iis circumstantiis sufficere, dum graviora medicamenta nondum pati potuit Ecclesia. 2. Cardinalem loqui de reformatione totius Reipublicæ Christianæ, non de sola Curia Romana; Febronius econtra putat, hanc solam, et Pontifices reformandos esse, quippe in hos tantum continuo debachatur. 3. Unde Galli plura et alia reformationis Capita ac decreta peroptare poterant, quando et ea, quæ ipsis leniora et minora visa sunt, nondum recepere, vel executioni dederunt? quod fere hanc Protestationem inanem reddit, utpote facto contrariam. Denique 4. Pallavicinus histor. Concil. Trident. lib. 23. C. 12. rationem dat hujus Protestationis a Cardinali factæ, nempe *ne Regis sensibus adversaretur, adeoque nec se plene contentum ostenderet illis emendationibus, quibus non omnino Rex aquiescere videbatur, nec ea comprobaret, quæ suspicionem ullam detrimenti Regiis Privilegiis afferrent.* Constat inde, hanc rationem protestandi mere extrinsecam fuisse, qua Cardinalis potius ad

ſe purgandum coram ſua Natione ad carpendum Concilium inducebatur.

De Franciſco de Vargas plura dici poſſent, qui quantumvis pius, doctusque quandoque ſuo ſenſui indulgebat. Certe in Rom. Pontifices ſemper æquus fuit, eos laudibus extollebat, atque etiam durante Concilio tractatum edidit de authoritate et Poteſtate Rom. Pontificis, quem ſi admittat Febronius, eique in pretio eſt de Vargas, cum ipſo non amplius litigabimus.

Nihilominus de Vargas non ſemper, nec ubivis laudem tulit; in Præſides et Pontificis legatos non æque propitius viſus eſt: ipſi Hiſpani Epiſcopi ejus Conſilia quandoque nimis acerba aut duriora ſequi renuebant, quia nec æquitas in re propoſita, nec ſpes in eventu cerneretur. Pallavic. hiſt. lib. 15. Cap. 20. Idem de Vargas publice ſermonem habuit coram Pio IV., in quo pluribus in Concilia Nationalia invectus eſt, et unde potius ſcomata tanquam vanus, quam laudem ut doctus reportavit. Idem lib. 14. Cap. 15. Denique Febronius ipſo

hoc

hoc loco concedit, Franciſcum Vargam nonnulla durius perſtrinxiſſe; non igitur omnem fidem meretur, præcipue ubi potius intimos legatorum ſenſus, qui tamen occulti erant, rimari, atque perſtringere non dubitavit. Adde, quæ ſupra §. 4. de legatis Pontificiis ex Barthelio retulimus.

Ad 1. Viderit Febronius, viderint alii, præcipue hodierni politici, qui, quantum ad convocationem Conciliorum, et mutuam communicationem, nexumque in negotiis Eccleſiaſticis præcipue cum capite et primate Eccleſiæ attinet, *Licinium* magis ſequuntur, quam *Conſtantinum*, et cuivis ſummo Principi jus convocandi, et per conſequens etiam non convocandi, vel in ſuo ſtatu Conventus Epiſcoporum prohibendi, vel ſaltem iis extra Regnum non transmeandi veniam tribuunt, ita ut penes quemlibet fere ſtet efficere, ut Concilium vel generale ſit, vel non ſit generale. Quoad ſummos Pontifices vide mox paragraphum præcedentem, et quæ alibi in hunc finem diximus.

Ad

Ad 2. Illa mandata Cheregoto data, ficut et Confilium delectorum Prælatorum, quæ toties ad denigrandam curiam, Romanosque Pontifices objicis, faltem probant, non adeo cæcos et obftinatos in malo fuiffe Romanos, ut vitia non detegerent, damnarent, emendarentque: horum ergo finceritatem malevoli perperam in malum trahunt. Nemo negat, Romæ abufus fuiffe; nihilominus acerba nimis plerisque vifa eft antecedentium Pontificum, et jufto vehementior Adriani reprehenfio, non quod in nullo offenderint, fed quia nihilominus ingentibus virtutibus, dotibusque excelluerint, et quia vitia inferiorum Officialium non femper fummo Capiti adfcribi poffunt. Multi etiam ad hanc exaggerantem plane declarationem nimis credulum Hadrianum inductum fuiffe exiftimant a fatyricis Aulicorum affentationibus, qui per vituperationem Principis recenter defuncti apud fucceflorem profundunt odia in eum, qui cupiditates ipforum minus explevit, atque a novo expleri fperant. Cæterum quando Adrianus juftam reformationem ad finem perducere non

non potuit, num igitur ejus cura abjecta fuit? quantis diffidiis, turbis, quin et vexationibus ejus Succeffor Clemens VII. implicitus fuerit, nemo nefcit? et ideo Efpencæus melius dixiffet, *forte non potuit*, quam *forte noluit*. At fuccedens huic Paulus III. in hac re tantum præftitit, ita ut Nuntio Pontificio hæc referenti Ferdinandus Rex plane aquieverit.

Ad 3. Poft hæc Edmundi Richerii, aliorumque Zelatorum immoderatæ, ac exceffivæ funt querelæ et lamenta, atque in non paucis Pharifaicum Spiritum olent. Adde ab his non nifi reformationem Curiæ Romanæ et Romanorum Pontificum prætendi, fed a bonis, piisque viris in Concilio Tridentino et alias neceffiatem reformationis non folum in omnibus Ecclefiafticis, fed etiam laicis membris expetitam, optatamque fuiffe, hodie vero adhuc magis indigere.

Ad 4. Ultro cedimus Gerardo Landriano; ad pacificandam Rempublicam, calamitates et mala, paffim totam Ecclefiam devaftantia ad hæc, inquam, compefcenda utilia, quin fæpe neceffaria fore Concilia, attamen non

ra.

talia, quale Basileense Conciliabulum fuit, ut quæ non pacem, quietem et bona, sed nova et majora dissidia et mala in Ecclesiam inducerent. Hoc solum quæro: num ad reformationem morum et disciplinæ semper necessaria sint, fuerintque Concilia? num alia via remedium ferre non poterit? inspice decretales epistolas veterum Rom. Pontificum Siricii, Innocentii I. Zosimi I. Bonifacii I. Cœlestini I. Leonis I. aliorumque. Hæ solæ tibi, tuique similibus, qui continuo Concilia inclamant, ora obstruent.

Ad 5. Neque illa Andreæ Magorensis Episcopi generaliter dicta in totum respuimus. Similiter

Ad 6. Quæ idem de Papa, Cardinalibus, Curia Romana tempore Schismatis scripsit, quo, et præcipue quando Pontifices Avenione in Gallia sedere cæperant, tales abusus invalescebant, dum nempe patrimonium et bona Ecclesiæ Romanæ a laicis distracta fuere, atque tot simul Pontifices ad se suosque officiales sustentandos, ad factionem suam augendam, mediis opus habe-

bebant, quæ ſibi per exorbitantes reſervationes, collationes, diſpenſationes etc. comparabant; hæc quia a deprædatione Eccleſiæ Romanæ et a ſchiſmate ut plurimum ortum trahebant, utique optimum fuit, iisdem mederi per Concilium generale. Quod vero Magorenſis de tempore ſchiſmatis dixit, atque pro eo, et pluribus ſimul exiſtentibus Pontificibus verum fuit, id de omnibus affirmare, ampliori ac firmiori probatione opus fuiſſet. Cæterum Magorenſis aliunde non omnem fidem et authoritatem meretur, de quo Mammachius Epiſt. 3. ad Juſtin. Febron. §. 6. ait, *a Patrum, a Synodorum, ab Eccleſiæ univerſæ doctrina deſcivit, atque ita ſe geſſit, ut ſua inventa traditioni Majorum prætuliſſe videatur.*

Ad 7. Quamquam Authoritas Cardinalis Moniliani, tanquam Doctoris privati per ſe parum valeret, nihilominus in talibus circumſtantiis etiam nos dicimus, Concilium multum valere. Aſt ſimul ſuſtinemus, tunc talia crimina certa eſſe debere et manifeſta, quæ etiam in damnum vel deſtructionem totius Eccleſiæ vergerent, non occulta,

pri-

privata, neque ad accusationem unius, alleriusve prolata. Sustinemus ulterius, tunc observandum fore Canonem 21. Concilii œcumenici VIII., ut Concilium sit unitum cum Pontifice, non ut ab illo judicetur tanquam eidem subjectus, quamdiu adhuc agnoscitur ut verus et legitimus Pontifex, ut de emendatione ipsius et eorum, quæ per ipsum male gesta sunt, cum ipso tractetur, sicque communi Consilio, studio, authoritate, salva semper reverentia summo Capiti debita, iterum mala reparentur. Quis credat, ullum Papam adeo fore sui officii immemorem et obstinatum, ut communi Ecclesiæ voci, precibusque aures non præbeat, quin propterea Potestatis suæ detrimentum patiatur?

§. XIII.

Referuntur singillatim abusus Ecclesiastici inde a Concilio Constantiensi a viris piis et integris Nationibus publici incusati, per Tridentinum non sublati.

Videamus circa lapsium *Canonicæ disciplinæ*, relative ad Curiam Romanam, singula reformationis, a viris bonis et piis optatæ,

tæ, efflagitatæ, capita, et abusus incusatos, per Tridentinnm et hucusque non sublatos, qui proin alterius Concilii manum, vel aliud legale medium desiderant, eo promptius, efficaciusque, quo majus caussatur scandalum Catholicis, atque Acatholicis. Primaria caussa immanium defectionum seculo XVI. a Catholica Religione fuerunt, et obstaculum reunionis modo sunt palpabiles abusus Potestatis. Romani cum Pallavicino dicunt; si omnibus postulatis *in centum gravaminibus* contentis indulsisset Pontifex, ejus authoritas deserta jacuisset. Ergo tanti valet authoritas Papæ, non quidem *genuina* illa, et *jure divino* obtenta, sed quomodocunque parta, ut potius Laici in perditionem euntes dimittendi, et Hæretici Ecclesiæ non essent reconciliandi, quam pacis amore quidquam remittendum ab aquisita illa potestate, utcunque populis gravi, et non conformi antiquis Canonibus.

1. Leibnizius exhibet querelas Nationis Germanicæ in diæta Confluentina anno 1479. propositas, quod concordata plurimum infringantur, quod Papa sæpe deroget statutis

 et

et consuetudinibus Ecclesiarum de nobilibus, et legitimis duntaxat recipiendis etc. quod mendicantes obtineant exorbitantia privilegia administrandi Sacramenta, Beneficia etiam majora, regendi Ecclesias Parochiales, et curatas, item exemptiones a jurisdictione ordinarii etc.

2. Jacobus Regius Epistola ad Maximilianum Imp. de anno 1507. apud Freherum, vult eum a Sede Apostolica inviolabilem legem impetrare, ne imposterum vel Natali obscurus, vel litterarum indoctus duo vel tria Beneficia qualicunque dispensatione consequatur, cum quodlibet juris, sacræve Paginæ licentiatum, imo Doctorem honeste nutrire posset.

3. In decem gravaminibus Nationis Germanicæ anno 1510. apud Freherum, quod successores Pontifices ad servandas Bullas, Pacta etc. antecessorum se teneri non arbitrentur, et ad instantiam etiam vilis Personæ contraveniant. Quod annatæ absque dilatione et misericordia, interdum plus, quam de-

debeatur, exigantur. In Epift. Carol. V. ad Adrianum VI. Annatas ab origine ad arcendos fidei hoftes conceffas effe. Quod cauffæ, quæ in Germania terminari poffunt, ad Romana Tribunalia indiftincte trahantur.

4. Inter remedia decem gravaminibus fubjuncta habetur, quod proponatur fummo Pontifici, ut mitius agat cum Archiepifcopis et Epifcopis, Germaniæ ob Annatas, quæ in quibusdam Epifcopatibus auctæ vel duplicato dicuntur. Item ne unus in diverfis Ecclefiis ejusdem Civitatis plures Canonicatus et Vicarias habere poffit: hoc ultimum allegatum in Concilio Conftantienfi fuit a Petro de Alliaco Cardinali Cameracenfi. Denique in Avifamentis ad Cæfaream Majeftatem poft decem gravamina monetur, ut provideat Cæfarea Majeftas, ne fratres Mendicantes contra ipfam prædicent, qui Sedi apoftolicæ libenter deferunt, timentes perdere privilegia fua.

5. Maximilianus I. anno 1510. edicto fanxit apud Freherum tom. 2. pag. 378. ne quis in eadem Civitate in diverfis Ecclefiis plures Canonicatus aut Vicarias poffideat.

Sic ſanxit Poteſtas ſecularis conformiter ad ſacros Canones, quando ex altera parte authoritas Eccleſiaſtica adverſus ſanctiſſimorum Canonum diſpoſitionem indifferenter pergit diſpenſare.

6. Paulus Langius Chronico apud Piſtorium Rer. German. tom. 1. ait, amore Auri Romæ omnia venalia eſſe: præbendarum pluralitatem in infinitum concedi: annatas ſine dilatione exigi, indies creſcere, quæ tempore Calixti III. ad quatuor annos conceſſæ ſunt: pro uſu Pallii ingentem pecuniam exigi contra ſanctiones Leonis P. II. et Decretum Concilii Baſileenſis. Ob talia gravamina ruinas, deſtructiones et ærumnas oriri. Ob tales cauſſas Moguntinam Eccleſiam maximis et permultis oneratam eſſe debitis, et vehementer exhauſtam. Status Imperii anno 1523. in Comitiis Norimbergenſibus ad hæc ita concludunt, quod ſi hæc gravamina a Pontificia Sanctitate non ocius aboleantur, et tollantur, ſe de aliis forte commodioribus viis et mediis cogitaturos, quibus a memoratis gravaminibus exonerari, liberari, et in libertatem vindicari poſſint, at-

atque Cheregato Pontificio Legato pro responso dederunt.

7. Etiam delecti a Paulo III. Cardinales et Prælati inter abusus numerant, quod dispensetur in legibus Ecclesiasticis sine necessitate et urgenti caussa: non licere ex usu Potestatis clavium lucrum capitare: pensiones dari Clericis divitibus: coadjutores minus idonei Episcopis petentibus: officia incompatibilia plura uni: a jurisdictione ordinarii eximi, et etiam non exemptos confugere statim ad Pœnitentiariam vel datariam: dispensari in Nuptiis in consanguineos seu affines, quod fieri non debet nisi ob honestam caussam, et absque pecunia, nisi jam prius conjuncti essent, ubi pro absolutione a peccato jam perpetrato imponi licet mulcta pecuniaria post absolutionem, ad pios usus deputanda: indulgentias non esse dandas nisi semel in anno unaquaque insignium Civitatum.

8. Quæ Episcopi Galliæ ex mandato Regis apud Melodunum congregati 1548.

 de-

deliberaverunt, tangunt reſervationes, regulas Cancellariæ, exſpectationes, Proviſiones, cauſſarum vindicationes, edicta, Signaturas, Decreta, Coadiutorias, Penſiones etc. quæ omnia ad normam antiquorum Canonum exigi volunt.

9. In Conſultatione de Capitibus reformationis in Tridentina Synodo propoſitis ac proponendis, juſſu Ferdinandi I. Imp. inſtituta apud Schelhornium Amænit. hiſtor. Eccleſ. et litterar. tom. 1. exhibetur, ut non detur talis diſpenſatio, quæ ipſos ſacros Canones ſua penitus authoritate orbare, aut offendiculoſam aliquam abuſionem, diſpenſandi Poteſtate indignam, præſeferre videri poſſet: ut exemptiones Eccleſiarum et Monaſteriorum tollantur; ut pluralitas dignitatatum et Beneficiorum Eccleſiaſticorum abrogetur, ceſſetque nundinatio beneficiorum.

10. Georgius Vicelius in Elencho abuſuum, *viæ* ejus *Regiæ* ſubjuncto dicit: *diſpiciatur*, — — — *num Apoſtoli Petri Succeſſori liceat, Epiſcopos Eccleſiarum jurejurando*

rando sibi obstringere, et obnoxios facere, manusque et pedes horum colligare, quo nimirum vinculo coerceantur, ne veritati Christianæ libere subscribere audeant, et modis omnibus caveant, ne vel pilum Sedis lædant, nec biscant, quidquid peccet Sedes. — — — Tanti venditur Pallium unum, quanti multa etiam ditissima cujusque Latifundia, contra apertissimos Canones Gregorii M. et aliorum, ut hodie nihil aliud sit Pallii redemptio, nisi Germaniæ et aliorum Nationum tacita direptio.

11. Per longum adducitur Claudius Espencæus Commentar. in Epist. Pauli ad Tit. Cap. 1. Qui jam memoratos abusus, dispensationes, legitimationes taxas Cameræ et Cancellariæ etc., acerbissimo et plane satyrico stylo invehitur, item carpit Concilium Tridentinum, quod Romam non reformaverit, et Pontificem, quod hic modo non reformet.

12. Simili modo Franciscus Duarenus ait, nil sibi utilius videri, quam quod authoritate Regis Pastores præficiantur Ecclesiis, modo etiam a Papa obtineri posset, ut ordinatio, inquisitio, confirmatio Episcopis re-

linquatur; nam ea hirundo (Romana Curia) tantum Gallici ſanguinis quotidie abſorbet, ut quot annis variorum diplomatum a Pontifice obtentorum nomine ad ſeptuaginta et amplius aureorum millia Romam exportari ſoleant. Quoad pluralitatem Beneficiorum, captatores Beneficiorum Romam certatim curſitant, prætextu litteraturæ aut nobilitatis, veniam a Pontifice impetraturi, quæ nemini, quamvis indigno Nebuloni, modo is numeret, denegari conſuevit.

13. Guilielmus Lindanus in Apologetico ad Germanos anno 1568. dicit, omnes, quæ ſua ſunt, quærere, ſtudere avaritiæ, diſpenſari in plurimis, ſuper quibus nec Chriſtus diſpenſare poſſet, prætendi cauſſam rationabilem ex more, et nullo facto examine in Bullis inſeri, etiam notoria eſſe vitia Curiæ Romanæ etc.

NOTA.

In hunc paragraphum longius diſſerere, atque multa ab invicem diſcernere neceſſe eſt, quando Febronius omnia in cumulum projicit, tot accuſationes, imputationes, Sa-

Satyras, Scommata proferens, queis non jam Curiam Romanam, ſed et ipſos ſummos Pontifices atque Sedem Apoſtolicam enormiter defædare audet.

Dicimus ergo, et quis negat? abuſus Romæ fuiſſe, et fors adhuc eſſe: ſed hi abuſus non ipſam Poteſtatem Rom. Pontificis, ſed Poteſtatis uſum et exercitium attingunt, uti videbimus. Dicimus illorum abuſuum, qui diſpenſationes et pluralitatem dignitatum, Beneficiorum attingunt, et hoc paragrapho in ſingulis numeris occurrunt, cauſſam et ſubſiſtentiam non Romæ, ſed in Germania potius quærendam eſſe, nempe apud ipſos impetrantes, horumque fautores, Patronos etc., quod mutiplici exemplo, ſi erga viros in dignitate conſtitutos et Nobilitate præfulgentes Reverentiam abeſſe vellem, demonſtrari poſſet. Dicimus tandem, omnes illos abuſus a Febronio enormiter exaggerari, nimium extolli, imo nonnullos omnino contra veritatem opponi.

Abuſus fuerunt, ſuntque in Romana Curia: ſed ubi Chriſtus promiſit, Petrum,

ejusque successores, quin et ejus Consiliarios fore impeccabiles, quales hic esse vult? nunquid ipse Christus discipulis normam dedit, qualiter non ut *Reges gentium dominari*, sed sicut ipse *ministrare* debeant, quod manifesto argumento est, eum non impediisse, quo minus possint sua Potestate abuti? nunquid Petrus jam fundamentum, Pastor Ecclesiæ et Vicarius Christi constitutus visus est Paulo non recte ambulare, et nimium judaizare? habet hic Febronius jam in primo Pontifice, quod ipsum de Politia arguat, qui summos Pontifices, aulamque Romanam tantum politicis rationibus duci continuo lamentatur: sed hoc non obstante Petrus Primas et Papa fuit, Ecclesias ordinabat, leges, jussa dabat, ei obsequium, reverentia; obedientia præstabatur. Nonne Christus dixit: *supra Cathedram Moysis sedere scribas et Pharisæos*, quæ docent, non quæ faciunt, imitanda esse. *dato etiam*, ait D. Bartel opusc. I. Pacific. Imp. art. 3. *Quod apud Pontificem et ejus Curiam scandala et corruptelæ fuerint, et sint; propterea is non amittit dignitatem, et officii Potestatem. — — — Quis enim dicere ausit,* *Prin-*

Principes feculares peccando vel dando fcandalum fuis Sedibus, Poteftate et juribus excidere? hoc argumentum accomodum femper præ oculis habere deberent Principes, quando ipfis jus facrorum et Poteftatem Principis Ecclefiæ invadere confulunt Politici, quippe eodem fcuto fe contegere debent. Interim oftendat, quod jam femel monui, Curiam Epifcopalem, vel etiam fecularem, ubi nunquam abufus fuere, nec modo funt, quamquam optimi Epifcopi et Principes iis tollendis fæpe manum admovebant; nempe femper et ubique homines funt. Et ipfe folam aulam Romanam, in qua ex utroque orbe negotia cumulatim confluunt, quibus tractandis, expediendisque tot hominum oculi, manusque vix fufficiunt, ab omni labe et hominum vitio immunem effe cupit, quando et doctiffimi et fanctiffimi quique in tantis negotiis errare, multo magis falli et circumveniri poffunt.

Neque exiftimet, tales abufus pofterioribus primum feculis, et a falfarum decretalium tempore, uti perfuadere contendit, in aulam Romanam et totam Ecclefiam irrepfif-

se. In hoc vel ignorans, vel falsus esse deprehenditur. Non ita judicabit, qui legerit veteres sanctos Patres, Scriptores; atqui ipsi Canones et statuta veterum Pontificum ad oculum demonstrant, quales abusus et vitia in Ecclesia, in Clero, apud ipsos Episcopos et summos antistites sæpe viguerint. Supersedeo tot documentis, quæ passim lustrari possunt. Sufficit pro eorum compendio addere, quæ Ammianus ad annum 366. apud Murator. histor. Ital. tom. 2. scripsit: *si ut solet, dissolutiones conspicimus in Clero, vitia in Populo, mox prima Ecclesiæ secula vel exempla* (quod Febronius sæpe fecit) *producimus ex adverso, ad quæ mores et actiones nostras hodie oporteat componere, certumque est, insignia iis ætatibus virtutum reperiri exempla: cæterum iis etiam ipsis minime deerant, quæ hodie obtinent vitia.* At eo tempore Isidorus Ecclesiæ nondum leges dedit, neque aulam Romanam depravavit. Sed uti sæpius jam vidimus, ea est Febronii inconstantia, et summos Pontifices convitiandi pruritus, ut modo omnia mala in Ecclesiam et Curiam Romanam per Isidori decre-

cretales invecta esse jactitet, et si anterioribus documentis convincatur, jura esse, quæ ipse sæpe abusus et mala vocat, non abhorrescit, primævos Pontifices a Victore I., Stephano I., Innocentio I. etc. usque, de quibus nobis certiora in Ecclesia monumenta supersunt, usurpationis, ambitionis et abusuum reos arguere. Profecto si ita esset, unde nobis amplius genuina jura, horumque usus constabunt?

Abusus sunt: sed quoties Febronius et alii vel Principum assentatores, vel Rom. Pontificum, non dicam, Religionis hostes abusum cum Potestate confundunt, atque ab abusu ad ipsam Potestatis negationem descendunt: ingenue fatetur Adrianus VI., et acerbissime perstringunt delecti a Paulo III. Prælati abusus circa dispensationes, appellationes, caussarum judicationes, reservationes, exemptiones, mandata, leges; at non inde Febronius, suique similes inde argumenta depromant, illeque toto suo opere hoc agat, ut ipsam Potestatem dispensandi, reservandi, judicandi, leges ferendi summo Pontifici deneget. Minus præoccupatum lectorem ad hoc

hoc appello. Aequiora ſunt judicia Thomaſſini atque Barthelii, qui Rom. Pontificibus nec blandiuntur, neque abuſus tacent. Ille in Reſponſionibus ad cenſuras ab Eminentiſſimo Cardinali Hyeronimo Caſanata ſibi inuſtas ita ſe explicat: *Conſulto dixi, non in Poteſtate, ſed in Poteſtatis uſu atque exercitio variatum fuiſſe ſive in confirmationibus, ſive in conceſſionibus, ſive in translationibus Epiſcoporum, ſive in diſpenſationibus, ſive denique in abſolutionibus. — — — Non ergo quæſtio unquam vertitur de Poteſtate primæ Sedis, quæ Summa, et ſui ſimillima ſemper eſt: ſed de variato ejus per tot ætatum, tot locorum, negotiorumque veritatis exercitio atque uſu. — — — NB. hæreticorum eſt, antiquitatis qualicunque peritia novos Eccleſiæ uſus, moresque damnare. — — — Quanto ſatius et Sectariis lucrifaciendis, ac colligendis conducibilius* (hæc ad prætenſum Febroniani operis finem et ſaniora et honeſtiora fuiſſent) *ut agnoſcas, ſalvo fidei ſemper unius, et irreformabilis vinculo, diſciplinam, mores, uſusque neceſſitati temporum accomodari; nihil autem novatum fuiſſe demonſtres,*

niſi

nisi ex Ecclesiæ utilitate, nisi ex Charitatis lege, nisi cum summa Episcopalis inter se Collegii consensione, nihil novæ Potestatis summo Pontifici accessisse: sed si nonnulla, quæ per Metropolitanos et Concilia particularia prius exercebantur, cœpit ipse unus ubique exercere, id totum profectum esse, non alienam usurpando Potestatem, sed suam explicando, aut alienam jure ad se devolutam suæ accumulando, non principandi latius libidine, sed consulendi Charitate, non in inferiorum munia invadendo, sed eorum cessationem, aut defectum supplendo, Episcopis nequaquam renitentibus, sed ultro concedentibus, ultro Apostolico Principatui assurgentibus, nec tum sollicitis, a quo, quam quomodo, qua sapientia, qua Charitate, qua Sanctitate Potestas omnis Ecclesiastica exerceatur. Hæc Thomassini Consilia atque judicia nos contra Febronium in Notis melius adimplevisse confidimus.

Alter D. Barthel Differt. Prælim. de Concordat. Germ. Cap. 2. sect. 6. num. 12. de abusibus circa reservationes ita scribit: *neque ambigo, quin Papa jure possit ordinationes*

tiones Majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum ſibi et Apoſtolicæ Sedi reſervare, tum ex Poteſtate ſupremæ et univerſalis directionis, tum accedente ſpeciali et publica cauſſa ratione materiæ ſubjectæ: puta, ſi inferiores in ſuis electionibus, et ordinarii collatores in ſuis collationibus plurimum abuterentur, et per Poteſtatem laicalem ſæpe jure ſuo libere uti non permitterentur, ſeu alia et aliqua publica et manifeſta ratione. Sed de Poteſtatis uſu ſermo eſt, qui non ſemper unus et idem fuit, in eo quandoque circa materiam Politiæ et Diſciplinæ exterioris abuſus irrepere poſſe, et irrepſiſſe ſeu hominum vitio, ſeu temporum, conſtat, et diffitetur nemo. — — — — Exinde tamen non ſubſequitur, ſubpoſito, quod ſummi Pontifices in hoc abuſi fuerint, vel exceſſerint, propter hoc ab eis jus omne ſucceſſive præſcriptum tollendum, ſed abuſus pellendos, exceſſus reſtringendos eſſe. Adde ſupra cit. Concilium Tribur. et Ivon. Carnot.

Poſt hæc Febronius hos abuſus nimium quantum exaggerat, et ultra omnem veri-

ta-

tatem extollit: quærit, utrum *tanti valeat Authoritas Papæ*, ut potius laici in perditionem dimittendi et hæretici non ſint reconciliandi? ſi Catholicus eſt, viderit utique *in centum gravaminibus*, et aliis Proteſtantium poſtulatis, non ſolum *genuinam* illam et *jure divino* partam Papæ; ſed et totius Eccleſiæ Poteſtatem deſerendam fuiſſe, ſic et ipſa Eccleſia deſerenda fuiſſet: dicit, hos abuſus fuiſſe primariam cauſſam defectionis a Religione, et modo obſtaculum reunionis. Quare igitur Acatholici non ſolum Papam abjecere, ſed et Sacramenta quædam, aliosque noſtræ Religionis articulos? quare Eccleſiis et Monaſteriis ſua bona non reliquere, atque quæ ſua non ſunt, diripuere? Bahrdtius Acatholicus, quamquam ad votum Febronii Papa ad infirmum illum ſtatum redigatur, omnesque ex Romana Curia repurgentur, nondum reunionem ſperare ſinit, atque alia adhuc obſtacula opponit: abuſus ergo neque fuere vera et primaria cauſſa defectionis, neque modo ſunt obſtaculum reunionis.

Sed Febronius in exaggerandis abusibus fidem sibi promeriturus in auxilium vocat Petrum de Alliaco, Paulum Langium, Georgium Vicelium, Claudium Espencæum, Franciscum Duarenum, et inferius etiam Goldastum, Conringium, Hermannum van der Hardt, quos præter alia adhuc singularia encomia *viros bonos et pios* nominat.

De *Alliacensi* jam satis dixi, ubi de Concilio Constantiensi. *Paulum Langium* Pistorius *a doctrina Lutheri minime alienum* fuisse dicit. vid. L'avocat. *Georgius Vicelius* a Raynaldo, Joanne Eckio, Nicolao Serrario tanquam hæreticus et multis erroribus dementatus describitur, et revera ejus *via Regia* et *Elenchus abusuum*, quæ citat Febronius, impietate et erroribus scatent. *De Claudio Espencæo*, quem Febronius *sincera pietate illustrem, virum Pontificibus probatum* vocat, ipsi Galli aliud longe testimonium perhibent. Spondanus de eo scribit, extare epistolam Bezæ, qua significat, Espencæum aliquando *Genevam se contulisse, et in multis cum Calvinistis sensisse.* P. Honorius a S. Maria et Tillemontius dicunt, eum a facultate Pari-

sien-

ſienſi damnatum fuiſſe. *Franciſcum Duarenum* Helinus, Jocherus, L'advocat in Lexico dicunt, clam cum hæreticis ſenſiſſe. *De Melchiore Golgaſto* ex vitriario, Conringio, aliisque notum eſt, eum *multas ſuſpectæ fidei merces pro veris erudito orbi obtruſiſſe*, atque *Conſtitutiones et leges Imperiales illaudabili ſane facinore confinxiſſe.* Hic ergo circa leges Imperiales non minus, quam Iſidorus circa Pontificum Decretales peccavit, quem tamen ſecure ſine ſerupulo citat ſæpius, ſequiturque Febronius.

Hermannus Conringius palam Acatholicus fuit. *Hermannus van der Hardt* pariter Lutheranus fuit, de quo Harduinus in Præfat. tom. 1. Concil. ait: *vix quidquam habet, quod non vel hæreticum ſcriptorem, vel nugatorem otioſum, vel maledicum denique in Catholicos declamatorem redoleat.*

Hi ſunt ergo illi *viri boni, piique*, ex quibus contra Romanos abuſus Febronius ſuas querelas et declamationes ut plurimum hauſit. Scio, non eo ipſo, quod aliquis au-

 thor

thor Acatholicus ſit, ideo falſum dicere, eique fidem non deberi. Scio, abuſus Romæ fuiſſe; idipſum non diffitentur Romani, et Adrianus VI. P. atque ſelecti a Paulo III. Prælati aperte teſtantur. Sed dico, tales authores ſecundum omnes genuinæ Critices regulas, quando de Rom. Pontificibus et Romana Eccleſia agitur, de præjudiciis ſaltem ſuſpectos eſſe: dico, eos teſtes eſſe non poſſe, quidquid in re ſit, quia ex Profeſſione ſuæ Religionis ſunt hoſtes Romanæ Eccleſiæ et Pontificum manifeſti, ideoque ſemper ſi non de veritate, ſaltem de exaggeratione ſuſpecti; ſciat enim, in Judicio hoſtes vel cauſſæ vel Perſonæ contra eandem tanquam teſtes non admitti; hiſce ergo *viris bonis et piis* Catholico lectori nondum perſuadebit.

Conſulto authores nominavi, qui in hos *viros bonos* et *pios* ſuas cenſuras, quas etiam merentur, ferebant, dum Febronius tom. 2. Apolog. adverſ. 4. Theolog. rurſus eos viros de Eccleſia egregie meritos nominat, qui neque *in jure*, neque *in facto* in recenſendis Romanis abuſibus erraverunt;

ideo-

ideoque acerbe irafcitur fuis adverfariis, quod hifce viris *bonis*, *piisque* credere noluerint. Verum quidquid fit, uti jam monui, authores Acatholici, vel alias de fide fufpecti aut male notati in hoc argumento teftes idonei nec funt, nec effe poffunt, et pudere debuiffet Febronium, talibus teftibus contra Romanam Ecclefiam pugnare, nifi quod eorum acerbæ declamationes, et fatyricus dicendi modus ad fuum intentum magis ferviret: quippe non folum intereft, quid quis dicat, fed etiam quo modo, fenfu, ac verbis dicat, quia hæc fæpe magis quam ipfa veritas pungere valent. Sed infra videbimus, nec ea omnia, quæ illi proferebant, omnino vera effe.

Poft hæc adverfarius alia documenta affert, et præprimis *querelas*, *Cleri Nationis Germanicæ adverfus gravamina et infractiones Concordatorum in Diæta Confluentina anno* 1479. *ex Leibnizio.* D. Trautwein et Sangallo hanc Diætam a Leibnizio confictam, meramque fabulam autumant, quia a nullo authore coævo, vel etiam alio, uti Browero, Maffenio, Ifelino, Joanne Wol-

ſio, Frehero, Goldaſto, Paulo Langio, Henſicio, Chriſtophoro Lemanno etc. de eadem mentio fit, præterquam a ſolo Leibnizio. Sed Febronius ſupra cit. loc. tom. 2. ejus veritatem et exiſtentiam vindicare vult ex Lunig et Barthelio. Aſt hi duo an non a Leibnizio decipi potuerunt, quando bona fide eum ſecuti fuerunt? et revera Barthelius citato a Febronio loco, nempe in Præfat. ad Concordat. German. diſſert. 3. pro veritate hujus Diætæ Confluentinæ non niſi Leibnizium citat. Res igitur nondum confecta eſt.

Attamen in his, etſi fors propoſita fuerint, ſicut et de Aviſamentis, gravaminibus decem, dein centum jam non tam quæritur, a quibus ea referantur, ſed magis quæſtio vertitur, a quibus illæ querelæ et gravamina mota fuerint, et utrum revera ita ſubſtiterint?

Verum eſt, anno 1510. Maximiliano I. Imperatori decem querelas ſeu gravamina cum remediis et Aviſamentis in Comitiis Auguſtanis fuiſſe propoſita, cum Imperator

a Pontifice Julio II. alieniori eſſet animo, quod is a fœdere adverſus Venetos initio receſſiſſet. Hæc dein gravamina Lutherani tantopere mutarunt, exaggerarunt, ut hæc decem in centum omnino excreſcerent, quæ *centum gravamina Norimbergenſia* dicta ſunt, quaſi ab integra Natione Germanica propoſita fuiſſent. Sed P. Ignatius Schwarz contra Pfefingerum, Conringium Oldenburgium etc. fortiſſimis argumentis oſtendit, decem illa gravamina cum remediis et aviſamentis ab indigniſſimo calamo conſcripta et exaggerata fuiſſe, ita ut toti Nationi Germanicæ adſcribi non poſſint. Aliud quippe eſt, hæc gravamina in Comitiis et toti Nationi propoſita fuiſſe, aliud vero ab integra Natione probata, confirmata et ſummæ Sedi propoſita fuiſſe; in priori caſu gravamina totius Nationis dici haud poſſunt.

Febronius Appendice III. multis probare nititur, decem illa gravamina non eſſe ſubleſtæ fidei, quia alibi etiam inveniuntur, neque a ſolo Goldaſto allegantur, præſertim a Pallavicino lib. 1. Cap. 2. n. 7. Sed totum ſcopum, ſaltem quem nos intendimus,

aberrat. Non negamus, decem illa gravamina concepta, atque Maximiliano Imperatori propoſita fuiſſe, ſed negamus, ea eſſe gravamina totius Nationis, id eſt, totam Nationem ea moviſſe, propoſuiſſe, atque approbaſſe. Dicimus, in iis quædam a horum compilatoribus nimium exaggerata fuiſſe, ideoque eam fidem et robur, quod a conſenſu et authoritate totius Nationis obtinere debuiſſent, omnino deperdunt, et ſolum tanquam querelæ quorundam, et quidem nimium exorbitantes ſpectantur. Id ipſum diſcimus ex eodem loco Pallavicini L. 1. Cap. 2. n. 7., quem in hunc finem citat Febronius; ſic enim habet: *jam vero tametſi eo uſque tempore Maximiliano Cæſari libellus oblatus fuerit, exponens decem gravamina Germaniæ per Curiam Romanam illata, quorum octavo novarum Indulgentiarum conceſſio arguebatur, veteribus aut abrogatis aut ſuſpenſis: Cæſaris vero reſponſio aliquam præſeferret cæteris in Capitibus querimoniam, de hoc tamen nullum prorſus verbum fecit, utpote qui et in Pontifice authoritatem agnoſcebat, et in re honeſtatem.* Jam in his Pallavicini

ver-

verbis, quæ ipſe citat Febronius, multa contra ipſum probant, hæc gravamina fere nullam authoritatem habere, multo minus integræ Nationi adſcribi poſſe, quia 1*mo* libellus gravaminum Cæſari oblatus fuit, non ab ipſis Comitiis editus et authoriſatus, prout fit in Receſſibus Imperii. 2. Quando Cæſar ad hæc gravamina reſpondit, in cæteris præſeferebat *aliquam querimoniam*, in octavo agnoſcebat *in Pontifice authoritatem et in re honeſtatem*. Igitur per hæc oſtendebat, octavum gravamen injuſtum eſſe, reliqua ſaltem exaggerari. 3. Dum Cæſar ad reliqua Capita tam moderate, ad octavum vero omnino non reſpondit, quomodo hæc dici poſſunt gravamina *Nationis Germanicæ*, quando *Caput Nationis* ea ex toto non approbavit, neque conſenſit. 4. Qua fiducia Febronius tom. 2. Apolog. adverſ. 4. theolog. art. 1. audet dicere, has propoſitiones, has querelas genuinas et veras fuiſſe, ſi etiam ſola Cæſaris reſponſio attendatur? Cæterum Pallavicinus ipſe citat ad ſua verba librum, cui titulus: *faſciculus rerum expetendarum*

et fugiendarum, ad quem etiam provocat Febronius.

Jam *de centum gravaminibus*, ut vocant *Norimbergensibus* quid dicam? inprimis nulla ratione probari poteſt, quod omnes Imperii ordines in ea gravamina aut compilanda, aut Pontifici transmittenda, vel ea juſta eſſe cenſuerint; et hoc de ordinibus Imperii Eccleſiaſticis præ cæteris prorſus incredibile eſt, cum plurima ex iis tangant directe Epiſcopos et Eccleſiaſticos, atque in grande ipſorum præjudicium, quin et probrum vergant, quod utique idem fuiſſet, ac ſe ipſos de graviſſimis criminibus apud Pontificem et totam Nationem accuſare.

Dein Goldaſtus Cap. 76. in iisdem gravaminibus aperte dicit, a laicis ea fuiſſe propoſita; proin falſum eſt, eas querelas fuiſſe totius Nationis Germanicæ, omniumque Imperii ordinum conſenſu Pontifici fuiſſe oblata.

Sed nec omnes Laici ſtatus, Catholici præſertim, ea omnia æqua et juſta cenſere, vel

vel consentire poterant. Nam reprehenduntur ibi Præcepta Ecclesiæ, Ritus, Cæremoniæ, consuetudines antiquissimæ, ut inventa mere humana, tanquam Romanæ avaritiæ aucupia, Pontificiæ Tyrannidis onera: culpantur Ecclesiæ jejunia, abstinentia a carnibus, nuptiarum solennitas certo tempore interdicta, Matrimonii impedimenta, Indulgentiæ, Sanctorum cultus, multaque alia ad evertendum Primatum summi Pontificis; ad abolendam jurisdictionem Ecclesiasticam, ad Concordata Germaniæ et Pactiones infringendas, ad fidem et Ecclesiam deprimendam, opprimendamve. Quis credat, hæc a Catholicis profecta fuisse?

Certe Carolus V. Imperator epistola ad Clementem VII. anno 1526. scripta testatur, se centum gravaminibus *nusquam aures præstitisse, nec illis animum adjecisse.*

Gretserus in Defens. Bellarmini de translat. Imp. ait: *Libellus centum gravaminum, quem Lutherani etiamnum cudunt, recuduntque, et nunquam non in ore habent, quemque Illyricus suo Catalogo, et Orthuinus Gra-*

Gratius (nam et hunc citat Febronius) *suo fasciculo illigavit, nec ab Imperatore, nec jussu Imperii compositus, sed a Lutheranis fabrefactus, et non alio Consilio dispersus est, nisi ut, quod a paucis tenebrionibus fraudulenter actum erat, id Augusto Imperii nomine gestum censeretur, sicque ad id, quod Lutherani volebant, obtinendum accomodatius esset.*

Bellarminus vero loc. a Gretsero cit. Cap. 2. *Illyrico teste extat vere aureus libellus centum importabilium gravaminum, a toto Imperio in Comitiis Norimbergensibus anno* 1523. *Papæ Adriano oblatus. Mendacium hoc hominis impudentissimi detexit Joannes Cochlæus in actis Lutheri anno* 1523. *ubi scriptum reliquit, nullum ejusmodi libellum im Comitiis Imperialibus editum, sed cum in eo conventu proposita fuissent quædam gravamina quibus gravari videbatur Natio Germanica non solum a Romana Curia, sed etiam ab Episcopis et Prælatis Germaniæ, ea occasione Lutheranos edidisse librum centum gravaminum, omnia in Papæ odium augentes aut maligne interpretantes.*

Ipse

Ipſe Cochlæus vero ſcriptor illius temporis loc. cit. ſub finem ſic habet: *abſente tunc procul in Hiſpaniis Carolo Cæſare, celebrantur Comitia Imperialia Norimbergæ a Vicario Imperii fratre ejus Ferdinando etc. In quibus ſane multus, variusque tractatus fuit in negotio fidei. Nam et Adrianus VI. R. P. quemdam eo miſerat Archiepiſcopum Franciſcum Cheregatum, virum diſertum, cum pleniſſima inſtructione et paterna oblatione ad mitigandos animos Germanorum. — — — At quanto benignius ſeſe offerebat Pontifex, tanto ferocius agebant Lutherani, — — — maxime quiritantes contra abuſus Romanæ Curiæ, de quibus tamen abolendis Pontifex ipſe benigniſſime omnem operam ſuam ultro pollicitus fuerat. Propoſuerant quidem imperii Principes gravamina quædam, quibus inique gravari videretur Natio Germanica, non ſolum a Curia Romana, ſed etiam ab Epiſcopis et Prælatis Germaniæ, et propoſuerant ea non modo Norimbergæ in Comitiis, verum etiam Wormatiæ prius coram Cæſare. At Lutherani omnia ad ſiniſtram et iniquam intentionem detorquentes et depravantes, ſumpta inde oc-*

occasione, ediderunt librum tum Latine, tum Germanice, cui titulum fecere: centum gravamina Germaniæ, *in quibus sane recensendis non solum maligne in odium Papæ et Cleri omnia exaugebant, et in pejorem partem interpretabantur, verum etiam impie plerisque antiquissimis Cæremoniis Ecclesiæ, quibus Episcopi et Clerici in suis functionibus rite utuntur, derogabant, et abrogatas volebant. Atque ut odium in Papam adhuc magis augeretur in Populo, adjunxerunt etiam summas omnium Annatarum, quas totius orbis Episcopi loco Primitiarum summo Pontifici in confirmatione sui adnumerare solent, ut longe gravissima exactio, et infinita prorsus pecunia videretur, quotannis a Papa exigi inique.*

Pariter etiam Surius in Commentar. ad ann. 1523. *Prodiit tum liber centum gravaminum, authoribus Lutheranis, ut nihil intentatum relinquerent, quod faceret ad conflandam invidiam Pontifici et Ecclesiasticis.*

Item Odericus Raynaldus ad ann. 1523. ait, ea gravamina *esse Lutherano veneno inquinata, alia per calumniam in Sedis Apostolicæ*

licæ invidiam detorta, alia malitiose exaggerata. Eadem est sententia Ludovici Maimbourgi in histor. Luther. Tit. 1.

Ex hactenus deductis rationibus, testimoniisque verum, certumque manet, quamvis quædam pauca gravamina Nationis æqua viderentur, ea tamen a Lutheranis nimium exaggerata, in immensum aucta, malitiose explicata et detorta, eaque omnia nequaquam totius Nationis fuisse. Et tamen hæc omnia, tanquam genuina, vera et authentica ad invidiam Rom. Pontificis objicere audet Febronius? Contra hæc adversarius existimat, sese optime defendisse, quando 1*mo* in Appendic. 3. ex Struvio probat, centum gravamina communi saltem Laicorum statuum consensu præsentata fuisse. 2. Si forte a nonnullis *Ecclesiasticis* ordinibus, vel etiam paucis secularibus contradicta sint, ea tantum spectare antiquissimas leges et consuetudines, Ecclesiæ, non vero alias usurpationes, exactiones, violationes etc. 3. Quas ipse adduxerat, querelas, etiam in diæta Confluentina, in epistola Caroli V. Imp. ad Adrianum VI. in edicto Maximiliani I. contineri.

At

At quamquam duo prima adhuc falſa ſunt, quidquid dicat Struvius, quia prorſus incredibile eſt, Catholicos ſtatus etiam Laicos in ea omnia conſenſiſſe, atque tantummodo iis, quæ leges et conſuetudines Eccleſiæ tangunt, contradixiſſe, non vero etiam aliis, quæ ad juriſdictionem et diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, quod utique probare debuiſſent Struvius atque Febronius; ſic tertium quoque, quod gravamina a Febronio adducta etiam alibi reperiantur, in tantum verum eſt, quod in locis citatis non omnia centum, ſed ſolum aliqua, eaque aliter ac longe moderatius, quam in centum gravaminibus exponantur. Dein ex hac ipſa confeſſione Febronii, quod ſaltem *nonnulli Eccleſiaſtici* et *pauci ſeculares* ordines contradixerint, ultro ſequitur, quod nos contra ipſum defendimus, *centum gravamina* non eſſe propoſita et præſentata *a tota Natione Germanica*, ſed ut plurimum a ſolis Acatholicis, ideoque male ab ipſo citari, et opponi tanquam gravamina *Nationis Germanicæ*. Denique ex teſtimoniis ſupra allatis adhuc verum eſt, ea, que ſubſi-

ſiſtere videbantur, nihilominus malitioſe exaggerata, et ad invidiam Rom. Pontificis conflata fuiſſe, adeoque in quæſtione, quam tractamus, argumentum non efficere.

Similiter ſeipſum deſtruit tom. II. in Apolog. adverſ. 4. theolog. quando adducit Bzovium dicentem, quod *in iis* (gravaminibus) *nonnulla ſummæ æquitatis videri poterant.* Et Spondanus *non pauca contine-re haud rejicienda, quin potius audienda.* Anne hoc eſt ſeipſum defendere, aut adverſarios refutare, quando eis idipſum, quod petunt, conceditur. Fatemur, quosdam abuſus fuiſſe: igitur *nonnulla* æqua et audienda videri poterant. Sed eo ipſo, quod non omnia, ſed tantum *nonnulla* ita æqua viſa ſint, ſequitur, eas querelas nimium auctas fuiſſe; quin etiam hiſce nondum probatur, illa etiam nonnulla non nimis exaggerata, atque querelas *totius Nationis Germanicæ* fuiſſe, ita ut pro firmo argumento valeant, de quo hic quæritur. Haud gravat igitur nos argumentum Febronii *de centum gravaminibus*, idque eo minus, quod *centum* ſint.

Ex Germania Febronius mox in Galliam avolat, nempe ut ex toto orbe querelas contra abusus Romanos in unum colligat, atque majori ostentatione lectorem et numero et authoritate obruat: at infelici non minus facto. Citat Conventum Episcoporum Melodunensem Henrici Regis jussu habitum anno 1548. P. Sangallo hunc conventum confictum esse putat, quia nec Graveson, nec Spondanus in suis historiis et annalibus de hoc conventu eodem anno mentionem faciunt, et quia hoc anno Henricus Rex cum Pontifice vere pacifice et familiariter agebat, neque in epistolis eorundem eo tempore invicem missis quidquam querelarum deprehenditur. Nec ego de hoc conventu Melodunensi eo anno aliquid invenire potui. Stephanum Balluzium vero, quem citat Febronius jam ea, quibus Fagetus Petri de Marca cognatus in hujus vita illum accusat, in tantum reddunt suspectum, ut ei non omnem fidem præstare debeamus. Non legi, Febronium in suis posterioribus tomis hanc de Conventu Melodunensi falsi suspicionem a se amolitum fuisse. Vides iterum, qualiter gra-

graviſſimas accuſationes ſubleſtæ fidei documentis ſuſtentet?

Febronius denuo regreſſum facit in Germaniam; ibi ex Schelhornio conſultationem de Capitibus reformationis in Tridentina Synodo propoſitis, juſſu Ferdinandi I. Imp. inſtitutam expoſiturus. At Pallavicinus hiſt. Concil. Trident. lib. 17. Cap. 1. n. 6. oſtendit, legatos Concilii ad lectionem hujus voluminis vehementer commotos fuiſſe, atque Archiepiſcopo Pragenſi oſtendiſſe, quanta indignitate tum Concilii, tum Cæſaris volumen iſtud Conventui traderetur. Et revera ibi aliqua fieri memorantur cum certa ſcientia et voluntate Pontificis, quod falſum erat; ideo teſte Raynaldo Ferdinandus deſuper melius edoctus ſe apud legatos reverenter excuſavit, prout etiam Pallavicinus eod. lib. Cap. 5. adnotavit: quippe Cæſar inter alia reſcripſit, *ſibi in animo nunquam fuiſſe, Pontificem aut perſtringere. — — — Adumbrari quidem in eo libello aliquas Aulæ Romanæ correctiones, ſed ſuam mentem eſſe, æque ac legatorum, ut id Pontifex per ſeipſum præſtaret. — — Audiri a ſe, nonnullis di-*

 ſpli-

ſplicuiſſe, quod aliqua ibi proponerentur iisdem verbis, quibus utebantur hæretici: nihil ſibi ea de re compertum eſſe, utpote hæreticorum voluminum haud perito; ſed utcunque ea forent, ubi res haberentur pro malis, rejicerentur; ubi pro bonis, laticem non fontem eſſe conſiderandum. Ita tunc loquebatur Cæſar, ita cogitabatur de reformatione, quæ tum non minus fervebat, urgebaturque, certe magis neceſſaria fuit, quam hodie. Patet hinc etiam, in iisdem Capitibus quædam exaggerantius, immoderate, vel etiam minus vere dicta fuiſſe. Addit poſtea Ferdinandus, *ſe de aulæ Romanæ correctione non admodum ſollicitum eſſe, maxime quia cognoverat, id quod antea ignorabat, in id per ſummam induſtriam incumbere Pontificem.* Obteſtabatur dein legatos tantum de iis, quæ communem emendationem ſpectabant. Et tandem concludit Pallavicinus: *in hanc ſententiam Cæſar ad legatos ſcripſit, tum defenſione uſus, tum explicatione, ſed reipſa, quantum per Majeſtatem licebat, retracto.* Quare ex ipſo Ferdinando Cæſare diſcat, qualis et in quantum authoritas et fi-

fides hujus Confultationis Capitibus tribuenda fit. Adde, Cæfarem de facta Tridenti emendatione ita contentum fuiffe, ut tefte Raynaldo in fine Concilii ad Lunenfem Hifpaniæ Regis legatum fcriberet: *quod ad eam difciplinam attinet, quidquid propofueramus, aut proponere poteramus, cumulate confecuti fumus.*

Hactenus refpondimus ad documenta publica, quæ profert, vel talia effe exiftimat Febronius, horumque veritatem et authoritatem expendimus: alia a privatis dicta funt, de quibus fupra, quam immoderate vero, contumeliofe, et fæpe falfo, jam modo ex hactenus allatis fatis patet, præcipue dum allegati a Febronio authores ut plurimum Acatholici, vel de hærefi fufpecti, vel aliunde Pontificibus infenfiffimi funt, qui *boni piique viri*, prout eos vocitat Febronius, in hac cauffa neque teftes, multo minus judices effe poffunt.

 §. XIV.

§. XIV.

Summa Abusuum hodiedum in Ecclesia vigentium, qui forti indigent remedio. Illos quisquis sponte tolerat, summa injuria in Ecclesiam agit, nec potest salvare animam suam.

Genuini Canones extra usum et vigorem relinquuntur. Saluberrimæ Constitutiones anteriorum Pontificum et quædam Regulæ Cancellariæ ligant, donec pecunia solvantur. Laudabilibus consuetudinibus particularium Ecclesiarum derogatur promiscue et sine scrupulo. Prætendit Curia, Concordatis se non ligari. Captantur temporalia lucra ex usu clavium. Fiunt, et authorizantur Beneficiorum nundinationes. Annatæ tolluntur sine justo titulo, et exiguntur juxta enormem taxam, arbitrarie impositam. Pro confirmatione electionum et juribus Pallii levantur expensæ tam excessivæ, ut integræ Provinciæ summopere graventur, et fere depauperentur. Tanta necessitas petendorum Palliorum imponitur, ut sine illis Metropolitani ne quidem valeant, quod jure di-

vino possunt Episcopi eorum suffraganei. Impediuntur Episcopi in exercitio propriæ suæ jurisdictionis. Præveniuntur et arcentur in seligendis aptioribus Ministris ad servitia Ecclesiarum. Jura ordinariorum læduntur per exorbitantes exemptiones, et jura Parochorum per Privilegia Mendicantium. Caussæ etiam leves per appellationes trahuntur ad Curiam Romanam. Dispensationes in Beneficialibus et Matrimonialibus etc. conceduntur absque legitima caussa contra Canones. Dispensatur cum quovis petente super pluralitate Beneficiorum sine ratione. Approbantur Coadjutoriæ cum futura successione, sola intentione transmittendi Beneficium quasi hæreditarie. Præbendæ etiam exiles gravantur Pensionibus, non attento, an sub tali reservatione resignans egeat, aut quale meritum in Ecclesiam ei suffragetur. Spurii pro certa taxa indistincte legitimantur, atque habiles redduntur ad Beneficia et honores. Indulgentiæ indiscrete conceduntur sine motivo Canonico, quæ proin effectu carent et fructu, populo male deluso. Ligantur Episcopi per noxia juramen-

ta defendendi omnia Romanæ Sedis jura et privilegia, in quorum possessione invenitur.

Si quæratur 1. an revera hi omnes abusus hodie adhuc vigeant? 2. An damnandi sint? respondit Febronius paucis cum Guillielmo Lindano. *Multum cæcutiat, qui hæc non videt, et insanus sit, qui excusare videtur.*

1. Unius horum abusuum reus a noxa excusari vix posset; quod si tantorum? frustra provocatur ad Apostolicæ Sedis *summa Jura, Privilegia et consuetudines*, quæ Claudius Espencæus vir Pontificibus probatus *summas injurias, abusus et corruptelas* jure appellavit.

2. Si quis dicat, sine his Summam Sedem sustentari, et Primatum exerceri non posse, fidenter regerit Febronius, non licere facere malum, ut eveniat bonum: ex Deo non esse hanc Potestatis partem, quæ talibus mediis ad se sustinendum indiget, proin reformandam esse.

3. Præ-

3. Prætendunt Itali, Pontificem ex Cathedra loquentem errare non poſſe in quæſtionibus Juris tam *fidei* quam *morum.* Hic videmus, minus laudabiles mores circa res ſacras vigere in Curia Romana, nec tolerari ſolum, ſed et probari a ſummo Pontifice. Quis igitur in talibus morum Articulis declarandis multam fiduciam ponet in *ſolo* Papa et particulari ejus Eccleſia Romana, quando talia ab *univerſali* Synodo libera nunquam probabuntur?

4. Alvarus Pelagius Minorita ſummus Papæ adulator in libro *de Planctu Eccleſiæ* tetigit varias operis Febroniani materias, inferiores Eccleſiæ ſtatus acriter perſtringens, ſe vero et ſuas de Papa opiniones merito plangendas fecit. Idem eſt de Bellarmini libro *gemitus Columbæ* intitulato.

5. Sed inquis: durum eſt, de Prælatis talia ſentire. Reſpondet: utinam ipſi agnito errore talia de ſe ſentirent. Nam ut ait S. Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei. *Superbis eſt utile, cadere in aliquod apertum, manifeſtum peccatum, ut ſibi diſpliceant, qui*

ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim ſibi Petrus diſplicuit, quando flevit, quam cum ſibi placuit, quando præſumſit. Hinc ait Propheta: imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum Domine.

6. Inſtas: talia, etiamſi vera ſint, propalare probroſum eſt, et ſcandalum parit, ſecundum Auguſtinum Epiſt. 99. ad Januar. Cap. 19. Reſpondetur ſecundum regulam ab eodem S. Doctore alibi traditam: non ideo quod aliqui præpoſtere ſcandalizentur, a promovendo vero et communi bono abſtinendum eſt. Et S. Gregor. M. Hom. 7. ſuper Ezechiel. Ait: *ſi de veritate Scandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam ut veritas relinquatur.* Et S. Thomas 2. 2. quæſt. 43. art. 7. *propter nullum Scandalum quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate falſitatem docere.*

7. Si quæras ad hæc remedium: habebis aptum ex Caroli Barromæi oratione habita in Concilio primo Mediolanenſi: *morum diſciplinam facile reſtituemus, ſi qua ratione,*

tione, quibusve factis primum constituta, diuque conservata est, eandem nos in ea restituenda adhibebimus.

8. Proteſtatur author, quod mitioribus verbis uſus non ſit. Et cur non liceat, iisdem verbis proferre, quod graviſſimi viri eodem fine, ſed effectu nondum ſecuto dixerunt? quis eum cum veritate arguet, quod *de Romanæ Curiæ* abuſibus fortius locuti ſimus, quam id fecit Adrianus VI. in inſtructione ſuo legato Cheregato data, et delecti a Paulo III. Prælati? quare optato ſucceſſu nondum ſecuto non iterum proponantur?

9. De Marcello II. P. ſcribit Onuphrius: *poſt longum in prandio ſilentium recordatus aliquando ea Hadriani IV. verba: Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior, conditione ejus nulla miſerior, totius enim vitæ lætitia et felicitas amaritudo eſt: Cathedra Rom. Pontificis eſt ſpinoſa, iter undique conſertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robuſtiſſimos premat, et confringat humeros: manu menſam percutiens dixit: non video, quomodo qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvari poſ-*

possint. Quis corripuit Bernardum propter ea, quæ reprehendit in Eugenio III. Guilielmum durandum in Clemente V. Cardinalem Julianum in Eugenio IV. ?

Nota.

Habes lector hic in globo accusationis Capita, Aulæque Romanæ mala recensente Febronio, qui omnia stylo et verbis hæreticorum (qui tamen præeunte Febronio iterum hodiernus est) malitiose, ac impudenter proponit, quod supra contra centum gravamina Lutheranorum juste querebantur Scriptores Catholici. Nec advertit Febronius, non omnia in se et intrinsece mala esse, sed multa tantum ideo mala, quia prohibita, disciplinam, hujusque Canones variabiles esse, et ea omnia si revera mala essent, non solum Romanam, sed et aliorum Episcoporum Curias accusari, suggillarique, in quibus proportionatim iidem aliqui usus et consuetudines vident: hæ igitur non minus, quam Romana Curia ab injuriis vindicandæ forent. Dein ait, hos abusus

ufus omnes hodiedum in Romana Curia vigere: at quibus argumentis id probat? verbis Guilielmi Lindani; at Lindanus utique, qui fcripfit anno 1568., hodie non amplius vivit, ut de hodiernis abufibus teftis effe poffit? dum autem verba Lindani omnibus hodie adaptare, et cæcutire vult, fi ea non videant, quæ ipfe videt, et non accufent, quæ ipfe accufat, multum adhuc quæritur, an ipfe, fibique fimiles foli *fano oculo* videant, quamquam idipfum aliter videant, vel omnino non videant alii? igitur ad fingula objectionis Capita, etfi obiter tantum, defcendamus.

Genuini Canones extra ufum et vigorem relinquuntur. Nunquid de Canonibus difciplinaribus fermo eft? quis nefcit, aut ignorare poteft, difciplinam in Ecclefia variabilem effe? ergo et Canones? cum cauffa autem et jufta ratione variatam effe, non folum oftendi poteft, fed idipfum fufficienter probat confenfus et praxis Ecclefiæ, hanc modo difciplinam fequendo atque tenendo. Utique optandus foret antiquus ille rigor, fervor, Charitas etc. ac Canonum ob-

obſervantia: ſed ultra votum procede, veterem rigorem et Canones revoca, omnia in primævum ſtatum reſtitue; neque tu portabis amplius, et totus mundus tibi reſiſtet, qui modo delicatior factus nec faciliora, quæ adhuc reſidua ſunt, Eccleſiæ præcepta et onera libenter ſuffert, et inde exemptionem quærit. An non hoc eſt, pharifaice querulari? quid? ſi accuſatio hæc ſeria eſt, et pondus habet, repono: *genuini* et *vetuſtiſſimi Canones* de bonis Eccleſiaſticis, de adminiſtratione et exemptione eorum, de foro et cauſſis Eccleſiaſticis, et univerſim de diſciplina etiam exteriori, de his Canones Apoſtolici, Concilia generalia et particularia primorum ſeculorum leges dant, ſed modo *extra uſum et vigorem relinquuntur*, *vilipenduntur*, iisdem *contravenitur* ab iis, qui modo *ad genuinos et veteres Canones* provocant, et Eccleſiam atque hujus Miniſtros cum authoritate reformant. Qualis hæc contradictio? aut quis credat, rem ſerio et pro bono Eccleſiæ agi?

Conſtitutiones et quædam regulæ Cancellariæ utiles ligant, donec pecunia ſolvantur.

Sed

Sed non ligant, ut pecunia ſolvantur; imo hæc ſolvi debet, ut eo magis ligent, et minus legis ſolutio petatur. Pecunia autem ſolvitur in pœnam non obſervatæ legis, quamquam et rationabilis cauſſa ſolvendi legem adſit. D. Amort ad calcem tom. I de Element. Jur. Can. oſtendit, in pluribus Congregationibus, uti Epiſcoporum et Regularium, Rituum, S. Officii, Immunitatis Eccleſiaſticæ, in Secretaria Memorialium, in Pœnitentia, in Dataria propter Indulgentias et Ss. Reliquias expeditiones fieri *gratis.* Igitur avara hæc Curia Romana non ſemper et ubivis lucrum captat. Quod ſi inferioribus officialibus et Miniſtris quandoque aliquæ ſportulæ ſolvantur, id etiam in aliis Curiis fit, in quibus pariter nemo laborat gratis.

Laudabilibus Conſuetudinibus particularium Eccleſiarum ſine ſcrupulo derogatur. At non ſine neceſſitate vel ſufficienti cauſſa, quæ in Bullis et Reſcriptis manifeſtatur. In tali caſu et circumſtantiis autem ſimilibus conſuetudinibus a Papa derogari poſſe docent Theologi, et præprimis Franciſcus de Vargas tract.

de

de Authorit. Rom. Pont. Victor I. P. derogavit consuetudini Ecclesiarum totius Asiæ circa celebrationem Paschatis, quam illi Episcopi non modo laudabilem, sed et necessariam existimabant, tanquam in traditione Apostolica fundatam.

Prætendit Curia, concordatis se non ligari. Ubi probatio? hoc per se et simpliciter dictum falsissimum est: audiantur solum ipsi summi Pontifices Innocentius X. Clemens VII. Paulus V. Gregorius XIII. dein distinguatur inter *Potestatem* summi Pontificis, et *usum Potestatis*, prout monet Germaniæ Canonista D. Barthel Differt. general. de Concord. Cap. 3. Sect. 2. n 3. et 5. Ubi ait: *cum utilitas communis evidentissima, puta, si moderna disciplina in graves, communes et constantes abusus patenter degeneraret etc., aut extraordinaria gravissima flagitaret Ecclesiæ necessitas, ex Plenitudine Potestatis, dominante Charitate et Prudentia duce a summo Pontifice provideri posse, atque hoc sensu ejusdem Potestatem, generalem superintendentiam, et Imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi, primatus reservatum, per concor-*

cordata inabdicabile, vel potius ſub concordatis nunquam comprehenſum, coarctatumque fuiſſe, inficiari ego non auſim. Plenitudo enim Poteſtatis Pontificiæ ex jure divino reſpicit bonum commune Eccleſiæ: ergo quomodocunque paciſcatur ſummus Pontifex, non poteſt excludere hanc conditionem: niſi aliud exigat commune bonum Eccleſiæ: atque in ordine ad hoc ipſum condita, erectaque ſunt concordata: medium vero deſinit eſſe tale, dum evidenter fini intento adverſatur. Vides hic diſtingui inter *Poteſtatem* et *uſum Poteſtatis*, hunc in Pontifice ligari per concordata, Poteſtatem non ligari, atque in hoc ſenſu loquuntur, et intelligendi ſunt, vel potius combinari debent Pontifices et alii, qui dicunt ſe concordatis ligari, et alii ex adverſo ſe non ligari. Alia vero privatorum Authorum dicta hic non attenduntur, quos idem D. Barthel Diſſert. 2. Sect. 2. n. 3. etc., etiam a Febronio in Appendic. I. citatus, non ipſam Curiam perſtringit, dicens, eos Curiæ nimis favere velle. Dum vero Barthel l. c. ait, quod Rota Romana eam ſententiam, quaſi concordata Germaniæ ex mera benignitate

 Pon-

Pontificia proficifcantur, et non nifi Privilegium revocabile contineant, comprobaffe videatur in una Leod. Canonicat. 15. Martii anno 1610. iftud huc non pertinet; Febronius enim probandum fufcepit, atque probare debet, *hodie* adhuc illa gravamina et abufus fubfiftere, non quid ante centum et amplius annos actum, vel exiftimatum fuerit? nihilominus illud Rotæ Romanæ dictum intelligi poteft de Suprema Poteftate in fenfu fupra a Barthelio explicato, ficut et illud Benedicti XIV. Breve ad capit. Leod. anno 1741. intelligi debet, ubi expreffe ait, *fupremam Poteftatem per concordata non ligari.* Tandem reapfe et in fundo parum refert, fi concordata, feu potius id, quod per concordata conceditur, præcife et in abftracto ad Pontificiam Poteftatem fumpta dicantur Privilegium, atque in hoc fenfu dicantur, Papam non ligari, quando econtra per concordata et conventiones fecundum fe fpectatas jam non funt *merum Privilegium*, fed potius, ut ita dicam, *Privilegium pactitium*, quod modo etiam habet rationem contractus, quo in fenfu pluries con-

conteſtati ſunt Pontifices, ſe ea pacta violare nolle, nec iis ſine urgenti boni publici cauſſa et neceſſitate derogare, poſſe ac debere. Quippe in priori ſenſu ſolummodo ſalvatur *Poteſtas* Pontificis, de qua hic non eſt quæſtio, quæque per concordata adempta non fuit teſte D. Barthel, ſed *de uſu et exercitio Poteſtatis* ſermo eſt, quod per Concordata ligatum, reſtrictumque fuit. Quid ergo intereſt, ſi Italis concedatur per ſe ea poteſtas, quæ tamen in ſuo exercitio libera non eſt, et quando per Capitulationes Cæſareas, receſſus Imperii etc. probe cautum fuit, ſemperque ſtrenue invigilatur a Germanis, ne illa ultra limites Pacti ſe extendat, per quod illa opinio de Poteſtate Pontificis circa Concordata ad meram Subtilitatem ſcholaſticam redigitur, nec practicam habet utilitatem. Cæterum Papa etiam non ſemel derogavit, aut derogari permiſit in favorem Germanorum, uti Cap. V. §. 10. in Not. diximus; tum non accuſabatur de infractione, nec opponebatur, eum concordatis ligari.

Captantur lucra ex uſu Clavium. Num hodiedum? hoc tibi probandum reſtat. Extant plura Decreta Pontificum, quibus talia prohibentur, et ipſe Romæ foveri prætendit. Dein *lucrum temporale* vocat? lucrum ex venditione, commutatione capitur, atque in bonum et uſum lucrantis cedit: ſi quid pro diſpenſationibus etc. obtinetur, num *lucri cauſſa?* et in quem finem impenditur? equidem iſta ex ore hæreticorum loquitur, ſed videat quot ſibi adhuc probanda ſuperſint? quod ſi ulterior circa aliqua ſcrupulus inſideat, conſulat Curias Epiſcopales et eos, qui et ipſi Poteſtatis Clavium participes ſunt, hi ei reſpondere poterunt.

Fiunt, et authorizantur Beneficiorum nundinationes. Etiam hodie? et hoc ſciente et approbante Pontifice? calumniam hæc Febronii verba ſapiunt: quid aliis in Diæceſibus fiat, ignoro: attamen tales abuſus fieri vix credo, et ordinarii facile remedium afferre poſſunt, penes quos præprimis ſtat hiſce præcaveri. De Sede Apoſtolica notæ ſunt Bullæ, Conſtitutiones, queis omnes

Be-

Beneficiorum nundinationes et Simoniæ, quales utique *in Germania* olim plurimum in usu fuerunt, severissime prohibentur. Quid in hoc præstiterint a Gregorio VII. usque Romani Pontifices, et quas idcirco molestias incurrerint, nemo bene sanus ignorat. Et quia de hodiernis abusibus sermo est, legantur Benedicti XIV. Constitutiones 29. et 30ma in Bullario tom. 1., quæ adhuc in vigore sunt, et quibus prohibetur, atque irritum declaratur, uno actu vendere Beneficiorum redditus sub nomine utilitatis et commodi cessi, vel resignare Beneficium, reservata sibi, etiam cum facultate Sedis Apostolicæ, pensione annua, addito pacto, pensionem illam pecunia præsenti redimendi: similiter et aliæ Constitutiones Rom. Pontificum in hac materia emanatæ, quæ si non ubivis observantur, si alicubi adhuc Beneficiorum nundinationes fiunt, viderint illi, quorum interest, talia non admittere, Roma in culpa non erit. Vidimus nostro ævo Romæ damnatos simoniacos, atque a Beneficiis depulsos fuisse, et si Romæ tale quid impetratum fuit, certe ob - et subreptitie ob-

 ten-

tentum eſt. Et tu dicere audes: *authorizantur.* Profecto multa fiunt, quæ Roma penitus ignorat, et bene edocta nunquam approbabit.

Annatæ tolluntur ſine juſto titulo, et exiguntur juxta enormem taxam arbitrarie impoſitam. Utrumque falſiſſimum eſt, atque poſt Tridentinum et concordata Germaniæ, in quibus authorizantur, vimque Pacti obtinent, non tantum toti Eccleſiæ, ſed et præprimis Nationi Germanicæ injurioſum. Et quoad taxam conſtat omnibus, eam nec arbitrariam, nec enormem eſſe, ſed ad juſtæ mediocritatis terminos reductam. Sic D. Barthel de Concord. German. Diſſert. Prælim. Cap. 3. Sect. 3. ait: 1*mo. Non amplius, ut quondam, exiguntur fructus integri unius anni, nec pars dimidia, ſed quædam ſolummodo portio, in pecunia conſiſtens, juxta moderatam Cameræ Apoſtolicæ taxam, ita ut fortaſſis Annatæ quoad annuos proventus ſe habeant, ſicut unum ad quinque. V. g. Si Epiſcopales redditus ad* 100 *Florenorum millia aſcendant, forſan* 20 *Florenorum millia taxa erit.* 4*to. Ultro offertur retaxatio per Commiſſiones in par-*

partibus datas, si quæ excessive taxatæ forent Ecclesiæ, et deinceps pro qualitate rerum, temporum ac Regionum quidam se prægravatos existimarent. 5to. *Nullæ petuntur Annatæ, si beneficia valorem* 24 *Ducatorum de Camera non excedant, et hinc dignitates inferiores, et Canonicatus nostræ Germaniæ nullas Romanæ Sedi annatas solvunt hodie, eo quod omnes ad valorem* 24 *Ducatorum in Camera Apostolica taxati sint, etsi ad majorem multo summam verus eorum valor ascendat.* Et revera quinam sunt illi Canonicatus, quorum annui redditus sunt vix 24 Ducati et infra? et quot non sunt, qui aliquot Florenorum millia numerant? verum de Annatis plura inferius.

Pro Confirmationibus Electionum et Juribus Pallii levantur expensæ tam excessivæ, ut integræ Provinciæ summopere graventur, et fere depauperentur. Tanta necessitas petendorum Palliorum imponitur, ut sine illis Metropolitani nequidem valeant, quod jure divino possunt Episcopi eorum suffraganei. Nunquid de hodiernis abusibus sermo est? etiam Episcopi levant, et confirmant electiones Abbatum, et inferiorum dignitatum; in

 his

his taxæ quandoque ſat pingues ſunt, ut per eas facile reddantur indemnes: hi igitur tibi ſcrupulum ſolvent; nam et hi aculeis tuis pungi videntur. Quod autem de exceſſu queritur, hoc ex modo dictis, et mox dicendis non tantum nimium exaggerari, ſed et falſum eſſe oſtenditur. Si in magnis Archi-vel Epiſcopatibus integra Provincia non depauperatur (et certo non depauperatur) quando pro ſuſtentatione Epiſcopi vel Metropolitani 100, et ſæpius amplius millia Florenorum redditus annuatim penduntur, quomodo depauperabitur, ſi de his ipſis vix quinta pars, ſeu 20 millia, et ſemel tantum Romam mittuntur? ad hæc iterum te rubore ſuffundat, falſitatisque convincat hodiernus Canoniſta D. Barthel Diſſert. de Pallio, ubi Cap. 11. poſtquam præſtiones Palii, quas *abuſive Pallii redemptionem* appellari dicit, ſicut et Annatas ab omni Simoniæ ſpecie vindicavit, num. 19. ſic diſcurrit: *quæſtus equidem et abuſus, et exceſſus adminiſtrorum vitio (ut fert humana conditio maxime in ampliſſimis Curiis, et in tanta officialium multitudine) in ejusmodi Conceſſionum et gra-*

tia-

tiarum Apostolicarum indulgentia et litterarum expeditione irrepsisse, et rursus repullulasse etiam in materia Pallii, et ulterius succrescere posse, non negatur. Sed hæc in summorum Pontificum invidiam detorqueri non debent. Eosdem enimvero ejusmodi abusibus, quantum humanitus fieri potuit, et potest, præcavendis, nunquam non intentos fuisse et fore, ex tot veterum Pontificum litteris et Successorum Constitutionibus superabunde liquet. Gravissimas desuper editas ordinationes a Martino V. Eugenio IV. aliisque Romanis Pontificibus a quinterno Cancellariæ extractas et impressas reperire est apud Ciambin. de orig. abbreviat. pag. 9. *et pluribus subsequentibus, quæ omnia a Joanne XXII., ejusque Successoribus Nicolao V. Innocentio VIII. aliisque jam antea statuta, vel postea confirmata Regulis Cancellariæ inserta sunt, ex quibus Regula 67. continent sequentia.* „Item idem Dominus noster exactionibus, quas Sanctitas sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per „officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis „sibi emolumentis pro exercitio officiorum,

„ quæ obtinent, non contenti, ultra a pro-
„ ſequentibus negotiorum quorumdam ex-
„ peditionem in eadem Curia exigere non
„ verentur, obviare volens, diſtricte præci-
„ piendo inhibuit omnibus et ſingulis quæ-
„ vis officia in eadem Curia obtinentibus, ne
„ de cætero quidquam prætextu officiorum,
„ quæ obtinent, quovis colore, etiam cele-
„ rioris, expeditionis, ultra emolumenta
„ hujuſmodi exigere, ſeu ad hunc effectum
„ expeditionem eorum, quæ eis incumbunt,
„ malitioſe differre, ſub excommunicatio-
„ nis et præter illam ſuſpenſionis a perceptio-
„ ne emolumentorum hujusmodi pro prima
„ ad Semeſtre, et pro ſecunda ad annum,
„ et pro tertia vicibus, quibus ſic excede-
„ rent, privationis officiorum per eos ob-
„ tentorum, in quibus ſic exceſſerint, pœ-
„ nis. Ac voluit, quod S. R E. Vice-Can-
„ cellarius et Camerarius excedentes ipſos
„ reſpective, prout ei ſubſunt, per ſubtra-
„ ctionem emolumentorum eorundem, ac
„ alias, ut præfertur, compellat ab hujus-
„ modi illicitis exactionibus abſtinere, ac
„ contra eos per prædictas pœnas et alias,
„ prout melius expedire viderint, procedant.

XX. *Porro ſicut hæ Burſales præſtationes et Cancellariæ taxæ in conceſſione Pallii ex vero ſuo et a ſummis Pontificibus intento titulo nullam Simoniacam referunt mercaturam, ita neque æquos moderationis terminos excedunt, ſed veluti tot temporum, et communi Nationum Catholicarum praxi probatæ in moderationis juſtæ ſunt poſſeſſione; nec illa* NB. *Viginti quinque millia pro Pallii redemptione, quæ paſſim per ora non bene ſentientium, nec recte loquentium volitant, calamisque expreſſa frequenter notantur, non conceſſionem Pallii ſolitariam, ſed annatis conjunctam, et quidem non niſi in una, alterove potentiori Archi-Epiſcopatu important. Cæterum referente et teſtante Wagnerek* de Exegeſi §. 4. *Annatæ, quæ unius duntaxat et primi anni fructus ſunt, ſe habent ut unum ad quinque, proin nec fructus integri unius anni, neque dimidia, ſed horum ſolummodo pars juxta modo dictam moderatam Cameræ Apoſtolicæ taxam de Archi- et Epiſcopatibus Germaniæ ſolvenda eſt, nihil memorando, quod in Concordatis Germaniæ, ſi taxa hæc pro qualitate circumſtantiarum exceſſiva ju-*

judicetur, relaxatio per Commissarios in partibus oblata et promissa sit, et quod de reliquis inferioribus dignitatibus, quæ Consistoriales non sunt, cæterisque itidem Canonicatibus et Beneficiis nullæ in Germania solvantur Annatæ.

XXI. *Cæteroquin ea, quæ in Novellis de excessivæ taxæ solutione pro concessione Pallii Herbipolensis malevole sparsa sunt, aperte repugnant veritati; cum pro expeditione litterarum Juris perpetui, Pallium gestandi, et crucem Archi-Episcopalem præferre faciendi, item actualis ejusdem Pallii concessionis, aliisque expensis necessariis summa secundum computos debite subscriptos et subsignatos ultra sexcenta scuta monetæ Romanæ non excurrerit. Porro uti certa fides habetur, pro erectione novi Episcopatus Fuldensis nullum Annatarum Auctuarium supervenerit.* Num. sequenti ait, *Pallii solutionem* interdum vel in totum vel in partem condonari. Idem author l. c. Cap. 4. de Pallio num. 3. ait, jam ante S. Gregorii M. tempora missi Pallii finem fuisse, *ut electio et ordinatio Antistitis confirmaretur; unde hujus*

jus quasi sigillum et munimen a Thomassino recte nuncupari. *De quo Gregorius M.* Epist. 48. lib. 4. ad Episcopum primæ Justinianæ *ita habet: ratam nos ejus consecrationem habere, dirigentes Pallium indicamus.* Et lib. 5. Epist. 47. *scribit, se Pallium Joanni Corinth. Episcopo transmittere, ut rata ejus consecratio habeatur.* Dein addit similes formulas in lib. diurno Rom. Pontif. a Garnerio edito reperiri. Cap. 10. n. 2. ait, *necessitatem a functionibus Pontificalibus ante receptum Pallium abstinendi a veneranda antiquitate plane non abhorrere* quod itidem ex supra adducto exemplo Gregorii M. atque ex ejus lib. 1. Epist. 27. ad Sebastian. Phizinensem pro Anastasio Patriarcha Antiocheno probat, nec Patriarchis nec Metropolitis in Oriente fas fuisse, Pontificales functiones exercere sine Pallio, saltem quorum ordinatio ad Rom. Pontificem spectabat. Ex his patet, hodiernos Ecclesiasticorum, et sacræ disciplinæ Aristarchos multa blasphemare, quæ ignorant.

Prosequitur num. 3. Barthelius, verisimillimum esse, quod ii Metropolitæ, quorum ordi-

dinatio a Rom. Pontifice non fiebat, morem antiquum reflectentes, et Pallium contemplati, velut præcipuum ordinis sui decus, et insigne Plenitudinis, et apicem consummatæ Potestatis, quæ Metropolitanis propria est, sponte abstinuisse Pontificalibus muniis, donec illud recepissent: *atque ita ex inolita consuetudine legem sibi ipsis condiderint.* Denique consuetudinem hanc subin lege firmatam ostendit ulterius ex Nicolao I. Cap. 73. ad Consulta Bulgarorum, ex authoritate Can. 17. Concilii VIII. æcumenici sub Adriano II. et ex Joanne VIII. P. Epist. 113. ad Archiepisc. Arelat. postremo pariter immodicæ quorumdam modernorum crises in hoc opusculo de Pallio a doctissimo D. Barthel egregie vel præoccupantur, aut refutantur.

Qua de caussa Febronius pretiosa hæc Barthelii monumenta omisit, dum tamen ex hoc authore integram appendicem I. collegit? nempe quæ in rem suam videbantur, truncatim exscripsit, quæ non videbantur, quibus refutabantur, falsitatisque arguitur, studiose tacuit. Sed jam ejus falsissimæ accusationi et querelæ hisce plene satisfactum iri confidio.

De Jurisdictione Episcoporum, de reservationibus, exemptionibus, Privilegiis dicemus inferius Cap. seq. de appellationibus dictum fuit Cap. V. et supra.

Dispensationes in Beneficialibus et Matrimonialibus, aliisque conceduntur absque legitima caussa, directe contra Canones. Dispensatur super pluralitate Beneficiorum cum quovis petente, sine consideratione meriti aut alterius rationis Canonicæ.

De *Potestate dispensandi* hic non quæritur, de qua jam supra Cap. V. mentionem fecimus; Petro enim singulariter dictum fuit, *quodcunque solveris super terram, quodcunque ligaveris.* Ex similibus verbis ad omnes Apostolos prolatis adversarii dispensandi Potestatem pro omnibus Episcopis probant, quidni et principalius et singularius pro Petro valebunt? in primis Ecclesiæ seculis tot extant exempla, in quibus Romani Pontifices tum in oriente, tum in occidente Ecclesiæ temperabant, atque in iis dispensabant, ut jam de Potestate inane so-

foret, amplius indagare. De abusibus ergo querela proponitur.

In Dispensationibus abusus sæpe fuisse, et adhuc esse, assentior, atque illam D. Bernardi regulam lib. 5. de Consider., sive dein dispensationes ab Episcopis, sive a Papa fiant, ultro amplector: *ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria.* Dico etiam cum eodem S. Patre, dispensationem frivolam, legitima caussa destitutam *crudelem dissipationem esse.* Sed jam *de facto* quæstio est. Summos Pontifices hodie sine justa caussa in legibus Ecclesiæ dispensare non credo, et aientis est probare: igitur Febronius hodierna exempla ostendat, taliter dispensatum fuisse. Aliud quippe est, caussam revera non subsistere, aliud sine caussa dispensari. Primum quandoque verum erit, alterum verum esse, confidenter pernego cum ipso supra cit. D. Bernardo Epist. 7. Ad Adamum, quem dispensationem aliquam subreptitie obtinuisse perhibens, ait: *nunquid ideo aut malum esse desiit, vel minoratum est,*

eſt, quia Papa conceſſit? quis vero malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo? quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequaquam crediderim, niſi autcircumventum mendacio, aut importunitate victum. Nam

1*mo.* conſtat, diſpenſationes quandoque ſub- et obreptitie impetrari, quas fraudes multoties in ſuis Conſtitutionibus deteſtantur ſummi Pontifices, et ideo in ſuis Brevibus ordinarie apponunt illa verba: *ſi preces veritate nitantur*, et ſecus ſuam diſpenſationem nullam vim et effectum habere volunt. 2. Cauſſam, ob quam petitur diſpenſatio, exprimunt. 3. Quando etiam cauſſa tacetur, vel non omnis exprimitur, ſed ex certa ſcientia et motivo diſpenſatur, non ideo diſpenſatio cenſeri poteſt frivola aut ſine legitima cauſſa; nam præter allegatas cauſſas, etſi hæ ſufficientes non eſſent, multa adhuc, quæ alios latent, vel propalare non expedit, movere poſſunt Principis animum ad gratiam alicui concedendam, uti ſunt compenſare magna merita, majora mala præcavere, et alia, quæ vel hominum vel temporum iniquitas ſæpe facit neceſſaria.

Interim privatorum non est, dispensantis summi legislatoris animum et motiva expiscari, neque hic necesse habet, multo minus sæpe expedit ea in publico manifestare. 4. Petentes dispensationem quandoque intercessione Potentum Patronorum fulciuntur, quorum preces sæpe minæ sunt, et habemus exempla, quantas molestias non solum ferre debuerint Romani Pontifices, sed quæ perturbationes etiam in Ecclesia secutæ fuerint, quando illi in vota Principum vel inflexibiles vel tardiores se præbebant. Ex his patet, quid timendum sit Episcopis, si dispensandi facultas in Canonibus et legibus communibus Ecclesiæ in eorum manibus relinquatur, quando et ipsi Pontifices importunitati, molestiis, minis Potentum vix resistere potuerunt, et quando hi modo jam non amplius petunt, sed jubent, et imperant? ob similes caussas vidimus in Conciliis Lateranensibus ab Episcopis reservationem summi Pontificis circa dispensationes in articulis reformationis libenter amplexam fuisse, quia impares se sentiebant resistendi importunitatibus et Potentiæ, dispensationes petentium.

5. Quod

5. Quod ad informationem pertinet, in bene ordinatis diœcesibus petitio prius ad Episcopum vel ejus Vicarium dirigi debet, atque ab hoc Romam mittitur. Quid Pontifex ultra requirat? an non illius est inquirere, utrum caussa vere subsistat? et ille non minus scit, qua ex caussa Romæ dispensetur. In aliis saltem a Parocho petentis, vel ejus Confessario petitio subscribi debet, cujus propterea conscientia aggravatur. 6. Etiam Episcopi in multis dispensant, qui tamen pro informatione propriores sunt suis subditis, nihilominus tales dispensationes non raro sub - vel obreptitie impetrantur. Quis idcirco Episcopos accusabit? 7. Quod dispensationem super pluralitate Beneficiorum attinet, præter mox dicta adhuc amplius respondebunt Febronio Episcopi, Majores et Cathedrales Ecclesiæ, item Nobiles Germaniæ, quos omnes ejus crisis petit. Certe inter singulariter offendit; quod tom. 2. pag. mihi 62. de Archi-Metropoli Coloniensi adversarius proponit: *non decipitur summus Pontifex, sed seipsum et alios decipit, quando cum iis, qui singulari erga Ecclesiam merito*

præditi non sunt, absque informatione — — dispensat super pluralitate Beneficiorum. Neque hanc gratiam salvat clausula litteris his dispensatoriis inseri solita : dummodo nulla harum Ecclesiarum debito per hoc frustretur obsequio. *Qualis circa hæc sit practica, omnium optime noverunt Ubio - Colonienses, in ea urbe, in qua sunt et ultra Canonicorum Collegia, sic dispensati eunt in una Ecclesia ad Matutinum, in Altera ad summum Sacrum, in tertia frequentant vesperas; Missarum et reliqua Chori officia per substitutos erga levem retributiouem persolvi faciunt. Hoc scit Pontifex, vel saltem per suum eadem in urbe residentem Nuntium facile scire potest. Atque ita ambitioni et improbæ redituum Ecclesiasticorum congerendorum cupiditati panditur via.* Ad hæc et similia respondeant Febronio Colonienses, aliique.

Interim ad ejus, quandoque exorbitantes querelas, invectivas etc., quas ubertim ex Petro Alliacensi, Jacobo Regio, Paulo Langio, Claudio Espencæo, Francisco Duareno etc. etc., quin et documentis publicis sæpe repetit, ut lectoris animum ad invidiam

et

et contemptum Romanæ Curiæ, summorumque Pontificum firmius propellat, ad hæc, inquam, omnia sumatim dico, circa dispensationes hactenus non defuisse abusus; at modo de hoc quæri, quisnam potior in caussa horum abusuum sit, et cuinam magis imputari debeant? videmus, in Germania plurimum præsertim ob pluralitatem Beneficiorum querelas motas fuisse; at videmus etiam in Germania in his plurimum dispensari. Quorum impulsu? qua de caussa? nempe Germania multos Potentes numerat; Nobilitas est, quæ ibi et pinguiora et ampliora Beneficia ac dignitates possidet; post defectionem ad Lutheri Calvinique Sacra conservatio Catholicæ Nobilitatis in Germania pro novo motivo conservandæ Religionis Catholicæ haberi, urgerique cæpit. Si ita est: quid desuper queritur? in hoc rerum situ an non ipsi Germani per has querelas et objurgationes sibi injuriam fieri existimabunt?

Porro in hoc adeo difficilis non sum, Pontifices aliquando in dispensando faciliores fuisse; nego tamen absolute, sine debita caussa, hodie præsertim, Romæ unquam di-

 spen-

ſpenſari. Equidem graviſſimum hoc accuſationis caput non ſolum præſumi, ſed authentice probari debet. Quis enim credat, tot doctos, probosque ſummos Pontifices et Cardinales, quales utique hodie ſunt, fueruntque, in tantum Conſcientias ſuas ſine ſcrupulo, ſine modo aggravare, et adeo ſtudioſe malitioſos eſſe, ut paſſim et in facie Eccleſiæ absque legitima cauſſa diſpenſent, quando et ipſi maximi Curiæ Romanæ Patroni docent, tales diſpenſationes graviter illicitas eſſe? utique ipſi Romani Pontifices in ſuis Bullis, Conſtitutionibus omnes diſpenſationes, quæ ſine legitima cauſſa, item ob- vel ſubreptitie obtinentur, toties prohibent, nullas, irritas eſſe declarant: ipſi in hunc finem conſcientias oratorum ſeu petentium aggravant, ſuas diſpenſationes expreſſis clauſulis, *ſi preces veritate nitantur*, *ſi nulla ob- vel ſubreptio ſubſit etc.*, caute ac ſerio præmuniunt, et ſi tales fuiſſe deprehendunt, tollunt, annullantque. Quid de provido legislatore ultra requiritur? hinc pronum eſt ſequi, culpam, ſi quæ intercedat, non in diſpenſantem, qui optima fide

pro-

procedit, ſed in petentem, præſertim ſi Magnorum Patrocinio juvetur, recidere.

Si dicatur, diſpenſationes ſaltem *raro* fieri debere. Reſpondeo, optandum eſſe, ut Germani legum Eccleſiaſticarum obſervantiores eſſent, *rariusque* peterent. Interim proferant Romani ſuas tabulas, et facile oſtendent, cauſſas, ob quas legitime diſpenſatur, *raras* non fuiſſe, ſive dein vere ſive ficte a petentibus allegatæ fuerint, adeoque juſtas diſpenſandi cauſſas non defuiſſe. Taceo, quod ſupra dixi, ſummum Pontificem, præter allegatas cauſſas aliis adhuc motivis ad diſpenſandum inclinari poſſe, quæ ipſe propalare neceſſe non habet, quod utique norunt illi, quibus cura boni publici et totius incumbit.

Febronius *de abuſibus, hodiedum adhuc in Eccleſia vigentibus* loquitur: hoc argumentum ut ſuſtineat, tom. II. *in Judicio academ. Colonienſ. reformato.* lepidam hiſtoriunculam (nam et his delectatur, ſæpe argumentum inde conficit, a facto particulari ad praxin univerſalem concludens) ex Jacobo de Vitriaco adfert, quod ad preces

 et

et intercessiones Principum attinet. Solum prænoto, eum, ut nos de *hodiernis abusibus* edoceat, ad factum singulare, quod ante tria et amplius secula contigit, reducere. Narrat autem, Carolum VII. Galliæ Regem ab Eugenio IV. impetrasse, ut Juvenis ante annos legitimos Metropolitanæ Ecclesiæ præficeretur, postea vero factum damnasse, atque cuidam dicenti, *intercessisti o Rex!* dixisse: *intercessi rogatus, sed non credidi, concessum iri.* Videmus hic, magnos Principes precibus, quas spernere non possunt, quandoque non audent, sæpe premi, Pontificem Potentis Regis votis inclinari: sed profecto non tam levitatis Eugenius Papa, quam Rex inconstantiæ accusari debet. Cessit votis et postulationi magni Regis Papa, atque ad id forte longe aliis adhuc motivis inductus: seriam autem tunc saltem Regis postulationem fuisse, ne quidem dubitari potest, nisi quis credere mavult, Regem in re magni momenti cum Pontifice tantum nugari voluisse.

De reliquo pro certo habeo, Romæ, atque in Curiis Episcoporum rariores fieri

di-

dispensationes, si 1mo. Preces et Patrocinia Magnatum, sive Ecclesiastici, sive seculares hi sint, omnino absint, nec admittantur. 2. Si caussæ non nisi prius ab Episcopo loci bene examinatæ Romam mittantur. 3. Si caussæ, in quibus etiam dispensant Episcopi, ad Theologos et Canonistas impartiales, non qui ad vota Principum cum assentatione deflectunt, aut hodie principiis Pseudo-Theologiæ imbuti sunt, sed qui ex genuina Canonum et disciplinæ Ecclesiasticæ æconomia decidunt, pro consilio, et quidem secreto ac tecto nomine oratorum, examinandæ deferantur. Sed jam ad alia

Approbantur Coadjutoriæ cum futura successione, sola intentione transmittendi Beneficium hæreditarie. De hoc tu Principes et Episcopos, non Papam interroga, aut accusa. Meum non est rimari omnia, atque de iis responsum dare.

Præbendæ etiam exiles gravantur pensionibus. His iterum potissimum Episcoporum Curiæ taxantur, et dum purgare vult omnia,

merito omnium odium incurrit, ſolis placiturus Politicis atque hæreticis: habebunt illæ nihilominus, quæ reſpondeant: in immenſum mihi excurrere non vacat.

Spurii pro certa taxa indiſtincte legitimantur etc. Quot *hodie* exempla producit? etiam Comites Palatini, uti vocantur, non ſine taxa legitimant ſpurios, atque in hoc hactenus nihil mali deprehenſum fuit. Ceſſet obſtaculum taxæ, et ſeculares mox omnes ſpurios in Eccleſiam ad beneficia et dignitates intrudent.

Indulgentiæ conceduntur ſine diſcretione, ſine motivo Canonico etc. De Indulgentiis quidam, Novitii præſertim Theologi, tam inepte ratiocinantur, ut totum rei caput in eo abſolvant, quod indulgentiæ in locum Pænitentiæ publicæ in tantum ſucceſſerint, ut nunc e. g. centum annorum indulgentiæ tantum ſuppleant, quantum olim per 100 annos in Pœnitentia publica fuiſſet expiandum, quod dein multa eruditionis oſtentatione exponunt. At taliter

ipſa

ipſa diſciplina Pœnitentiæ Canonicæ ad meram tantummodo cæremoniam externam redigitur. Id nuper aliquem in celebri quadam Cathedrali Civitate occaſione Indulgentiarum a. P. P. Cappucinorum Generali elargitarum feciſſe, pagellæ ad noſtras uſque terras emiſſæ teſtantur; ſed et harum author, et qui eas primo refutare contendit, uterque graviſſimum ſcandalum evitare nunquam poterunt: primum quidem, quod petulanter, mimice P. Generalem, materiam indulgentiarum, et ſummos antiſtites in ſcenam produxerit, et hos, et omnium piorum aures offendendo; alter vero, quod cauſſam male et miſere defenderit, nihil enim pejus eſt, quam bonam cauſſam male defendere, quod fere idem eſt, ac veritatem proſtituere, et inde adverſario triumphandi occaſio præbetur.

Interim de hiſtoria, mutatione ac ceſſatione illius diſciplinæ de Pœnitentia Canonica non ambigitur, quæ in oriente jam ante omnes Iſidori decretales primum ceſſavit circa finem ſeculi IV. ſub Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, et dein ſeculo VI.

ſub

ſub Joanne Jejunatore ibi omnino extincta eſt. Inſuper apud omnes in confeſſo eſt, illas Pœnitentias Canonicas non modo fuiſſe pænam, ſed et medicinam ſalutarem, qua reus a ſuo peccato reſipiſcere, et alii a peccando abſterreri potuerint.

Sed jam in hoc cardo rei vertitur, utrum non ſolum per Pœnitentiam veterem Canonicam, ſed etiam per remiſſionem alicujus partis ejusdem Pœnitentiæ authoritate Epiſcopi factam, adeoque etiam per modernas Indulgentias, quæ variata diſciplina in hujus locum ſucceſſerant, poſt culpam deletam etiam remittattur pœna temporalis adhuc luenda in hac vel altera vita?

Quod ſi Pœnitentia vetus ſpectetur tantum ut diſciplina et cæremonia exterior Eccleſiæ, quæ interius nullum certum effectum producit, ſequeretur, idem dicendum eſſe de ſuccedentibus ex poſt indulgentiis.

At vero quando Epiſcopi Pœnitentibus ſive ad preces Martyrum, ſive alias partem Pœnitentiæ per impoſitionem manuum condo-

donabant, non solum illa Pœnitentia exterior, ab Ecclesia per Canones statuta, sed etiam pœna temporalis residua coram Deo adhuc luenda remittebatur virtute Potestatis Clavium juxta verbum Christi: *quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis*: igitur et per indulgentias, quæ per novam disciplinam Pœnitentiæ publicæ successerant; idque dogma Catholicum est, quamvis ad hunc scopulum hodierni Scioli, ad eruditionem magis, quam ad solidam Theologiæ doctrinam edocti gravius impingant. Brevitatis caussa unicum in hunc finem sisto Theologum, et quidm Gallum, D. Habertum, qui *tract. de Pœnitentia Cap.* 5. *de Indulgent. quæst.* 4. ita habet: *extatne in Ecclesia Potestas dispensandi illum thesaurum, et ex illo concedendi Indulgentias? Respondeo: de fide est extare.* Probat dein hoc ex Conciliis Constantiensi Sess. 15. Tridentino Sess. 25. Scriptura Math. 18. et 2 ad Corinth. 2. ex Traditione apud Cyprianum lib. 4. Cap. 1. ad Cornelium Papam et Epist. 13. ad eundem. Postea quæstionem ponit: *Remittunturne per Indulgentias pœnæ*

tem-

temporales Justitiæ Divinæ debitæ, et in futuro seculo luendæ? R. remittuntur. Citat iterum locum Math. 18. Bullam Leonis X. contra Lutherum et S. Thomam in Supplement. quæst. 25. art. 1.

Profecto D. Paulus hac Potestate usus incestuoso Corinthio partem pœnarum remisit, utique non Pœnitentiæ Canonicæ, quia tunc Ecclesia tales Canones nondum habuit, sed pœnæ, quæ adhuc residua pro peccato, et coram Deo luenda erat: neque etiam remisit nomine Ecclesiæ, quamvis ad preces Corinthiorum, sed *in Persona Christi* et hujus authoritate; quod ad Potestatem Clavium pertinet. Hæc ergo Potestas semper in Ecclesia fuit, et exercebatur, etiam priusquam Canones Pœnitentiales conditi erant, et quando tempore persecutionum pœnitentiam publicam agere non poterant Christiani, nihilominus ista pœnarum remissio et indulgentia concessa fuit.

Igitur si accurate loqui volumus, non ipsæ hodiernæ Indulgentiæ, sed opera ad lucrandam indulgentiam tum a Confessario, tum

tum a Concedente Indulgentias præſcripta Canonicæ Pœnitentiæ publicæ ſucceſſerunt, et hoc a Seculo IV. in oriente, in occidente autem a Seculo VIII., ubi pœnitentiæ ſecreto peragi cœperunt. Ipſa vero Indulgentia et remiſſio, quæ in Poteſtate Clavium continetur, ſucceſſionem non habuit, ſed eadem ſemper fuit, atque hoc tantum intererat, ut Epiſcopi non modo Pœnitentiam, ſed et pœnam ad hanc vel illam conditionem, pro ratione diſciplinæ, quæ in uſu erat, per modum abſolutionis remitterent. Sed non vacat de his diſſertationem ſcribere contra eos, qui quantacunque eruditione pollent, in his tamen minus perite loquuntur.

Jam ad accuſationem Febronii reſpondeo; circa modernas Indulgentias hodiedum abuſus exiſtere, non diffiteor: attamen de his proportionatim ut ſupra de Diſpenſationibus diſcurrendum venit. Non in concedentem, ſed in petentes culpa quam maxime refunditur. Obtendunt hi magnum concurſum, frequentiam, Deſiderium, Devotionem Populi, celebritatem loci aut feſti

ſti etc. jam ob frequentationem Sacramentorum, ob comunes Populi preces pro Pace inter Chriſtianos Principes, pro extirpatione hæreſum, pro pace, unitate, et exaltatione S. Matris Eccleſiæ, ob augendam Populi Devotionem a diſpenſante et concedente Rom. Pontifice ingens utilitas, et Bonum in Eccleſiam redundaturum fore creditur. At hic concurſus, hæc celebritas ſenſim deficere incipiunt: fit in eadem vel ſaltem propinqua Eccleſia novus concurſus, nova celebritas; iterum Indulgentiæ petuntur, priſtinæ non amplius attenduntur, et vix non deſpectui habentur, quia flexibili hominum ingenio nova ſemper magis arrident, ſicque obruimur Indulgentiis, quæ tandem ſine fructu relinquuntur, non quod iſto careant, et ita Populus deludatur, ut ait Febronius, ſed quod ob nimietatem ille non amplius appetatur, et ob novas ſupervenientes indulgentias priſtinæ non attendantur, quia rarum non eſt, ut in majori aliqua Civitate, ubi plures exiſtunt Eccleſiæ, quis ſingulis diebus Dominicis et feſtis per annum Ingulgentias plenarias lucrari poſſit, ſed pauciſſimi

mi sunt, qui tanta devotione et desiderio eas lucrandi flagrant.

Optandum igitur foret, ut Decretum Concilii Tridentini de Indulgentiis Sess. 25. de reform. in fin. in omnibus Dioecesibus præ oculis habeatur, quod ita statuit: *cum Potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi Potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, Christiano Populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et præcipit, eosque Anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his conse-*

quendis, unde plurima in Christiano Populo abusuum caussa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum et Provinciarum, apud quos hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi: mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti statim ad summum Romanum Pontificem deferantur: cujus authoritate et Prudentia, quod universali Ecclesiæ expediet, statuatur, ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. Fuere Rom. Pontifices, qui pene omnes Indulgentias revocarunt, sed rursus per importunitatem petentium in ingentem numerum excreverunt. Stat igitur penes Episcopos, ut absque eorum præscitu non novæ promulgentur, pristinæ, quæ non amplius, vel vix frequentantur, iterum revocentur, aut cessent, ea tamen cautela adhibita, ut usus et frequen-

tatio

tatio Sacramentorum, communes preces pro Ecclesia, præsertim perniciosissimo hoc ævo, non nimium minuantur, aut deficiant.

Ligantur Episcopi per noxia juramenta defendendi omnia Romanæ Sedis jura ac Privilegia etc. ?

Sæpe laudatus Barthelius *opusc. de Pallio Cap.* 11. postquam præmonuerat, fundamentale Systema Ecclesiæ Catholicæ consistere in unione particularium Ecclesiarum per orbem diffusarum, et Pastorum præsertim primariorum comunione cum Rom. Pontifice, ostendit, Rom. Pontifices semper ad conservandam vel restaurandam hanc unionem jugiter invigilasse, solicitos de adinveniendis in hunc finem remediis, quibus accenseantur Vicariorum Apostolicorum institutio, et Pallii concessio. Quare laudat S. Bonifacium Germaniæ Apostolum n. 4. dicens: *noverat S. Bonifacius hac edoctus experientia, quantum e re Ecclesiæ sit pro fidei custodia et Canonum observantia, Episcopos Sedi Apostolicæ arctius adhærere, — — — ut collapsam restitueret disciplinam,*

ab instauratione unionis cum Rom. Pontifice initium melioris spei ducendum esse existimavit, ad quam innovandam Concilium celebravit, a quo illud emanavit decretum, ut a Pontifice Romano Pallium postularetur, eique protinus desponderetur promptissima et expeditissima obedientia, quæcunque Sedes Apostolica præcepisset. Dein Num. V. *unde inane prorsus commentum est nulloque nixum fundamento, Pallium tanquam juris novi tendiculam inventum fuisse, quatenus ex callida et abstrusa dominandi libidine veluti novum indignæ et indecoræ servitutis jugum a Romanis Pontificibus cæteris Metropolitanis imponeretur. Pallium unionis Hierarchicæ et subordinationis Canonicæ signum et tessera est: sed hæc servitus fundamentali instituti Divinitus Ecclesiastici Regiminis Systemati conjuncta et agnata est, et sicuti modo dictum Regimen Hierarchicum non dominativum et despoticum, ita hæc servitus non dura et servilis, sed magis filialis est, et rationabile obsequium. Sua est et Regum Majestati conjuncta, agnataque Servitus: suæ Diademati, quamvis aureæ catenæ sunt.*

Post-

Poſtquam vero Num. VI. dixerat, *prætenſam hanc novam Pallii ſervitutem antiquiorem eſſe, quam ut dicteriis et criminationi patere poſſit*, cujus originem aliqui omnino ad initia naſcentis Eccleſiæ referunt, S. Bonifacium, quem aliqui noviter in hoc puncto indigniſſime criminantur, ita defendit: *Certe S. Bonifacius Diſciplinæ Pallii inſignis Promotor, qui in Epiſcopos Galliæ poteſtatem nullam acceperat, in gratiam Pontificis ex dominandi libidine agentis vim adhibere, vel fraudem facere Concilio Nationali minime poterat, quo Regni optimates et Principes eodem ſimul tempore, eadem in urbe cum Epiſcopis convenerant, qui novo huic, ut jam prætenditur, et indigno jugo aſſenſi minime fuiſſent: et Carolomannus Francorum Dux, quo rogante illa Synodus Liptinenſis anno* 742. *celebrata fuit, tam ignarus rerum Politicarum non fuit, neque faſcinatus, ut Bonifacio et preces offerret, et ſuppetias ferret ad illam indignæ Servitutis notam ſuæ Provinciæ ac ditioni inurendam. Neceſſitas ergo reſtaurandæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, et publica Eccleſiæ Catholicæ utilitas*

 hanc,

hanc, si qua est, servitutem introduxit, ut ea ratione prompta magis et fidelis servaretur harum Ecclesiarum et Metropoleon cum Romana Sede Communio, a cujus obedientia facilius ac citius descivissent earum Antistites, nisi hac renovandæ suæ subordinationis occasione in officio jugiter contenti fuissent.

Exin ad Professionem et juramentum obedientiæ, quod S. Bonifacius Rom. Pontifici præstitit, descendit, de quo Num. IX. ait: *quamvis vero novum tum temporis fuerit Sacramentum, quod agente S. Bonifacio exigi cæpit, ea tamen, quæ Summo Pontifici jurabatur obedientia, legibus, Canonibus, et superiori a Deo constitutæ Potestati de se debita, et uti sanctissima et inviolabilis, ita et antiquissima, imo magis nascenti Ecclesiæ agnata fuit. Obedientia enim secundum Canones Sedi Apostolicæ exhibenda omni tempore, omni loco, omnibus Clericis et Episcopis non tantum, sed et fidelibus, qui Catholicorum nomine censentur, communis est. At specialis jam a natalibus Pallii, primoribus Ecclesiæ antistitibus injuncta semper fuit obedientia, cum evolutis omnibus Pontificum priorum*

rum Epiſtolis, quibus Pallium contulere, vix ullam invenire ſit, qua non diligentior iisdem inculcetur Canonum cuſtodia, majorque cum Pontifice concordia. Arctius quidem per juramenti formulam obedientiæ hujus inductum eſt vinculum, ſed hoc publica Eccleſiæ utilitas, et reſtauranda neceſſario ſuo cum Capite primariorum membrorum communio vel maxime, uti jam ſupra dictum eſt, expoſcebat. Quis enimvero neſcit, novis et gravioribus exorientibus morbis nova, magisque efficacia adhibenda eſſe remedia?

Tandem author hodiernum Epiſcoporum Juramentum, quod Rom. Pontifici præſtant, proponit, quod Febronius tantopere cavillatur, de hoc ait: *mira equidem, imo prorſus noxia Eccleſiæ et Imperio nova iſthæc juramenti formula non paucis hodie videtur, ſed mirari et criminari deſinet, qui calamitoſiſſima Gregorii VII. (qui hujus juramenti primus author fuit) tempora et Eccleſiæ et Imperio maxime nociva in animum non præventum revocaverit. Inſpicienti enim vel obiter Annales Eccleſiaſticos prima ſtatim fronte occurret, eodem tempore*

Episcopos Longobardiæ omnes in Gregorium VII. audacius insurrexisse, quos tanquam publice et manifeste Simoniacos et concubinarios publico confixerat anathemate, et tanquam contumaces Episcopatu ipso privavit; legatos Apostolicos tum temporis ludibrio habitos, anathema et excommunicationem a summo Pontifice latam, cum contemptu explosam, imo in summi Pontificis caput inaudita temeritate retortam. Porro Gregorium VII. Romæ haud amplius securum, Sede Pontificia detrudendum, in prædam junioris Heinrici destinatum fuisse; Heinricum IV. cum eodem Pontifice pacem jam coalescere cæptam rupisse, et consilium iniisse cum Archi-Episcopo Ravennatensi invadendæ summi Pontificis Personæ et constringendæ. Sed malorum necdum finis: Conciliabulum quoddam sub Henrico IV. celebrabatur, ubi in Gregorium VII. depositionis sententia ferebatur, surrogato in ejus locum Guiberto Archi-Episcopo Ravennatensi; Henricus IV. vero Imperator eundem Pontificem Gregorium Romæ persequebatur, neque insidiarum terminus fuit, donec hic Pontifex cum vita Papatum

de-

deponeret. Eadem fata experti sunt ejusdem successores Victor III. et Urbanus II. adeo, ut pauci et non nisi quatuor in Germania Episcopi teste Bertholdo anno 1079. *defectionis et schismatis immunes extiterint. Ulteriores persecutiones ab Henrico V. in Paschalem II. susceptæ, et secutæ captivitates carceres itidem et vincula Gelasio II. a schismaticis adhibita fuere, adeo ut funesta illa tempora ad quinquaginta non minus annos excurrerint.*

Ex quibus præmissis facile cuiquam patescet, quo fine, et qua intentione summus Pontifex hoc juramentum etiam fidelitatis a Metropolitanis demum exigere, inde etiam, confirmatione Episcoporum ad Sedem Pontificiam devoluta, ad reliquos Episcopos extendere in more habuerit. Eliminatio nimirum schismatum Ecclesiæ non minus, quam Imperio summe noxiorum, Concordia Sacerdotii et Imperii utrique maxime proficua, hæc quæ in primitiva Ecclesia et Disciplina non practicata, imo nec audita erant, juramenta Episcopis inevitabili necessitate imposuit.

Author probat ulterius, hoc juramentum nec Ecclesiæ, nec Imperio noxium esse, quod Episcopi sustineant duplicem Personam Præsulis sacri, et Principis, cuique suum reddendum esse, et quod jurent summo Pontifici cum clausula, *salvo ordine meo.* Tandem ita concludit.

Illud animo utique augurandum est, tot Concilia, tot Pontifices, tot sanctissimos et prudentissimos Episcopos Hispaniæ, Italiæ, Angliæ, et Germaniæ huic stabiliendæ consuetudini non tantopere adlaboraturos fuisse, nisi conducibilem eam, et Ecclesiæ necessariam suo ævo intellexissent. NB. Perversum est, de statutis seculi XI. judicare ex moribus seculi XVIII., ut judicium feras de statuto ante septingentos annos edito. Mente tibi ejus ævi conditio, situs, mores, calamitates, infortunia revolvenda sunt. Si iis minus nunc egemus sacramentis, eam illa pacem et securitatem peperere, qua fit, ut minus egeamus. Satius autem est, remediis minus necessariis uti, quam iis abstinendo, in easdem revolvi calamitates, quibus rursum summopere necessaria sunt.

Con-

Consulto hæc fusius ex nobilissimo Germaniæ Canonista, eoque minime suspecto proferre volui, quibus contra dicteria Febronii, aliorumque hodiernorum, quales esse volunt, Criticorum S. Bonifacius, obedientia, juramentum tum Archiepiscoporum in susceptione Pallii, tum Episcoporum in sua confirmatione amplissime et egregie defenditur, quod juramentum quidam tanquam Imperio, Ecclesiæ et ipsis Episcopis summe noxium, indignum, servile minus perite atque falso traducunt, atque alios quoque, quibus rei Ecclesiasticæ bases et remedia non adeo perspecta sunt, etiam eos, qui ad clavum Reipublicæ sedent, talibus principiis circumveniunt, dum tamen tale juramentum et media unice tendant ad unitatem, et subordinationem Divinitus in Ecclesia institutam conservandam, qua unitate soluta totum ædificium hierarchicum ruit, et ipsa Religio dissipatur.

Præcipuam vero attentionem merentur ultima Barthelii verba, *perversum esse*, ex disciplina et moribus seculi XVIII. de Statutis seculi XI. judicare, quod hodiedum

multi, præprimis moderni hiſtorici perperam faciunt, qui mira arte, fraude potius dixerim, hodierna principia, ſenſus et convenientias ſtatus tum Eccleſiæ tum Reipublicæ ante tot ſecula Imperantibus ita adaptant, et veterum geſta ad modernum guſtum ſic interpretantur, ut quis illos omnes hodierna Politia imbutos fuiſſe crederet, unde fit, ut vetus hiſtoria longe alia facie appareat, quam ratio temporum, et ipſa veritas docent.

Poſt hæc omnia judicet lector, an non ipſe Febronius, quia abuſus prætenſos ex ore, et verbis hæreticorum exponere non horruit, cum ſuis magis cæcutiat, vel potius livido oculo videat, dum hodie adhuc Rom. Pontifices et Curiam de tot, tantisque abuſibus accuſat, et num inſani ſint, qui illos excuſant reſtat, ut ad reliqua adhuc obiter ſaltem reſpondeam.

Ad 1. Claudius Eſpencæus juxta Febronium *vir Pontificibus probatus*, ſed a Gallis *damnatus* atque ſuſpectus Apoſtolicæ Sedis

dis Privilegia summas injurias, abusus et corruptelas per calumniam et summam injuriam vocat; quippe Privilegia abusus non sunt, neque veros abusus inter Privilegia numeramus.

Ad 2. Aliud sunt Jura et Prærogativæ Primatus, aliud abusus horum jurium: illis Primatus ad sui sustentationem et bonum unitatis indiget: abusibus utique non indiget; verum et hi, quod revera tales sint, certius probari debent. Febronius semper in æquivocis hæret.

Ad 3. Quis unquam dixit, quod Rom. Pontificum mores et vitam imitari debeamus? quæ docent, audire, non quæ faciunt, sequi jubemur: et nullus unquam, quantumcunque malus, perversam doctrinam aut vitia canonizavit, atque imposterum ne hoc fiat, ne sollicitus sit.

Ad 4. Ergo apud inferiores Curias et status Ecclesiæ nulli dantur abusus, vel hos tangere non licet? an soli Pontifices publice et cum ignominia a quibusvis perstringendi sunt? omnibus et Majoribus et inferioribus

ho-

honor servari debet: vitia utique et abusus culpare licet, at non ad omnes hoc pertinet, nec dignitas aut Persona offendi.

Ad 5. Non absque impudentia textum Augustini omnibus in genere Romanis Pontificibus adaptas, a qua te non excusant Mauritius de Praga, et quorumcunque aliorum dicteria.

Ad 6. Quis Febronium in his Judicem constituit? unde ipse vocationem habet, aut quis ei necessitatem imposuit, ut non attento multorum scandalo, vitia et veteres abusus jam abolitos tanquam hodiernos, et hos, et qui fors adhuc sunt extenuet, exaggeret, falsos pro veris proponat, omnia in malum vertat, atque ad invidiam et contemptum summæ Sedis et curiæ trahat, ac tandem prætensam hanc veritatem toti orbi obtrudat? ostendimus jam sæpius, Febronium non ubivis veritatem docere, imo permulta falsa adstruere.

Ad 7. 8. *et* 9. Consilium D. Caroli Borromæi non respuimus; verum hic de Rom. Pontificibus, eorum Potestate in Ecclesia,

Ju-

Juribus Primatus etc. longe aliter, quam Febronius ſentiebat. Si Hadrianus VI. P. ſuo tempore abuſus detexit, ſincere deflevit, emendavit, ſumma id laude dignum eſt; ſed inde Febronio et cuivis privato jus non competit, illa adhuc hodie Rom. Pontificibus improperare, et bonum in malum vertere. Delecti a Paulo III. Prælati publica et ſumma authoritate muniti erant, ut in abuſus inquirerent, et eidem manifeſtarent. D. Bernardus de ſtatu Eccleſiæ et nævis ſcripſit ipſo petente Eugenio III. P., ut patet in Prologo ad libros de Conſideratione. Qua authoritate Febronius munitus, abuſus, qui ſunt, et etiam non ſunt, toti mundo propalare et exaggerare juſſus eſt? Miſeram et periculoſam eſſe ſummorum Pontificum conditionem, quis neget? quo major eſt Dignitas, amplior authoritas, eo gravius officium eſt: at tali monitore non indigent, qui eorum conſcientias aggravet. Norunt ipſi Pontifices, de quibus ſibi ratio coram Deo reddenda ſit. Norunt etiam omnes Sapientiores, quod in tanta Eccleſiarum diffuſione, amplitudine, in tanta negotiorum mole, varietate, multi-

ti-

titudine, in tanta hominum infirmitate abusus deesse non possint, neque præcaveri: nec ipsa Concilia omnes abusus, quantumcunque vellent, ab Ecclesia tollere poterant, atque Christus, ne Primores Ecclesiæ idcirco animum despondeant, id in parabola ostendit, significans nimium zelum in evellendis zizaniis inutilem esse: *vis*, dicebant zelatores illi Math. 23., *colligimus ea zizania?* quibus respondit: *non*: *ne forte simul eradicetis et triticum.* Tandem liceat mihi adhuc ex Febronio quærere, num in domo ipsius omnia sint munda? admoveat manum, et prius everrat domum suam. Precor ego, ut hoc feliciter ipsi contingat.

§. XV.

Adversus modernos abusus Ecclesia semper in Conciliis reclamavit, et eorum Reformationem studiose quæsivit.
Sed per Romanam Curiam ab optimo proposito nunquam non impedita fuit.

Ecclesia nunquam non per os eruditorum, et sanctorum virorum, et jam ante sex secula per os D. Bernardi adversus discipli-

na-

nares corruptelas reclamavit. 1. De appellationibus. 2. De dispensationibus. 3. De Privilegiis et exemptionibus Regularium. 4. De captura Auri et Argenti ex rebus sacris. De postremo S. Pater Epist. 238. ad Eugen. P. ait: *quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia ad capturam, non in capturam Argenti vel Auri, sed in capturam animarum? quam cupio, illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es Sedem! pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem. — — — Hoc vehementer exspectat, et omnino expetit a te Mater tua: hoc Filii Matris tuæ pusilli cum majoribus desiderant.* Sed quod optavit, non vidit Bernardus, nec infiniti post eum etiam in Conciliis Patres, idipsum optantes, usque hodie non viderunt.

Hæc mala nemo imputet Ecclesiæ: hæc in Conciliis congregata non omisit levare vocem suam, quod potissimum præstitit in Conciliis Viennensi, Pisano, Constantiensi, Basileensi et Tridentino. in uno seculo XV. illa tria Concilia generalia habuit, ubi sua desideria libere edidit. Sed executioni opti-

mi propositi semper obstitere rationes politicæ Romanæ Curiæ, quod nobis genuinæ historiæ acta aperient; unde 1. documentum sument posteri, quibus deinceps mediis ad frangenda Curiæ studia utendum sit. 2. Solatium Catholici, quod sponsa Christi manserit sine ruga, cujus facies per privatorum malitiam depravari non potest. 3. Terrorem illi, qui per hæc studia in Regnum Christi invexerunt illum malorum cumulum, sub quo illud etiamnum viget.

1. Clemens V. generale Concilium Viennæ Allobrogum inter alia etiam speciatim *ad restaurationem disciplinæ* indixit, petens, ut singuli Archiepiscopi et Episcopi memoriale conferrent eorum, quæ quisque pro bono Ecclesiæ statuenda judicaret. Præstitere id nonnulli Præsules fideliter, et cordate non omittendo abusus Romanæ Curiæ, uti Guilielmus Durandus, et alius quidam antistes. At cum de his judicium et provisio summo Pontifici a Concilio reservata fuisset teste Continuatore Guilielmi Nangii: is soluto Concilio quædam exdixit adversus mundanos Monachorum mores, de vita

vita et honeſtate Clericorum, circa adminiſtrationem hoſpitalium, Jurisdictionem Collegii Cardinalium Sede vacante, feſtum SS. Sacramenti etc. Graviora prætermiſſa ſunt. Hic Author iterum enumerat omnes abuſus, ſupra relatos, ne fors lectori e memoria excidant, additque neglectas reſidentias, et erectum in Curia Romana Simoniæ ſolium.

2. In Concilio Piſano fere ubivis et Romæ pro legitimo et univerſali habito Seſſ. 16. ſinguli Cardinales ante Conclavis ingreſſum pro electione novi Pontificis ſolemniter proteſtati ſunt, qui eligendus foret, Concilium continuaturum, donec *reformatio in Capite et membris* conſummata eſſet. Alexander V. electus hoc promiſſum renovavit. Gerſon egregiam de hac re in Synodo Concionem habuit. At Seſſ. 24. publicatum eſt Decretum Papale de celebrandis per Metropolitanos Provincialibus Synodis et habendis per Monachos regularibus Capitulis, ipſa vero generalis *reformatio in Capite et in* membris ad Kalendas græcas remiſſa eſt. Gerſon in

 ea

ea Concione legalitatem et univerſalitatem hujus Concilii vindicat.

3. In Concilio Conſtantienſi generali poſt unionem trium obedientiarum duo adhuc reſtabant perficienda, *reformatio Eccleſiæ in Capite et membris* et *Electio ſummi Pontificis.* De primo mirus erat omnium concentus, et ſolum contendebatur, an præmittenda eſſet electio Pontificis, pro quo ſtabant Cardinales cum Italis, Gallis, Hiſpanis, vel inchoandum a negotio reformationis, uti volebat Imperator Sigismundus cum Germanis et Anglis: ceſſerunt hi ægre ea lege, ut reformatio tractaretur mox poſt electionem, et adhuc ante coronationem Papæ. Electus Martinus V. ſtatim *collegium reformatorium* inſtituit, de cujus inertia primum Germani, dein Galli et Hiſpani querebantur. His ſtimulis agitatus Pontifex in Seſſ. generali 23. quædam de reformatione Eccleſiæ ſtatuta promulgavit, penitus inſufficientia. Dein Seſſ. 25. non ſine turbine Concilium ſolvit, abrupto negotio, et brevi itineris ſui termino præfixo. Ita ex Windekio Hermannus van der Hardt, l'Enfant. Sic nec Marti-

nus

nus V. nec Eugenius IV. ejus ſucceſſor probroſum nomen oſorum juſtæ reformationis nequidquam veriti ſatis comprobarunt, Romanam Curiam nunquam majorem monſtrare zelum, quam dum de impedienda reformatione agitur. Hinc recte dixit Boſſuet in Defenſ. declar. Cler. Gallic. *eluſa reformatio non probat Synodi authoritatem infirmam, ſed hominum animos fuiſſe omnino perverſos.* Ex interrogatorio juſſu Martini V. hæreticis faciendo recte concludit Berthier, Decreta Concilii Conſtantienſis a Martino P. generatim probari non ſolum in materia *fidei*, ſed *morum* etiam tanquam emanata a Corpore univerſalem Eccleſiam repræſentante.

4. Dum in Concilio Baſileenſi Patres reformationem in Capite et membris ſerio agere inciperent, Eugenius IV. medicos hos metuens bis Concilium diſſolvere tentavit, primo ſub prætextu *translationis* pro unione Græcorum, quaſi ut ait Boſſuet, ſtatim Baſileæ non poſſet tot exoptata votis reformatio fieri, ac tum, ſi res poſceret, nova Synodus convocari Bononiam. At Patres ob-

 ſiſte-

ſiſtebant, oſtendentes Concilium Pontifice ſuperius eſſe, translationem irritam declarant, obſiſtebat et Præſes Cardinalis Julianus ſcribens Papæ, ſe nolle adulatoris officium exercere. Cum autem Patres per 20. Seſſiones imperterrite procederent, et Seſſ. 21. etiam *Annatas* tanquam Simoniacas damnarent, miſit Eugenius, qui de hoc quererentur, ſed perſtitit in Sententia Synodus. Igitur Eugenius legatos toto terrarum orbe miſit, de Synodo conqueſturos cum ſecreto mandato, teſte Reynaldo, ut ſecum portarent aliquam Curiæ reformationem, etſi plena non foret, modo eſſet aliqua, quam Regibus et Principibus præſentarent, ut obſtruerentur ora querentium, et Principes proniores fierent ad condeſcendendum petitionibus Papæ. Quam ſincerus et ſerius fuerit Romanis ad Reformandum animus, amplius apparuit in Synodo Ferrariam et Florentiam translata, ubi de reformatione ne muſſitarunt quidem.

Quando Boſſuetus monet, divina judicia contremiſcere, et tot reformationes impias, ſequente ſeculo ex inferis proditas, ne-

neglectæ reformationis ultrices cogitare; Cardinalis Orsi odium in Basileenses retorquere voluit, quod illi legitimam potestatem contemnere, jugum excutere, authoritatem invadere ausi sint, non ad ædificandam, sed ad perturbandam, Christianam Rempublicam. Contra hæc Febronius sustinet. 1. Summos Pontifices ante et post Eugenium usque ad enatas hæreses seculo XVI. declinasse omnem Romanæ Curiæ reformationem. 2. Stetisse Rom. Pontifici suam authoritatem, sed non eam, quam prætendit Eugenius, *quæ omnes ipsi leges subjiciat.* 3. A Nemine dici posse, quod toties postulata et proposita reformatio potuerit ansam dare schismati et defectioni, sed quod eam effective dederit negata hodie usque Romanæ Curiæ reformatio. 4. Prætensa Eugenii pax et securitas erat injusta, pax et reformatio Basileensium erat æqua et Canonica, pax et libertas reformatorum seculi 16. erat impia.

5. Plura de impedita a Romanis reformatione legi possunt apud Hermanum van der Hardt act. Concil. Constant. tom. 1.

 part.

part. 2. interim necessitas reformationis agnita fuit in tantum, ut Alexandro VI., monstro Pontificis, defuncto Cardinales in Conclavi jurejurando se obligaverint ad reformandam per novum Pontificem Ecclesiam. Verum ab electo novo Pontifice Julio II. et ejus Successore Leone X. minime impletum fuit hoc solemne promissum Deo factum. Hanc necessitatem agnoverunt delecti a Paulo III, Prælati, et Hadrianus VI. P.; sed hæc monita et Consilia ne tum quidem audita, quando hæreses jam late grassabantur, et ad commodius tempus remissa sunt.

6. Ab hoc tempore poterat caussa Religionis pro desperata haberi, et in his tenebris, Cleri ignorantia et corruptione prætensis reformatoribus difficile non fuit, pronas ubique aures invenire. Media ad sistendum impetum adhibita erant tarda et sinistra: *sinistra*, quia excessui reformationis opponebantur non tolerandæ nimietates: *tarda*, quia dilata ad viginti et octo annos coadunatio Concilii Tridentini dedit reformatoribus spatium, perversas doctrinas suas disseminandi et implantandi. Zelus Imperato-

ris,

ris, Principum et Episcoporum vix superabilem resistentiam inveniebat ex parte Romanorum, suam in Synodo reformationem metuentium; hanc malebant declinare, quam adversus hæreses uti rremedio, quod serius applicatum tandem minus utile futurum prævideri poterat. Has circumstantias in suum commodum derivarunt infausti reformatores, corruptionem *Romanæ Curiæ*, jam fere omnino profanæ, *cum sancta Sede*, et particularem *Ecclesiam Romanam* cum *Ecclesia universali* confundentes.

7. Curia Romana se reformationis osorem non minus in Synodo Tridentina ostendit, teste Francisco de Vargas Epistola ad Antonium Granvellanum Episcop. Atrebat. Cæsaris administrum. Ille multum et acerbissime queritur contra Legatum Papæ, quod sit homo sine pudore, audax, intractabilis, quod Roma ubivis sua commoda quærat, reformationem declinet, et quæ sunt alia hujusmodi. Hanc Vargæ narrationem non abludere a Pallavicino ait: de aulæ Romanæ reformatione plurimi e Patribus libere sententiam dixere, Puncta reformationis ab

Imperatore propofita, fed fine fructu. Ceffere tandem illi, fed unice ad impediendam Concilii difiunctionem, non valentes condignum obtinere, maluere Patres modico bono contenti difcedere, quam relinquere Ecclefiam Schifmatis periculo expofitam. Hic adplicat, quæ fcripfit S. Leo M. Epift. 80. ad Anatol. Conftantinop. c. 3. *nimis ergo hæc improba, nimis funt prava, quæ facratiffimis Canonibus funt contraria: in totius Ecclefiæ perturbationem fuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Synodali Concilio, ut fratres in negotio fidei convocatos, et definitione ejus cauffæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad confentiendum fibi aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. — — — Nec poteft de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epiftola tua etiam ipfe conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare.*

8. Mirandum et dolendum, quod Romana Curia non fenferit infelices fequelas fuæ oppofitionis adverfus faluberrimas difciplinæ regulas, quas in Ecclefiam Concilium Conftantienfe et Bafileenfe introducere tanto

ftu-

ſtudio laborarunt. Quot pondus reddendarum rationum ab iis, qui tot labores et pia ſtudia a tribus Synodis generalibus pro reformationis opere tanta conſtantia enervarunt, et malum ad hunc uſque diem transmiſerunt. Eadem Curia ex præconceptis infundatis principiis renuit ſe ſubmittere duabus prioribus; illa excuſſo legitimo Eccleſiæ et Conciliorum Suprematu audentior poſtremam, tridentinam nempe, ſibi ipſi ſubjugare tentavit, ita quidem, ut generalium Conciliorum, deinceps habendorum, nec rem nec nomen ſuſtinere valeat. Quæ ex priori attentato nata ſint damna, docuit experientia, quæ ex altero cum tempore evenient, ad Divinæ Providentiæ arcana pertinet.

9. Didacus Payva Concilii Tridentini Theologus, etiam a Pallavicino laudatus, lib. 1. de Concil. authorit. ait: *Concilia in Dogmatibus fidei non poſſunt errare: circa leges ad Eccleſiam componendam latas poſſunt errare, et non ſemper ſalubriora ſtatuunt.* Hæc una ex primariis cauſſis eſt, ob quas generalium Conciliorum placita in materia diſciplinari particulares Eccleſias ſine receptione non obligant.

NOTA.

Videamus iterum, quantum Febronius per totum hunc paragraphum cum veritate confligat? adverſus *modernos* abuſus Eccleſiam ſemper reclamaſſe ait, et quidem a ſexcentis jam annis, nempe in Conciliis a Viennenſi usque ad Tridentinum, ſed Reformationi Curiam Romanam ſemper obſtitiſſe, eluſiſſe. Ergo a ſexcentis jam annis iidem abuſus in Curia Romana et Eccleſia ſemper fuerunt, ſuntque hodiedum: nihil unquam emendatum, nihil correctum fuit. Quid falſius proferri poterit? quod mox videbimus. P. Sangallo Minorita Venetus Febronium in his, quæ hoc paragrapho opponit, egregie refutavit, atque in multis de falſitate convicit, quibus illum directe reſpondiſſe non memini. Igitur ex eodem authore et genuinis actis quædam excerpimus, addito prævio etiam monito, Febronium numquam tempora et circumſtantias ponderare, per quas ſæpe non licet, aut non expedit, id, quod bonum eſt, in effectum deducere, et quando

de

de Reformatione et abusibus sermo est, ipsi semper plana et optima via est, dum tamen nec inferiores Antistites in suis Ecclesiis, rectum, quod volunt, statim et semper cum efficacia perficere nequeunt.

Admitto, sæpe viros eruditos et pios, videntes abusus et scandala, non solius Curiæ Romanæ, uti prætendit Febronius, sed totius Ecclesiæ ingemuisse: sed num ideo summo Pontifici et aliis Ecclesiæ Prælatis Reverentiam non amplius habebant? an omnia sus, deque verti volebant? si mentem, si Spiritum illorum disquirimus, non seditioso, non schismatico agebantur, et si eorum verba, ac querelas etiam in medium proferas, nihilominus intento Febronii neutiquam suffragantur. Sunt alii quoque Zelatores pro domo Dei, sed non secundum scientiam, de quibus S. Ambrosius in Psalm. 118. *Quid de Judæis dico? sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere: sed inscitia in eo est, quia*

non

non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem. Igitur etiam hi audiendi non ſunt. Quod ſi vero id Ambroſio ſuo jam ævo, quare non poſteriori et noſtro tempore idem nobis dicere, et Febronio ad querelas quorumdam objicere liceat?

Sed jam primo D. Bernardum audiamus: is exiſtimavit, Guilielmum Eboracenſem ſimoniace in ſuam Sedem intraſſe, et aliorum adhuc criminum reum eſſe. In hunc igitur ob capturam Argenti et Auri invehitur S. Pater, de quo jam prius dixerat: *ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, et prævaluit in vanitate ſua* Sed hic Eugenium aut Curiam non accuſat, quaſi pecuniam accepiſſent, et ab his ſimonia commiſſa fuiſſet, ſed hac occaſione vocem attollit, ut ab omnibus Eccleſiæ Prælatis abſit captura Auri et Argenti in obtinendis Eccleſiæ officiis et dignitatibus, et Petri ſucceſſor in tales ſimoniacos Petri ſententiam detonet: *pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Et ſi Bernardus ob id Eugenium vel Curiam perſtringere voluiſſet, quaſi hi pecuniam ab Eboracenſi accepiſſent, utique falſum dixiſſet:

ſet: nam deceptus fuit Bernardus: Guilielmus equidem ad inſtantiam D. Bernardi et aliorum ab Eugenio III. a ſuo officio depoſitus fuit; ſed ejus innocentia poſtea patuit, atque in ſuam Sedem reſtitutus virtutibus et miraculis claruit, ab Honorio III. in ſanctorum numerum relatus. Hoc nobis exemplo eſt, maximos et ſanctiſſimos in Eccleſia importunitate vel invidia accuſantium et calumniatorum quandoque decipi poſſe, et Febronius ab omni errore ac fraude immunis, quando promiſcue omnes accuſationes tot ſummorum Pontificum et præſtantiſſimorum in Eccleſia Romana virorum audit, atque propalat?

Porro legat Febronius mox ſubſequentem D. Bernardi epiſtolam num. 239. de eodem Epiſcopo Eboracenſi ad Eugen. P., ibi inveniet ſequentia: *qui locum Petri tenet, poteſt uno jactu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum, et ut planius, quod loquimur, fiat, peremptoriam dare ſententiam ad depoſitionem Epiſcoporum, ſolius Romani Pontificis noſcitur eſſe: pro eo nimirum, quod etſi alii multi vocati ſunt in partem ſollicitu-*

di-

dinis, *solus ipse plenitudinem habeat Potestatis.* Quid ad hæc Febronius? an his dictis etiam reverentiam habet? nunquid *ampullata* sunt verba ista, et Bernardus hic iterum mox Isidorianus erit? Febronius ostensurus, Romanos reformationi Ecclesiæ et Curiæ Romanæ semper obstitisse, primo in Scęnam vocat Clementem V. P., de hoc ipse testatur, quod Concilium æcumenicum Viennense *inter alia speciatim ad restaurationem disciplinæ* celebratum indixerit, atque *singulos Episcopos memoriale conferre voluerit*, *quæ quisque pro bono Ecclesiæ statuenda judicaret.* Igitur non abhorruit a Concilio generali et reformatione, sed omnino promovit. At *de his judicium et provisio summo Pontifici reservata fuit*, ait ulterius Febronius: sed a quo reservata fuit? utique ab ipso Concilio: ergo longe aliter de Clemente V. sentiebat Concilium generale, quam Febronius, nempe eum non obstare reformationi, sed potius ab eo perfectam iri confidebat, sicque ab ipso integro Concilio refellitur Febronius. Dicit denique, *Pontificem soluto Concilio quædam edixisse, graviora præ-*

prætermissa esse. Ergo in reformatione nihil aut parum actum est a Pontifice? Respondeo, utrumque falsum esse; hoc ipso, quod Concilium istud negotium Pontifici remiserit, cumque majoris laboris ac circumspectionis esset, non potuit amplius omnia in Concilio perficere, quod tamen postea omnino præstitit per plurimas leges, statuta et ordinationes, unde integrum volumen, quod Clementinum vocatur, prodiit, et Corpori Juris Canonici insertum fuit. Id testantur Cabassutius, Spondanus de Concil. Vienn. Raynaldus ad ann. 1312. et Platina in vit. Clement. his verbis: *Clemens cum animum ad componendum Ecclesiæ statum adjecisset, tribus Conciliis diversis in locis, variisque temporibus habitis, multa prudenter et mature egit.* Quod vero omnia illa statuta non ipse evulgaverit, rationem dat Annatus in apparatu ad Theolog. Posit. de Concil. Vienn. *multæ denique editæ constitutiones aliæ in hoc Concilio a Clemente V. una cum aliis tum ante, tum post Concilium editis in unum volumen contulit, quod cum morte præventus promulgare non potuisset Clemens V., succes-*

for ejus Joannes XXII. in lucem edidit. Citat dein S. Antoninum part. 3. hist., Marium Belg. de Schism. Conradum vecer. Binium et Labbeum. Joannes XXII. vero in Præfat. ad Clementinas ait: *hæc sane Felicis recordationis Clemens P. V. prudenter attendens, et provide cupiens deformatorum reformationi prospicere, solvere difficilia, et Sanctiones quæstionibus et negotiis imminentibus consonas promulgare, dudum nedum in Concilio Viennensi, quin etiam ante et post ipsum Concilium Constitutiones plurimas edidit, et multa utilia statuit, atque salubria.*

De Alexandro V., quod nonnihil in negotio reformationis, etiam circa ipsum Sum. Pontificem egerit, testantur acta Concilii Pisani, quæ dicunt: *Jam multa per Dei gratiam sunt expedita, quæ ipsum Dominum nostrum et statum ac favorem Prælatorum, aliorumque inferiorum concernunt.* Quod autem non omnia perficere potuerit, rationem dat tum ipse, tum totum Concilium: *ex certis et magnis et arduis caussis Nos et hoc sacrum Concilium moventibus iterum generale Concilium Ecclesiæ fore convocandum*

hinc

hinc ad triennium. Item *restant alia, quæ propter recessum Prælatorum et Ambasciatorum de præsenti expediri non possunt, propterea Dominus noster, sacro requirente et approbante Concilio dictam reformationem suspendit, et continuat usque ad proxime indictum Concilium.* Hermannus van der Hardt de Concilio Pisano ita scribit: *de delatione ipsius reformationis fuit libere concors illud totum Concilium, nec fuit culpa Papæ, nec Collegii DD. Cardinalium, sed potius totius Concilii, si pro tunc dicta reformatio non fuit facta.* Ita Febronius ab ipso suo Patrono Hermanno van der Hardt refellitur: qua fronte ergo Alexandrum V. in argumentum summit ad probandum, quod Romani Pontifices et Curia semper reformationem impedierit, quando postulante ipso Concilio, juxta Febronium, universali, ista reformatio suspensa fuit, quando nec Papa, nec Cardinales in culpa fuerunt, sed potius ipsum Concilium, quod reformatio tunc non fuerit facta? nunquid contrarium aperte probatur? quis jam non adversariis succenseat, aut fidem amplius præstet, quando contra

 sum-

summos Pontifices suas criminationes effundunt? cæterum *laudibus hujus Pontificis* (Alexandri V.) ait Sandini in vita ejusdem, *sicut aliorum sui temporis, obtrectat maledicus conviciator Theodoricus Niemus, jure propterea confutatus a Wadingo ad ann.* 1410. §. 4. *testimoniis Scriptorum.* Fors ex isto authore Febronius suam in Alexandrum P. accusationem suxit, huic Pontifici ideo offenso, quia ipsi nundinatio Sacrorum ab eo interdicta fuit, et præ aliis in Curia reformatione indiguit.

Quid jam de Martino V.? hic Pontifex revera plurima egit pro reformatione non solum Ecclesiæ, sed etiam officialium et Curiæ Romanæ. Statim post suam promotionem Cardinali ostiensi in mandatis dedit, ut abrogatis Regulis Cancellariæ, quæ tempore schismatis multum erant depravatæ, et quibusNationes nimium gravarentur,novas conciperet, quæ dein in publico Consistorio promulgatæ sunt, quidquid de his dicat Clemanges et alii, quibus omnia non placent, nisi ad eorum solummodo gustum præparentur. Dein in ipso Concilio alias adhuc de refor-

ma-

matione constitutiones edidit. Teste Cardinali Petra multa ordinavit circa Auditores Rotæ Romanæ, Advocatos, Procuratores, Notarios Curiæ. Ideo cit. Cardinalis Petra Comment. ad Constit. Apost. tom. 4. ad Constit. 3. ait: *Martinus initio sui Pontificatus innovavit nedum antiquatas reformationes, sed alias edidit. — — — Initium hujus reformationis sumpsit Pontifex ab officialibus Curiæ Apostolicæ.* Item teste Raynaldo ad ann. 1418. Bullam in Concilio Constant. contra simoniacos latam renovavit. Post hæc quis præter Febronium dicere ausit, Martinum V. meruisse *probrosum nomen osoris justæ reformationis*, vel Curiam Romanam semper obstitisse suæ reformationi? Sed ait Febronius, hæc *decreta* erant *insufficientia*, et desiderio Patrum ac Nationum non ex toto respondebant. At 1*mo*. Quod Martinus totum opus in Concilio non perfecerit, non a solius Martini V., sed totius Concilii voluntate profectum est, etsi quidam minus de eo contenti erant, quippe Platina in hujus vita ait: *Martino placuit, NB. approbante Concilio, rem tantam in aliud tem-*

 pus

pus magis idoneum transferre. Hujus rei caussas idem Platina profert. 2. Ipsæ Nationes in articulis reformationis non conveniebant, et hæc dissidia potissimum in caussa fuerunt, quare universalis reformatio in Concilio perfecta non fuit: *ipsarum Nationum*, aiunt acta Concilii, *molestissimo dissidio, una Natione volente hoc modo, alia alio.* Nempe singuli quærebant, quæ sua sunt, et fors nimium etiam petebant. 3. Teste Barthelio Differt. Prælim. de Concord. German. Cap. 2. Sect. 6. num. 1. *Martinus V. nihilosecius provisorio et interimistico modo Nationi Germanicæ* (quæ articulos reformationis præ cæteris plurimum urgebat) *satisfacturus iniisse fertur cum eadem in 5 annos certam de Ecclesiæ universalis administratione Cancordiam anno Pontificatus sui primo, quam sub Sigillo Joannes Cardinalis ostiensis, Romanaeque Ecclesiæ Vice-Cancellarius Constantiæ 3 May Metropolitanæ Magdeburgensi Ecclesiæ communicasse perhibetur, formulam subministrante Leibnizio. Cod. diplom. tom. 1.* §. 155. *pag.* 384. tangit autem hæc Concordia reservationes, collationes, Annatas, ap-

appellationes, Simoniam etc. sicque saltem ad tempus in plurimis atque præcipuis satisfactum fuit, unde non subsistunt querelæ, quas quidam ex livore, alii ex nimio reformandi zelo cum exaggeratione effuderunt.

Tandem Febronius ait, quod Martinus V. *non sine turbine Concilium solverit.* Acta aiunt, quod Ubaldus Cardinalis Diaconus ex ordinatione Papæ, Regis Sigismundi et totius Concilii exclamaverit: *Domini ite in pace.* Ad quod omnes responderunt: *amen.* Verum est, quod Poloni ob non apertius damnatum librum Joannis Falkenbergii, Cardinalis Alliacensis et Gerson ob non condemnatum librum Joannis Parvi, et quod Calendarium non fuisset correctum, satis contenti non fuerint, sed hæc ad reformationem, de qua agimus, non pertinent. Quod attinet approbationem Decretorum Constantiensium a Martino V. factam, abunde diximus supra hoc Cap. ubi de Concilio Constant.

Etiam Eugenius IV. *probrosum nomen osoris justæ reformationis* non meruit. Finis

Concilii Basileensis, quod Eugenius P. indixit, inter alia fuit reformatio morum, prout in prima Sessione declarabat: *ad Bella, hæresum et morum deformitates salubriter intendatur.* Sess. 2. mox ab ipso Capite Ecclesiæ cæpit, et quæ in Concilio Constant. tempore schismatis, nullo existente certo ac legitimo Pontifice, contra dubios Papas decreta sunt, jam nunc ad certum et legitimum Pontificem extendere, atque hujus non tam usum Potestatis regulare aut reformare, quam ipsam Potestatem atque Divinum Primatum contra morem, praxin et statuta veterum Patrum invadere, sibique penitus subjugare ausi sunt, quod utique non erat reformare Caput, sed istud Corpori, pedibusque subjicere, et fere conculcare.

Sed Eugenius non horruit, suam mentem publice manifestare, quod nullatenus subterfugiat Concilium, quod ipse toto desiderio exoptet reformationem justam totius Ecclesiæ, nempe quæ non fiat sine Capite, quaque authoritas, ordo et status Ecclesiasticus non potius deformetur, evertaturque. Sic enim scribit ad Archiepiscopum Coloni-

nienſem Eugenius IV. *quoniam e multorum relatione ſentimus, murmurare nonnullos, audita diſſolutione Concilii, — — — opinantes forſan, nos ſubterfugere velle Concilium, quod ſemper optavimus fieri, et optamus, nos fraternitatem tuam aviſam facimus, quod illa fecimus cum maturo conſilio et deliberatione juſtis ex cauſſis in litteris noſtris expreſſis, quæ non fuerunt fictæ, ut aliqui garriunt, ſed veræ et efficaces fuerunt etiam. Et ſunt aliæ cauſſæ, quas nolumus ſpecifice exprimere, quia manifeſtari non poterant ſine quorumdam Principum nota. — — — Nos enim, qui in minoribus conſtituti in Conſtantienſi Concilio reformari Eccleſiam cupiebamus, jam in Pontificatu noſtro deſiderium illud perficere, et in tam pio opere perſonaliter laborare plurimum affectamus: ideo Concilium indiximus in Civitate Bononienſi. Neque enim cum agendum ſit de reformatione univerſalis Eccleſiæ, cujus directio et cura principaliter ad nos pertinet, et de nonnullis graviſſimis rebus concernentibus ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ, nobis conveniens viſum eſt, tantam rem fieri debere per legatum*

ſine noſtra præſentia, et venerabilium fratrum noſtrorum S. Rom. Eccleſiæ Cardinalium. — — — Miramur itaque, venerabilis frater, de quibusdam, qui magis quærentes evertere, et deformare, quam ſtabilire et reformare Eccleſiam, hæreſes fovere, et Bella ſuſcitare, prout hactenus notorie fecerunt, quam præmiſſa extirpare, — — — et ſtudent Epiſcopos et Prælatos in Baſilea ſub nomine Concilii congregare, non ut ibi per eos reformetur, ſed ut penitus obruatur ſtatus Eccleſiaſticus, et fides Catholica confundatur. Talia Inſigni Germaniæ Principi et antiſtiti publice non verebatur ſcribere Eugenius; igitur non Eugenius, non Cardinales, ſed ipſum Concilium in culpa fuit, quod in eo juſta reformatio non fuerit promota, utpote quod legitimam Poteſtatem invaſit, ſchiſma conflavit. Cæterum habeat pro reſponſione Boſſuetus illa verba Eugenii, nempe quod graviſſima Eccleſiæ negotia et reformatio totius Eccleſiæ ſine præſentia Capitis perfici non debeant, ipſe autem ob infirmam valetudinem Baſileam accedere non potuerit præter alias adhuc cauſſas graviſſimas.

Ad

Ad reliqua Puncta, quæ Febronius tanquam evidentia proponit, respondeo 1. Ex dictis constare, quod omnino falsum sit, Eugenium, et Pontifices antecessores etc. nominatos omnem declinasse reformationem. 2. Stetit Rom. Pontifici sua authoritas, quæ ipsum membris et Concilio nequaquam subjicit, ab omnibus retro seculis, prout per totum opus hucusque probavimus, usque dum Concilium Basileense illam subjugare præsumpsit. Prius nihil tale visum, auditumque fuit; nam Concilium Constantiense tantum contra dubios Pontifices propter schisma tale quid declaravit, et si quid simile contra legitimum et verum Papam attentatum fuit, semper tanquam illegale et schismaticum fuit habitum, prout etiam in Conciliis æcumenicis IV. et VIII. contra Dioscorum et Photium cum suis Synodis aperte declaratum fuit. 3. Nec justæ reformationis *petitio* potuit ansam dare defectioni et schismati, nec *negata* Romanæ Curiæ reformatio eam *effective* dedit, quippe hæc negatio, prout prætenditur, ex dictis omnino falsa est, gravamina, præcipue Germanica per Concor-

data jam sublata erant: sed illam præconcepit ipsum Concilium, et *effective* dedit, quod D. Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. P. pro origine et caussa omnium hæresum documentum dedit: *neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos Judex vice Christi cogitatur, cui si secundum Magisteria Divinæ obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum Sacerdotum Collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret, nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris hæresin novam conderet.* Basileenses, quia non unum ad tempus Sacerdotem Dei et Judicem vice Christi cogitabant, quia huic obtemperare nolebat fraternitas universa, in schisma prolapsi sunt; inde laxato jam unitatis vinculo alii ulterius progressi ex hoc facto, tanquam ex semine, suas hæreses progenuere: hinc *nata sunt schismata*, hinc *obortæ hæreses, non aliunde.*

Præ-

Prætenſa reformatio ſolum prætextus fuit, qualem hæretici omnes obtendebant: etiam Montaniſtæ, Donatiſtæ etc. Eccleſiam defectus arguebant, ſed ideo non minus innocens et ſancta fuit, neque illi minus hæretici erant. Unde ſequitur. 4. Quod Pax et reformatio, quam prætendebant Baſileenſes, non fuerit legalis et Canonica, illa vero, quam volebat Eugenius, fuerit juſta et æqua.

Mortuo Alexandro VI., quem monſtrum Pontificis Febronius vocat, alii tamen apud Bzovium excuſant, Cardinales in Conclavi jurejurando ſeſe obſtrinxerunt ad reformandam per futurum Pontificem Eccleſiam in Concilio generali Jamjam verum eſt, abuſus, vitia, et ignorantiam in Clero, præcipue Germaniæ, ſicut et in laicis tam firmas radices habuiſſe, ut nunquam omnia ſtatim eradicari potuerint, atque ſaluberrimas ſummorum Pontificum ordinationes non ſemper omnem firmitatem habuiſſe, ideo ſemper adhuc reformanda reſtabant; ſed notandum eſt, Cardinales, qui hanc reformandi neceſſitatem agnoſcebant, reformationem non a Concilio ſine Pontifice, minus contra Pon-

Pontificem, prout Basileenses fecere, sed in Concilio per Pontificem fieri volebant. Interim electus Pontifex Julius II. teste Caranza in Summ. Concil. ad ann. 1512. hoc juramentum renovavit, atque ut ait Carriera hist. Chron. pag. 373., addidit, *ad reformationem Ecclesiæ et Romanæ Curiæ.* Hujus tamen executionem novem annis usque ad Concilium Lateranense, quod etiam in hunc finem indixit, per multa impedimenta distulit *nolens volens, quia non valens*, sicuti in eo Concilio dictum fuit. Reformare igitur serio voluit, sed non potuit: obstacula, et quibus eo tempore fluctibus agitabatur Julius, nemo ignorat.

Leo X. testibus Carranza in sum. Concil. et Cabasutio in Not. Eccles. in Concilio Lateranensi Sess. *6.* ordinavit, ut deligerentur Prælati, qui conferrent, quæ ad Generalem reformationem Ecclesiæ pertinent: in hoc negotio Prælati integrum annum insumpserunt, ut adeo non obiter, et ad speciem tantum tractatum fuerit, præcipue autem reformationem Curiæ præ oculis habebant: inde Sessione nona prodiit, atque in Concilio

lio lecta et approbata fuit amplissima Bulla de reformatione Curiæ Romanæ circa omnia officia, uti etiam præter citata loca videre est in Bullario Constit. 5. et 8. Leonis P. et apud Labbe. tom. 14. Concil. contra veritatem ergo Febronius dicit, illud solemne promissum Deo factum tam a Julio II. quam ejus successore minime impletum fuisse.

Equidem author inde probare vult, quia Paulus III. et Hadrianus VI. PP. dicunt, *jam pridem Ecclesiam Dei et præsertim Romanam Curiam, gravissimis abusibus laborasse, atque a Capite in membra descendisse.* Sed admisso, quod horum Pontificum et Prælatorum censura non solum vera, sed etiam præ nimio Zelo non exaggerans sit, hi imprimis non de solis abusibus Romanæ Curiæ, de quibus hic tantum sermo est, sed totius Ecclesiæ loquuntur, neque de iis tantum, qui eo tempore erant, sed etiam qui jam pridem et antea fuerunt, proin non sequitur, nullos abusus emendatos, nullam reformationem unquam factam fuisse. Inspice ab initio Ecclesiæ omnia Concilia tum generalia tum particularia ubivis in mundo habita: relege tot

Ca-

Canones, ſtatuta, ordinationes, quæ prorſus infinitæ ſunt: adde epiſtolas decretales omnium Pontificum: quid inde concludis? nihil unquam, vel non ſerio reformatum, emendatumque fuiſſe? injuriam facis tot ſanctiſſimis Conciliis, Patribus, Pontificibus et toti, quamdiu exiſtit, Ecelefiæ. Rectius ita concludes, ſemper et ab initio in Eccleſia zizania fuiſſe, Eccleſiam ſemper in aliquibus reformatione indiguiſſe, atque etiam reformationem provide, ſalubriter et cum zelo ſuſceptam fuiſſe, quamquam vitia et abuſus nunquam defuerint, ſed prout hominum vel imbecillitas, vel perverſitas eſt, malum ſemper firmius hæret, et ſæpe ſaluberrimæ ordinationes vel omnino non, vel ſaltem diu non obſervantur, vel ipſi in alios, novosque abuſus iterum prorumpunt. Videmus hoc circa Concilii Tridentini Decreta reformatoria, quæ quantumvis recepta non tamen omnia ubique amplius in debito vigore ſnbſiſtunt, et nihilominus Concilium reformationem ſuſcepit. Sed ut de Curia Romana et Pontificibus, quæ circa ejusdem reformationem egerint, amplius loquamur,

Leo-

Leoni X. mox ſuccedens Adrianus VI., ut notum eſt, non ſolum per Cheregotum ſuum in Germaniam Legatum novam iterum Curiæ Romanæ et Eccleſiarum emendationem pollicetur, ſed etiam quantum per breve tempus, quo vixit, nempe per unum et dimidium annum licuit, ſolerter peregit, teſte ipſo Launoio lib. 4. Epiſt. 7. dicente, ſe eum venerari, *ut prioris ævi Pontificem, ut qui lapſos Curialium mores erigere ſtuduit, ut qui contra cupidos et avaros antiſtites patrimonia pauperum vindicare voluit, et conſanguineos egenorum ſumptibus locupletare noluit, ut qui ſacros Canones non ſine urgenti et neceſſaria cauſſa relaxare inſtituit, et Eccleſiam ad eorumdem Canonum inſtitutum regendam ſuſcepit.*

Poſt Hadrianum VI. Clemens VII. Cardinalem Campegium in Germaniam miſit cum Poteſtate et mandatis, ut ibi Eccleſias et Clerum reformaret: quis credat, eum Romæ id neglexiſſe, quod ipſe in Germania tanto ardore perficere ſatagebat, niſi quantum per iniqua fata a pio opere impeditus fuit?

De Paulo III. ſcimus, quod *Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanciendæ*, *ait* Sandini, *cætum inſtituerit quatuor graviſſimorum et doctiſſimorum Cardinalium Contareni, Caraffæ, Sadoleti et Poli, quibus Præſules quinque in primis peritos addidit, qui offerrent capitulatim collecta libello ea, quæ præcipue emendatione digna videbantur.* Hæc extra dubitationem ſunt; ſed dubio non caret, nec genuina videtur ea horum Prælatorum ad Papam peroratio, quam hic et ſæpius citat Febronius, quia ut ait Pallavicinus lib. 4. Cap. 5. num. 12. in variis Pauli III. mandatis reperitur, ne ea de ſcripto traderentur. Pariter idem Pontifex dum initio Pontificatus ſui talem etiam Cætum pro reformanda Curia inſtituerat, in Conſiſtorio decrevit, ne vulgaretur Diploma reformationis, ideo Alexander Legatus epiſtola ad Cochlæum ſcribit: *multa haberem ſcribere de Republica, ſed mali cuſtodes eſtis rerum arcanarum. Conſilii Cardinalium promulgatio cum invectiva Sturmii manibus hominum teritur, antequam vel ab authoribus edita, vel executioni fuerit demandata.* De hoc tamen quidquid ſit, Paulus III. revera

Cu-

Curiam ſuam emendavit, et Febronius hoc vel ignorat, vel ſcire ſtudioſe diſſimulat, quando ait, *ſaluberrima hæc monita et Conſilia a domeſticis, iisque fidiſſimis Conſiliariis profecta ne tum quidem audita fuiſſe, ſed plerisque in Senatu Cardinalium illam reformationem improbantibus, ea ad commodius tempus remiſſa fuiſſe.*

Nam duplex congregatio pro reformatione a Paulo III. inſtituta fuit, uti narrat Pallavicinus lib. 3. Cap. 17. Statim initio ſui Pontificatus Cenſores deſignavit, eos cohortando, ut in ſeipſis, Curiaque univerſa, ad morum emendationem exemplo cunctis futuram incumberent, quibus et authoritatem ampliſſimam in cuncta tribunalia impertiit: anno 1540. vero iterum alios deſignavit, qui jam ſancitas emendationis leges in unoquoque tribunalium ſervandas curarent. Altera pro reformatione congregatio juxta eundem Pallavicinum lib. 4. Cap. 5. num. 3. inſtituta fuit ab eodem Pontifice anno 1537. de qua ſupra. Hujus leges ad univerſalem Eccleſiæ emendationem tendebant: de hac ait Pallavicinus: *Schombergius Cardinalis*,

 vir

vir et Religionis ſtudioſiſſimus et Germanicorum geniorum peritiſſimus perſuadere conatus eſt, ut ſuavis fatetur, quando plerique Mortalium cupiditate relaxationis inſaniebant, ſacrorum clauſtrorum repagulis, votorumque ligaminibus petulanter diffractis opportunam non eſſe novorum nexuum medicinam: inſtare Concilium, cui hujusce rei deliberatio permittenda, quippe conflando ex cunctis nationibus, adeoque earum peritiam habituro, quæ nec pondus ſibi intolerabile ſuſceptura fuiſſent, et ubi de communi voluntate ſuſcepiſſent, libentius tolerarent, quam paucorum impoſitum authoritate. De hac emendatione quidquid ſit, an Cardinalis Schombergii opinio *in Senatu Cardinalium* accepta, et reformatio univerſalis Eccleſiæ *ad commodius tempus*, id eſt, *ad Concilium* remiſſa fuerit? ſaltem de prima reformatione, quæ Curiam Romanam præcipue tangebat, certum eſt, quod ſub Paulo III. non tantum ſuſcepta, ſed etiam *in unoquoque tribunalium Romanorum* executioni data fuerit, quod etiam ex confeſſione Ferdinandi Regis amice conquerentis in Epiſt. Contareni Cardinal. Legati ad Cardin. Farneſ.

nef. 27. Juni. 1541. manifeftat; aiebat enim Rex, *Romæ fæpius agitatam, fed nunquam præftitam fuiffe morum emendationem.* Cui Contarenus Legatus fidenter refpondit, per plura Capita oftendens, in quibus jam reformata fit Curia Romana, addiditque, *ita pariter correctam in reliquis aulam, ut fi illius in præfentia mores cum præteritis conferrentur, fatis foret ad accufationem eluendam; cum ipfa emendatio non in paginis fed quod potiffimum eft, in operibus difcerneretur, fubditque, faffum tunc Regem, ea omnia vera effe.* Ita apud Pallavicinum l. 4. cap. 5. n. 4. falfum igitur eft, quod illa Prælatorum confilia *pro reformatione Curiæ* non fuerint audita, et ad aliud tempus remiffa.

Jam ex his omnibus luculenter patet, a vero longius abeffe, quod Rom. Pontifices et Curia femper Concilia et fui reformationem fubterfugerint: Febronius et alii, qui hac in parte illos accufant, rem et facta, non prout in fe funt, fed ex eventu metiuntur, et hinc eft, quod aliqui fummos Pontifices *ferio*, quæ fui officii erant, illi

econtra tantum *ficte*, et ad speciem egisse autument. Verum præpostere ita concluditur, quia eventus rerum in potestate hominum non sunt, et sæpe optimus finis ac saluberrimæ leges sine culpa legislatoris suo fructu et optato effectu frustrantur. Exemplum nobis præbet ipsa, quantumvis sancta Ecclesia, quod supra monui. Ab initio usque semper in ea zizania, abusus vitia fuerunt, et si post tot Canones, ordinationes semper adhuc aliqua emendatio necessaria fuit, si per posteriores Pontifices et Concilia iterum Canones et Statuta prodibant, etiam in iis punctis, in quibus anterius cautum et ordinatum jam fuerat, sicuti Siricius, Liberius, Innocentius I. Gelasius I. etc. Majorum Statuta et Canones sæpe urgebant, num idcirco a prioribus emendatio serio non cogitabatur, aut agebatur? quis venerandam antiquitatem de simulatione et fraudibus arguet? non culpa Pastorum id accidit, sed hominum, qui priores errores, abusus et vitia non deposuere, vel iterum resumpsere, aut novos addidere. A primævo ergo Ecclesiæ statu, et certa experientia ad illa, de quibus

lo-

loquimur, tempora, argumentari licet, in queis etiam, imminuto et fere extincto fervore, charitateque vitia, abusus jam amplius increverunt: et si æqui rerum censores esse volumus, non eventum, uti hodie multi perperam faciunt, sed ipsa dicta, gesta et temporum circumstantias respicere debemus, secus jam non historiam, sed nostra sensa (quod novissimis scriptoribus sæpe contingit) cum multorum injuria, et non sine errore falsi proponimus. Taliter Febronius ait, eo tempore *sinistra* et *tarda* media adhibita fuisse, sicut econtra alii Clementem VII. arguunt, quod contra Henricum VIII. Angliæ Regem *præpropera*, quamvis recta adhibuerit: utrique peccant, quod rem tantum ex eventu postea secuto, et tunc non præviso ponderent, cum ex una parte semper certo prævideri non potest eventus, ex alia nec ipsi certo spondere possunt, quid aliis adhibitis mediis futurum fuisset.

In Germania a multo jam tempore contra gravamina et abusus conclamatum fuit: gravamina per Concordata sublata, abusus hinc inde per Pontifices, uti vidimus, emen-

dati; attamen querelæ nunquam cessarunt. Non abnuo, fors quandoque adhuc contra Concordata peccatum, nec omnes abusus emendatos, vel potius leges emendationis non exacte observatas fuisse, hinc amplius querela fuit, gravamina adhuc subsistere, et emendationem seriam non esse: harum tumultu querelarum, et talibus sensibus etiam præstantiores tum, et ipse Ferdinandus Rex abripiebantur, donec a Contoreno Legato meliora edoctus fuit; sed tandem viris probis, rerumque gnaris patuit, illos maxime, et præprimis Protestantes de Romanis abusibus conqueri, qui jam laxitatibus studebant, bonis Ecclesiasticis inhiabant, propriis vitiis immersi nullam in seipsis reformationem admittere volebant, sicque reformatio solum propriæ laxitatis et vitiorum obtentus et excusatio, non defectionis caussa aut culpa fuit. Quid! Aeneas Sylvius Epist. ad Majer. Mogunt. jam ævo suo ausus fuit ad omnes minorum Sedium Curias provocare, ut cum Romana conferantur, *in quibus minus morbi grassetur, et magis ex ordine, rectoque instituto, quam in hac Romana res gerantur*,

hanc-

hancque reliquas *doctrina*, *experientia*, et *virtutibus* longe antecellere dicit. Lutherani vero gravamina et querelas ultra omnem modum et veritatis limites, uti ſupra vidimus extenderunt, exaggerarunt, et Ferdinandus Rex tandem ipſe faſſus eſt, querelas de Romana Aula tales non eſſe, prout publice denuntiabantur, atque jam in opere plurima correcta eſſe, quæ in tabulis non promulgabantur. Acerba Franciſci de Vargas peroratio contra Legatum Pontificis hic locum non meretur: huic immerito infenſus erat. Omnes boni, rerumque gnari libertatem Concilii Tridentini celebrant, et ipſa acta teſtatam faciunt: De Vargam confundit Didacus Payva Theologus Luſitanus et ipſe Concilio præſens, quin et Epiſcopi Hiſpani ſenſus, monita conſilia de Vargas tanquam violenta et minus apta deluſerunt, quod jam ſupra dictum fuit. Pallavicinus cum acerbis cenſuris et reprehenſionibus Franciſci de Vargas nihil commune habet; refert quidem fideliter, quod boni hiſtorici munus eſt, quinam ſenſus, Conſilia, ſtudia, ſuſpiciones, quorumdam animos ſæpe exa-

gitaverint, et revera tantus hominum cætus unius labii et sensus humanitus esse non poterat, et maxime dum quævis Natio suo genio abundabat, in propria studia et commoda ferebatur; hinc suspiciones, æmulationes et verborum dimicationes deesse non poterant, sed Præsidum ac Legatorum erat, nimium quandoque fervorem eorum, qui, ut ait Pallavicinus, abundantia voluntatis, aut penuria experientiæ laborabant, moderari, male affectorum, vel sinistre præoccupatorum animos propositis argumentis, aut ostensa veritate demulcire, donec post deliberationem tandem Spiritus S. ductu vota in unum collimarent, ubi ipsa rei conclusio et finis sæpe monstravit, quosdam antea perperam sensisse, vel magis zelo, quam circumspectione et prudentia pro re proposita emicuisse. Pro tali habendus est etiam Franciscus de Vargas judicio ipsorum Episcoporum Hispanorum, qui magis ex genio suo, quam ex veritate scripsit.

Quantum Reformationem Aulæ Romanæ in Concilio Tridentino attinet, præter plura alia testimonium habemus ab ipso

Pio

Pio IV. P. , qui, dum Cardinales libentius Romæ a Pontifice, quam a Synodo emendationem accipere vellent per Carolum Borromæum ad Moronum Legatum scripsit: *navanda tibi erit opera, ut ad reformandam disciplinam ea statuantur, quæ tibi ac reliquis honesta visa fuerint, et quæ possint Synodo satisfacere, et cuncto Christiano nomini prodesse, nulla habita rerum mortalium ratione, id enim gratissimum Pontifici accidet.* Adjecit Pontifex, velle se omnium primum subjici emendationis Sanctionibus, quæ in Synodo statuerentur, ex hujusmodi exemplo neque Cardinalibus, neque aliis Principibus illam gravem existimandam. Pallavic. Lib. 22. Cap. 1. et Lib. 23. Cap. 7.

Sed quo jure Febronius se judicem Concilii Tridentini sistit, hocque reprehendit, quod ejus Decreta reformationis sint insufficientia? num tantum Concilium suo ævo non accuratius expendere poterat, non melius novit, quid necesse sit, quidve expediat?

Verum est, quosdam cum articulis reformationis non plene contentos fuisse, plura optasse, et etiam postulasse, Cardinalem Lotharingum de hac re omnino publice protestatum fuisse. Sed 1. illorum vota et postulationes ad generalem reformationem tendunt, ut non modo in omnibus Ecclesiasticis, sed etiam in Laicis exactior disciplina et morum emendatio restitueretur: nos hic de sola reformatione Curiæ Romanæ agimus, de qua speciatim probari debuisset, Patres in Tridentino hujus reformatione contentos non fuisse. 2. Quod solummodo Aulam Romanam spectat, aliud est, nullam omnino correctionem admittere, et aliud a solo Pontifice, non a Synodo recipere velle: hoc ultimum petebant plures Cardinales, nempe quia perpauci ex Patribus genuinam de Aula Romana notitiam habebant, uti ait Pallavicinus Lib. 23. Cap. 7., et ideo tum ex hujus notitiæ penuria, tum ex aliqua æmulatione Præsulum transalpinorum erga Collegii Cardinalium prærogativas visum est Legatis, absurdissima propositum iri, unde non modica discordia et prolixitas oriretur; ideo dice-

dicebant Cardinales, si Legatus Romam emendationibus onerari vellet, non etiam emendationem Principum omitteret. 3. Ipse Archiepiscopus Braccarensis Bartholomæus de Martyribus Roma reversus summis laudibus extulit Pontificem, hujusque in disciplina reparanda studium, etiam quantum ad Cardinales spectat, ac publice dixit: *obstacula salutari emendationi non a Pontifice, nec ab ejus Sororis filio, sed a Nobis* (Concilii Patribus) *poni.* 4. Acerbius equidem quidam Patres locuti sunt in aliena emendatione rigidiores, ac in sua opinione semper tenaces; sed hi sæpe non nisi contemptum, et aliorum reprehensionem reportarunt, uti contigit inter alios Aialæ Segoviensi Antistiti, Giberto de Noguera Alifano Episcopo et aliis quibusdam ab ipso Salmanticensi et aliis Hispanis Episcopis: relati igitur hi audiendi amplius non sunt. 5. Lotharingus nomine Gallorum Episoporum quidem protestatus est, edita a Concilio Tridentino reformationis Decreta ad integram disciplinæ restaurationem non sufficere; sed uti jam semel dixi, ipse loquebatur de reformatione totius Reipublicæ Chri-

Christianæ, non solius Curiæ Romanæ: dein protestatus fuit non tam ex propria, quam Regis sui mente, qui illis emendationibus non omnino contentus videbatur: Lotharingus vero nihilominus fatebatur, illa Decreta pro eo tempore sufficere, *cum nondum graviora medicamenta pati potuerit Ecclesia.* Item postquam apud Pallavicinum lib. 23. Cap. 7. n. 9. dixerat, *tria se a principio optavisse in Concilio, plenam authoritatem ex parte Pontificis, summam fidelitatem in Legatis, perfectam Charitatem, pietatem, ac rerum notitiam in Patribus. Duo priora non deesse,* addidit: *nihil excusationis Patribus superesse, ne omnibus absolutam numeris emendationem prosequantur, quando Pontifex contestatus, fuerat in Senatu; se illam velle, et graviter oblocutus in eos aulicos, qui propriæ utilitatis caussa illi videbantur obsistere. — — — Quapropter illos hortari, ut sine ulla ad partes adhæsione aut animorum discordia opus perficerent, et ad Ecclesias reverterentur. Plurimum quoque Legatos commendavit, quam ipsis cordi esse sancta disciplinæ renovatio, ex Capitibus, quæ proposuerant, agnosci.*

Com-

Complura postea fuisse mutata, sed ab aliis, non ab ipsis, et fortasse non in melius. Per Canones, de quibus tunc sententiæ promebantur, potius relaxari veteres, quam novis vinculis restringi, eos tamen admittendos esse ob imbecillem temporis conditionem, per quos tanquam gradus ascenderetur ad primævam disciplinam secundum antiquiorum Synodorum Decreta. Ex his jam liquet, in quantum Lotharingus et Galli cum reformationum Decretis contenti fuerint, et in quantum non contenti erant. Saltem ille, quod Pontificem et Aulæ Romanæ reformationem attinebat, nil reprehendit, authoritatem et libertatem Synodi confitebatur, Legatos laudabat, ex parte Pontificis et Aulæ nihil deesse dixit. Hæc utique Febronium cum suo de Vargas directe confundunt. Posthæc num verba Leonis M. ad Anatolium Constantinop. in Pontificem et ejus Curiam pro Concilio Tridentino quadrant? quod si nihilominus Galli ea reformatione, quæ in Synodo agebatur, contenti non fuissent, plane ridiculum foret, eos ad Concilium accessisse, ut aliis gravius adhuc jugum imponerent, quan-

quando ipsi domum reversi nec levius portare mallent; alligarent aliis onera importabilia, quæ ipsi nec digito movere vellent. Attamen sanius pro circumstantiis temporum sensit Lotharingus.

Si tandem quæras adhuc: cur pax et unio universalis secuta non fuit? Respondeo cum Barthelio: abusus Curiæ et totius Ecclesiæ Romanæ non caussa defectionis, sed tantum prætextus fuère, et quod etiam post reformationem Tridentini unio secuta non sit, *id accidit non ex insufficientia medii, sed ex deficientia illorum, qui salutari hocce medio, antea expetito, uti postmodum spreverunt.* Si abusus, vitia, ignorantia caussa defectionis fuerunt, tunc præprimis ea, quæ in Clero Germaniæ reperiebantur, de quibus Cardinalis Campeggius ad restaurandam disciplinam in Germaniam missus in edicto de emendatione Cleri ex consensu et Consilio multorum Principum et Episcoporum promulgato in Proœmio dicit, *magnam hæresis caussam fuisse abusus et corruptos Ecclesiasticorum mores*: nihilominus his sublatis unio secuta non fuit; restat igitur, alias defectionis

nis cauſſas fuiſſe, quamvis negari non poſſit, Eccleſiaſticorum abuſus huic defectioni non ſolum prætextum, ſed et anſam præbuiſſe.

His omnibus rite perpenſis fundamento et veritate carent lamenta, atque querelæ, quæ num. 8. contra Curiam Romanam et Pontifices proponit Febronius. Omnino autem vana ſunt ejus vaticinia. Equidem inſcrutabilia ſunt Dei judicia: attamen abuſus et vitia Aulæ Romanæ reipſa non poterant eſſe cauſſa defectionis in Germania et alibi: Romani Pontifices emendationem non declinarunt, ſed promoverunt, perfecerunt. Hic ſermo non eſt de vitiis ſingulorum, privatorum, vel nonnullorum, ſed totius Curiæ Romanæ: ſed hæc teſte Aenea Sylvio, in doctrina et virtutibus cum omnibus minorum Sedium Curiis comparari, quin et his anteferri poteſt. Quod ſi igitur verba Hadriani VI. et delectorum a Paulo III. Prælatorum, ſi tamen hæc genuina ſunt, in omni rigore accipias, major adhuc erat deformitas reliqui Cleri, quam Romani, quod præter alia ex Capitibus a Cardinali Campeggio Clero Germaniæ propoſitis diſcere poteris. Saltem

 tem-

tempore Concilii Tridentini, et jam antea Curiam Romanam reformatam fuiſſe, teſtes ſunt omni exceptione majores magnus ille Cato, et nullius diſſimulator nævi, Cardinalis Contarenus, Ferdinandus Rex, Bartholomæus de Martyribus, Cardinalis Lotharingus, et ipſa Pauli III. atque Pii IV. PP. geſta teſtantur.

Febronius ut ſuis vaticiniis fidem faciat, atque omnia mala ex ſola Curia Romana, atque a Pontificibus in Eccleſiam manaſſe oſtendat, tom. 4. part. 2. pag. 292. ſimiles prædictiones ex D. Bernardo, Durando, Cardinali Juliano, Andrea Epiſcopo Magorenſi, Cardinali Alliacenſi, Joanne Fabro, impletionem vero harum prædictionum demonſtrat ex decem, item ex centum gravaminibus Germaniæ. Fucus et Fabulæ hæ ſunt, mulierculis, non viris prædicandæ. Inprimis ut dixi, hæc vaticinia juſto fundamento deſtituuntur, falſumque ſupponunt, quia res non eo modo, nec ſemper ita ſe habent, uti, prætenditur. Dein D. Bernardus, conſiderationes ſcribens ad Eugenium, olim diſcipulum ſuum, non ut Propheta, ſed ut aſ-

Aſceta loquitur, atque in loco a Febronio citato eum a dominatu cavere vult, non reprehendens, quod fecit, ſed monens, ne faciat; quare ex hoc Bernardi loco nihil contra Eugenium, nil contra ejus Curiam eruitur. Quoad reliquos notum eſt, quod nimii Zelatores ſemper aliis plus videant, et ſecundum ſuum Zelum, non ſecundum prudentiam res ponderent, et hinc minando terrent, non ex veritate docent. Quod ſi nihilominus poſtea eventus cum eorum judiciis coincidat, non ſequitur, illum prudenter et vere fuiſſe prævifum, neque quam ipſi imaginantur, ſemper eventus cauſſa eſt. Jam tempore Apoſtolorum hæreſes et defectiones a vera fide enatæ ſunt, et poſt hæc per quævis ſecula quot hæreſes ſubſecutæ, præcipue tempore peſtis Arianæ, ubi maxima ferme pars Eccleſiæ defecit? quænam harum defectionum cauſſa fuit? num fors abuſus in Collegio Apoſtolico? abuſus et vitia Eccleſiæ Romanæ et ſummorum Pontificum? Montaniſtæ, Donatiſtæ etc. etiam Eccleſiam Romanam erroris, laxitatis accuſabant, nihil-

ominus hæretici erant, et illa ipforum defectionis cauffa non fuit.

Profecto certior ego Propheta forem, fi dicam liber Febronii Proteftantes ad reunionem cum Ecclefia non revocabit, multos Catholicos ad contemptum Ecclefiæ Romanæ et fummi Pontificis inducet, falfis fuis Principiis inefcabit, nexum et fubordinationem fcindet, Ecclefiam Poteftati fecülari fervilem efficiet, ordinem Hierarchicum turbabit, unde fchifmata et omnia mala in Ecclefiam redundabunt. Ridebis, me etiam inter Prophetas effe? At meum vaticinium verum effe, a D. Cypriano edoctus fum. Ep. 3. ad Cornelium *neque enim aliunde hærefes obortæ funt*, ait hic loc. fupra cit., *aut nata funt fchifmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclefia ad tempus Sacerdos, et ad tempus Judex vice Chrifti cogitatur, cui fi fecundum Magifteria Divina obtemperaret fraternitas univerfa, — — — nemo diffidio unitatis Chrifti Ecclefiam fcinderet, nemo fibi placens ac tumens feorfim foris hærefin novam conderet.* Ex hac cauffa feculo XVI., *non aliunde obor-*

tæ

tæ sunt hæreses: ex hac caussa nascentur schismata ex libro Febroniano, quia inde discitur, Sacerdoti Dei non obtemperare, sed potius resistere, contemnere. Unus Sacerdos et Judex vice Christi magis negatur, quia genuina prærogativa Primatus, authoritate et Jurisdictione spolitatur. Talia esse principia Febroniana ex hactenus dictis ad oculum patet, patescetque ulterius. Viderint omnes, utrum pars hujus vaticinii non jamjam impleta sit?

Tandem dum Febronius abusus et vitia summorum Pontificum et Curiæ Romanæ ad tædium lectoris usque innumeris vicibus crepat, ne semper respondere cogamur, hucusque dicta sufficiant. Fatemur utique, Zizania etiam in illa sede fuisse, et fors adhuc esse: at negamus, tot, tanta et talia fuisse, qualia adversarii immoderato stylo depingunt: negamus, iis morbis medendis remedia nunquam adhibita fuisse: dicimus, Zizania in Ecclesia semper fuisse, semperque fore, donec in fine mundi area purgabitur: dicimus denique, non licere cum Zizaniis etiam, quod hodie fit, triticum eradicare.

 Un-

Unicum adhuc addo: quid Febronius pro reformatione tantopere urget Concilia? quid Romam continuo exagitat? quando omnes Ecclesias et Populos a legibus disciplinaribus Conciliorum generalium absolvit, sic ut non obligent, nisi sint receptæ, prout circa Tridentinum in Gallia factum ex prætextu, quod juribus Regni et hujus Ecclesiæ adversentur. Num solus Pontifex et Ecclesia Romana hisce legibus subjecta sit, etsi hujus juribus et Primatui adversari dicantur? hæc cum Principiis Febronii non conveniunt, ni iniquus censor esse velit: atque viliorem esse credat conditionem Romanæ Ecclesiæ et Pontificis, quam omnium reliquarum. Non ita veneranda antiquitas sensit: hæc a Romana Ecclesia et summo Pontifice leges accepit, non dedit, quod a nemine negari valet.

§. XVI.

Quæ de jure Generalium Conciliorum hoc Capite tradita sunt, ea firmantur, et illustrantur Authoritate Cardinalis Juliani, Pontificii ad Basileense Concilium Legati ac Præsidis.

Julianus Cardinalis Concilii Basileensis Præses disputationem habuit cum Bartholomæo

mæo Archiepiſcopo Spalatenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, ut eſt apud Martene et Durandum, atque illius aſſerta ſunt ſequentia: 1. Generale Concilium eſt coadunatio totius Eccleſiæ: ergo in repræſentatione eſt Eccleſia, ubi eſt Concilium. 2. Claves in Perſona Petri Eccleſiæ datæ ſunt: Eccleſia non eſt propter Papam, ſed Papa propter Eccleſiam: non dicitur, credo in Papam, ſed in ſanctam Eccleſiam Catholicam. Quidquid Papa jure et nomine Eccleſiæ poteſt, multo magis illa congregata valebit per ſeipſam. 3. Patres dicunt, Decreta Generalium Conciliorum ſicut quatuor Evangelia veneranda et ſervanda eſſe, et Auguſtinus, ſe nec Evangeliis credere, niſi eum moveret Eccleſiæ, proin et univerſalium Conciliorum authoritas. 4. Concilium generale ſuperius eſt Romano Pontifice ex Decreto Concilii Conſtantienſis, habens jus reformandi in Capite et membris. 5. Hoc jus Concilia exercuerunt, inprimis Romanum anno 963. deponendo Papam Joannem XII. 6. Item Concilium Conſtantienſe in Joannem XXIII. qui erat verus Papa. 7. Declarat inſuper eadem Synodus

pro hæretico habendum, qui diceret, Concilium non poſſe omnia facere in his, quæ pertinent ad generalem reformationem in Capite et in membris. 8. Idem firmat Bulla Martin V., in qua ſuſpectos de hæreſi jubet interrogari, *utrum credant, quod quodlibet Concilium Generale, etiam Conſtantienſe univerſum Eccleſiam repræſentet?* 9. Unum Concilium Generale poteſt indicere aliud ſequens ſine alia Authoritate, et nova indictione Papæ, uti notorie fecit Concilium Conſtantienſe. 10. Univerſale Concilium invitis Patribus diſſolvi aut transferri non poteſt, alias quomodo Concilium Papæ aliquid præciperet, et Eccleſia ſua jura tueri, et ſe defendere poſſet? 11. Supponere aut prætendere, quod ii, qui nomine Papæ Concilio præſident, omnimodam in illud poteſtatem habeant, repugnat fidei, æquitati et honeſtati. 12. Fuerunt generalia Concilia legitime celebrata ſine Rom. Pontifice. 13. Dum Papa ſe a Concilio ſeparat, eive contrariatur, poteſt Synodus illo abſente aut invito procedere. 14. Si ea occaſione ſchiſma oriatur, erit illud, et tenebit ſe ex parte Papæ, non

Con-

Concilii. 15. In tali occurrentia Concilium a Regibus et Principibus juste petet, et merito exspectabit protectionem adversus Papam refractarium, etiam cum subtractione obedientiæ. 16. Julianus refert Bullam quamdam ab Eugenio P. pro dissolutione Concilii ad omnes fideles missam, plenam hæresibus, quam Concilium non possit inexaminatam relinquere. 17. Quæ major deformitas, quam illa, quæ est in Capite, et in capite, quæ major deformitas, quam nolle suscipere monita Sanctæ Matris Ecclesiæ? 18. Ait, pejus futurum Basileæ, quam Senis, nisi ibi Patrum Constantia fuisset, et si Concilium Papæ cedat, universalem adeo necessariam reformationem minime secuturam esse. Post hæc Febronius prosequitur:

1. Et quidem Natales, officia, dignitatem, virtutes, studia et obsequia in Sedem Apostolicam, gloriosam mortem Cardinalis Juliani Cæsarini multis encomiis enarrat, hinc concludit, ab eo vera summæ Sedis jura non potuisse impugnari, nec consentiri in falsificationem Decretorum Constantiensium.

2. Objicientibus, in Basileensi Synodo nonnulla Apostolicæ Sedi adversa statuta fuisse, respondet Julianus, *Decreta hujus Concilii non esse contra Sedem Apostolicam, neque contra Eugenium, sed pro illa, et pro hoc: si ipse bene vellet vivere, salutem animæ suæ desiderare, et debitum suum facere.* Sane *privata* Eugenii *vita* omnium coævorum testimonio innoxia fuit; igitur hæc inculpatio non potest, nisi in illam neglecti officii partem cadere, nempe reformationem universalis Ecclesiæ, quam ante Pontificatum jurato promisit, et postea diplomate confirmavit. Referente Raynaldo moriens exclamasse dicitur: *O Gabriel, quanto magis conduxisset animæ tuæ Saluti, si nunquam Cardinalatum, nec Pontificatum obtinuisses, sed in tuo Monasterio religiosam disciplinam coluisses.* Væ Curiæ! quæ tales morientibus Principibus suis gemitus extorquet.

3. Gregorius Corrarius venetus in Concilio Basileensi dixit, si omnia membra vitio laborarent, prius in Caput curam conjiciendam esse, a quo salutem totius corporis necesse est derivari, multa a Concilio fa-

facta esse decreta, sanctiones, leges, necquicquam fieri omnia, nisi Sedes Apostolica exequatur. Hæc Curiæ Romanæ minime sapiunt; hæc se reformare nolens, nec ab Ecclesia reformari patiens omnia media ad dissipandam Synodum adhibuit. Aegro amaram, sed salubrem potionem præbere, anne ei nocere est? hoc quidem Eugenius putavit sanus, moriens non item.

4. Dixit Julianus: *Articulus fidei est, credere unam sanctam Ecclesiam Catholicam; an ergo ipsa sit supra Papam, qui est Minister ejus, an non, hoc ad fidem pertinet?* affirmativa posterioris propositionis ex decreto Concilii Constantiensis *articulus fidei est.* Ita edixit Julianus: *cum Concilium Constantiense*, inquit, *et Bulla Martini dicat, quod si quis diceret, Concilium non posse facere omnia in his, quæ pertinent ad reformationem in Capite et membris, et in aliis casibus expressis in decreto, est hæreticus.* Nec aliter sensit integrum Collegium Patrum Basileensium in epistola anno 1432. tertia Septembris ad Eugenium data: *si in Evangelio reperiremus scriptum Decretum illud Constantien-*

tienfis Concilii , quod Papa tenetur obdire Concilio, hoc hæreticum effet revocare indubium. Sic etiam hæreticum eft, fi quis illi Decreto contumaciter contradicat. Febronius temperamento uti voluit Natalis Alexandri tom. 8. pag. 427., dum hic ait: quamvis ita fenferunt Theologi Parifienfes, et viri doctiffimi in Concilio Bafileenfi, attamen dicere nolumus, uti nec fentimus, Doctrinam de authoritate Concilii fupra Papam effe dogma fidei, et oppofitam opinionem effe hæreticam. Ifta Differfio fidei fummam non fpectat, quamvis ad materiam fidei aliquo fenfu quæftiones hujusmodi pertineant, quia Ecclefiæ et fummi Pontificis poteftas, de cujus amplitudine difputatur, fidei dogmata fundat plurima. Sic quoad duo Decreta Seffionis quintæ dogma fidei eft, quod Concilium generale univerfam Ecclefiam repræfentet; dogma fidei eft ex illo confequens, quod Concilium generale in Spiritu S. legitime congregatum errare non poffit: dogma fidei eft, quod Concilii generalis ftatutis etc. ad fidem, extirpationem fchifmatis, et reformationem Ec-

Ecclesiæ pertinentibus omnia ejusdem Ecclesiæ membra parere teneantur. Adeoque Decreta Sessionis V. ad materiam fidei ratione istorum dogmatum pertinent, quamvis propositionem de Concilii authoritate supra Papam, ut ipsum puniat, ac deponat, si statutis suis ac mandatis obedire contumaciter contempserit, esse dogma fidei tota Ecclesia non conveniat. Ita in re Natalis Alexander.

5. Romani dicunt, authoritatem Apostolicæ Sedis submitti Concilio, non quidem seorsim sumpto, sed unito suo Capiti Rom. Pontifici, quia illud sine hoc non est universale, neque sine eo *tota Ecclesia*. Sed num ideo Basileensium sententia minus firma et defenda est, qui non solum *verbis* Decretorum, sed et concomitantibus Concilii Constantiensis *actionibus*, vim et sensum verborum interpretantibus usi sunt ad probandam authoritatem Concilii etiam a Papa derelicti, atque contradicente: *Concilium Constantiense*, ait Cardinalis Julianus, *declaravit discessum Joannis XXIII. scandalosum, et turbativum universalis status Ecclesiæ, et tamen*

per

per talem fugam non dissolvebatur Constantiense Concilium. Hinc aperte intelligitur, quis fuerit sensus Concilii sua decreta Sess. IV. et V. paulo post fugam Joannis Papæ condentis. Neque minus verum est, Basileensem Synodum, Martinum V., et Eugenium IV. decreta Constantiensia acceptasse in eo sensu, in quo lata sunt. Si Ecclesia nunquam considerari Potest sine Papa, frustra dixit Innocentius III. serm. 2. de consecrat. Pontif. *in tantum mihi fides necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum Judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fidem committitur, possim ab Ecclesia judicari.*

6. Dicunt, quæ Constantiæ occasione *dubiorum* et *Schismaticorum Pontificum* decreta sunt, Basileenses ad Eugenium P. et quemcunque *Pontificem certum* applicant. At pauci ignorant, Constantiensia Decreta juxta votum Gersonii condita fuisse: Gersonius autem totus in eo est, ut authoritatem Concilii *cujuslibet* in *quemlibet* Papam statuat. Dein 1. Generale statutum est, de quocunque generali Concilio sine limitatione aut ex-

exceptione. 2. Exprimit reformationem Ecclesiæ in Capite et in membris. 3. Non tantum hujus Concilii mentionem facit, sed cujuslibet alterius legitime congregati 4. Pænas statuit in non obedientes, cujuscunque dignitatis sint. 5. Authoritatem suam in Papam derivat ex eo, quod Ecclesiam Catholicam repræsentet, et errare non possit, quæ duo omnibus Conciliis generalibus conveniunt. 6. Joannem XXIII pro legitimo Pontifice habuit, sed hunc Concilio parere, et se Pontificatu abdicare vult, secus abdicandum esse decernit. 7. Exuit eum Papatu, non ut Papam dubium, nec ut schismatis fautorem, sed auditis legalibus informationibus tanquam *Simoniacum, jurium nedum Romanæ, sed plurimum aliarum Ecclesiarum dilapidatorem, malum spiritualium Bonorum Ecclesiæ administratorem, vita et moribus scandalosum, in his et aliis malis obduratum atque incorrigibilem.* Igitur Concilium credidit, hæc crimina cum schismate nihil commune habentia sui fori et cognitionis esse, et recte Basileenses ad Eugenium P. scripserunt: *Concilium Constantiense Benedictum*

pro-

propter Schismа, Joannem XXIII. propter Deformitatem vitæ depofuit. Accedit, illa decreta in pleno Concilio, re prius per Nationes difcuffa, unanimi Patrum confenfu definita, et a Martino V. folemniter approbata fuiffe. Natalis Alexander tom. 8.

7. Julianus Eugenio dicenti, Concilium fuam poteftatem excedere, repofuit: *præfuppohit in Bulla fua, nos non potuiffe facere multa, quæ fecimus: quod fi toleraretur, nimis effet grave pro Ecclefia Dei; nam faceret dubitari de Conciliis præteritis et futuris: quia ficut unum ruit, aut aliqua ejus pars, ita et aliud. Si Concilium cederet, et Papa obtineret, actum effet de Chriftiana Religione, et licet Papæ fierent peffimi, nullus effet, qui auderet eis dicere quidquam. Si hæc et fimilia diceremus, Ecclefiam facere non poffe, certe fequeretur, Chriftum minus fufficienter providiffe Ecclefiæ fuæ fanctæ.* Febronius hic varia interloquitur, explicationis gratia, fed in idem coincidunt P. Benedictus Oberhaufer Prælect. Can. lib. 1. tit. 33. §. 22. dicit, magnum Ecclefiæ vulnus in difciplina accidiffe, *dum authoritati Conciliorum Provin-*

vincialium Sedes Apoſtolica præſcripſit: quid fiet, ſi energiam Conciliorum generalium unius Pontificis arbitrio ancillari dixerimus?

8. Eugenius P. his, aliisque compulſus poſt 14 Seſſionem Synodum Baſileenſem tanquam a ſuo exordio *generalem* ſimpliciter et abſolute acceptaſſe creditus eſt a Concilio, Imperatore, Principibus, univerſitatibus et omni Republica Chriſtiana Cardinalis de Turrecremata ait lib. 2. de Eccleſ. Cap. 100. Eugenium Juliano hanc acceptationis Bullam in Concilio Florentino alleganti reſpondiſſe: *Nos quidem bene progreſſum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ut inceperat, non tamen approbavimus ejus Decreta.* Boſſuetus judicat, ejusmodi dicta nullatenus ſufficientia, ad evertenda, aut etiam interpretanda ea, quæ *Synodice* geſta, decreta, et approbata ſunt. Cardinalis Orſi regerit, hic non quæri, quid in Concilio decretum, approbatumve fuerit, ſed quo ſenſu ea Pontifex probaverit, cujus melior, graviorque interpres eſſe non poteſt, quam ipſe Pontifex. Aſt hæc juſtis interpretationum regulis manifeſte adverſan-

tur. Talis mediante Imperatore concordiæ ratio inita fuit, ut Eugenius Concilium Basileense susciperet, et probaret: sed circa formam Decreti in hac re difficultas fuit: primo scribebat Eugenius: *volumus et contentamur, præfatum Basileense Concilium a tempore inchoationis suæ continuatum fuisse et esse.* Patres his non contenti postulabant verba: *decernimus et declaramus.* Post aliquot mensium moram tandem in hæc verba Bullam expedivit Pontifex. Concilium, Imperator, unionis interpres, totus mundus hæc verba intellexit non de *materiali* solum continuatione, sed de *gestis* etiam, *conclusis et Decretis Synodi.* Tardior illa et privata Eugenii interpretatio omni Juri gentium, Bonæ fidei et honestati repugnat, atque ex communibus regulis contra eum facienda est, qui post multos tractatus clarius loqui potuisset, ac debuisset, si tamen prudens dubium, suspicio doli aut sinistræ interpretationis subesse potuit, quod nemo æquus arbitrabitur. Ridiculum de *extorto per metum schismatis* pontificis accessu ad Synodum, exploditur supra ad 13.

9. Sa-

9. Sane ante mortem Eugenius aliter ſenſit. Nam cum in Conventu Francofurtano ejus Legati Nationi Germanicæ inter alia poſtulata, teſte Cochlæo, etiam hoc addixiſſent: *ut profeſſio Poteſtatis, authoritatis et præeminentiæ generalium Conciliorum, Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantium, præſertim Conſtantienſis et Baſileenſis per tuos oratores facta tuis litteris approbetur.* Eugenius octodecim ante obitum ſuum diebus ad hoc poſtulatum ita reſpondit: *Concilium generale Conſtantienſe, Decretum* frequens, *ac alia ejus Decreta, ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, authoritatem, honorem et eminentiam, ſicut et cæteri anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur et veneramur.*

Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſ. tom. 18. ait: Eugenium P. non majorem authoritatem Decreto Concilii Conſtantienſis *frequens* contuliſſe, quam Martinus tribuiſſet, ac profeſſum ſe a Prædeceſſorum veſtigiis nolle deflectere. Hæc Raynaldi ob-

ſervatio viro probo minus digna eſt. Non habuit in animo Natio Germanica exigere a Papa declarationem ſuper qualiquali ſubmiſſione aut acceptatione unius, alteriusve Decreti, eave ſolum ad caſum ſchiſmatis reſtricta, ſed univerſim omnium Decretorum hujus et aliorum Conciliorum generalium. *Niſi Eugenius Nationis Germanicæ onera tolleret, et authoritatem Conciliorum, ut Conſtantiæ declarata fuerat, profiteretur, ſe ipſius depoſitionem in Baſilea factam amplexuros*, inquit Gobelinus in Comment. Pii II. lib. 1. Non venit Eugenio in mentem dicere aut cogitare, Concilium Conſtantienſe a ſe *pro parte* recipi, *pro parte* repudiari, Decretum Seſſionis V. non pro ſua Perſona, ſed pro futuris caſibus *dubiorum* Pontificum admitti, quod ſi unquam ſerio hoc cogitaſſet, hic debuiſſet exprimere, ſed in priori ſenſu recepit, neque ut unus Martinus V., qui ſolus a Conſtant. Synodo Eugenium præceſſit, ſed *ſicut cæteri* Pontifices *Anteceſſores*. Dicant, qui volent, Papam non potuiſſe ſucceſſores ſuos Concilio ſubjicere. Hi ſupponunt, aut verius fingunt ſtatum perpetui in

Ec-

Ecclesia Belli inter Papam ex una, Concilia et Nationes ex altera parte, nulla ratione terminabilis. Mirum! in quæ absurda se conjiciant, qui contra tot et tam evidentia argumenta authoritatem Conciliorum Constantiensis et Basileensis impugnare, aut eorum Decreta sinistre interpretari pergunt, evidenti Ecclesiæ detrimento.

10. Jam præeunte Cardinali Juliano ex adversariorum sententia scandala enumerantur. Scandalum est, quod Papa ex diffidentia Spiritus S. nolit Conciliorum generalium cognitioni suam prætensionem, ad minus dubiam submittere, et horum decisioni stare. Scandalum est, perpetuo disputare de caussa, quæ legitima authoritate, et bona fide terminata credebatur, cuique nihil firmum opponi potest: prudentiores ut galli, tales disputationes non admittunt. Scandalum est, velle tollere finale, unicum, adeoque necessarium medium auferendi *maxima*, quia *universalia*, Ecclesiæ scandala. Scandalum est, Ecclesiam exponere crisi et derisioni hæreticorum, quasi in illa nesciretur, penes quem in dissidio Concilii cum Papa

 sit

ſit major authoritas. Scandalum eſt, ſi Papa per ſe vel ſuos Legatos vim coactivam in Patres Concilii ſibi aſſumat, iis liberam ſtatuendi facultatem abroget, eadem ſecum ſentiendi neceſſitatem imponat, ex pluralitate votorum concluſum in rebus diſciplinæ facere renuat. Scandalum eſt, ubi Papa prætextu prætenſionum, antiquitati ignotarum, Synodum ipſam et ejus præſidium declinans hoc incertis capitibus relinquit, et ſic inordinationum cauſſa efficitur, ex quibus dein anſas illius Decreta arrodendi deſumit. Scandalum eſt, ſi Papa Concilium legitime congregatum agnovit, hocque ad neceſſariam reformationem ſuæ Curiæ accedere videns, illud propterea diſſipare conatur, ſicque Eccleſiam periculo ſchiſmatis exponit, et hujus cauſſam Synodo contra jus et fas imponit. Scandalum eſt, inter reſuſcitatas diſputationes de Superioritate Papæ et Concilii Sponſam Chriſti lutulento cœno linquere. Scandalum eſt, de infallibilitate Conciliorum generalium quotidie diſputare, atque illam velle derivare a Pontificiæ inerrantiæ Privilegio, tam parum firmo, quo vacillante om-

nia-

nia corruant. Quod prætextus Superioritatis Papæ præ Concilio ad evitandam reformationem inanis ſit, aperuerunt Patres Baſileenſes 3. Septemb. an. 1332. Epiſt. ad Eugen. P. *dicitis, impoſſibile videri ſimul de Principatu Eccleſiæ et moribus diſputare. Diſputatio iſta cur neceſſaria ſit, non intelligimus. Nos ſemper debitum ſuæ Sanctitati reddimus. Semper reddat et ipſa, quod debet univerſali Eccleſiæ, recognoſcendo authoritatem Concilii generalis juxta Decreta Sacræ Conſtantienſis Synodi.*

Poſt hæc qui judicii de vero, æquo et bono capax eſt, ſtatuat de cauſſa, et facto Patrum Baſileenſium, Decreta Conſtantienſia plenis votis adoptantium, rite interpretantium, et debite exequentium, atque ita demum optet inter Sententiam Juliani Cardinalis et Eugenii Pontificis: attamen optando parcat Catholicæ unioni.

11. Dum dixerat Julianus, in Synodo Baſileenſi *quotidianas eſſe diſſenſiones et Scandala*, Cardinalis Orſi concludit, inde manife-

ſtum eſſe, *quam perniciofa et infeſta Eccleſiaſticæ paci* et unitati ſint Conſtantienſia Seſſ. V. Decreta, niſi ad tempus ſchiſmatis et dubiorum Pontificum referantur. At inprimis quamvis Eugenius ſemper quereretur, in Concilio Baſileenſi plura non jure agi, tamen illud ab initio uſque ad Seſſionem 24. pro legitimo et æcumenico agnovit. Dein indagandum eſt, quis primaria harum inordinationum cauſſa fuerit? quamdiu Julianus cum Concilio ſtetit, dixit publice hic vir, fuiſſe Papam. Propter abuſus, qui poſt diſceſſum Juliani Præſidis et conſenſum majoris partis Patrum Concilio jam ſoluto evenerunt, non ſequitur, legitimum Conciliorum generalium uſum abrogandum, vel competentem eis authoritatem minuendam eſſe. Quod ſine Præſidio Papæ in Conciliis generalibus procedi poſſit, probarunt Conſtantinopolitanum anno 381. et Conſtantienſe a fuga Joannis Papæ uſque ad electionem Martini V. Quod Pontifex propter negatum ſuum præſidium omnia Concilia abſque remedio perpetuo declinare, et impedire valeat, aut ſuis juribus exuere, non creditur.

Et

Et quod illud remedium? illud, quod verbo et facto monstravit Concilium Constantiense. Sed clamabit Orsus: *subest novum periculum schismatis.* Sed quidquid eveniat, minus malum erit hujus schismatis, quam gravissimi illius, quod prædixit Julianus, et nos a tempore Lutheri perdurare videmus, et fructum impeditæ legitimæ authoritatis Conciliorum diximus: imo utriusque schismatis eadem caussa est, scilicet neglectus Sacrorum Canonum, præsertim Conciliarium.

12. Cardinalis Julianus in Synodali responso ad oratores Eugenii P. anno 1435. ostendit, qualiter Papa sit Ecclesiæ, etiam in Concilio congregatæ Caput, quomodo præcipua authoritate polleat, Concilia confirmet, et illis nihilominus subjectus sit, et inferior? nempe *si decreta Synodalia diligenter, et per alios suo exemplo et jussu servari faciat, ita* suos antecessores Ss. Pontifices Damasum, Gregorium, Gelasium etc. fecisse: sic nihil Rom. Pontificis authoritati detrahi, sed accrescere. *Quidquid enim in sacris statuitur Conciliis, sua etiam authorita-*

te statuitur, quæ semper ibi refulget ut prima et præcipua præ omnibus, Caput et directrix. Et cum aut personaliter, aut authoritative semper in Synodis universalibus intersit, ipseque Ecclesiæ Rector sit et Pastor, decreta Conciliorum etiam et Sedis Apostolicæ non immerito dici possunt. — — — Magis ac præcipue operatio quævis Capiti appropriatur, et adscribitur, ab ipsoque magis, quam ab alio Corporis membro procedere censetur. Itaque non secus Synodalia decreta pro suo debito et honore exequi debet, et per alios servari facere, quam si ab ore proprio dictata et promulgata essent. Dum enim ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit, et sub nomine suo ac Persona omnia decernuntur. Dum abest, sui Præsidentes, qui vice ejus funguntur, locumque Apostolicum tenent, et Personam Pontificis repræsentant, per sacrum Concilium deliberata concludunt. Per Concilium autem statuta in nullo derogant suæ Potestati, quin pro eo tempore, loco, caussisque et Personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari, dispensarique possit, atque uti summi Principis Epikeia, quæ ab eo aufferri nequit.

quit. Præſtat hoc Juliani Synodale reſponſum centum Scholaſticorum lucubrationibus, quas ſæpe zelus dictat, ſed non ſecundum ſcientiam Scripturarum et traditionis diſcretus.

Nota.

Febronius, quod ſæpe dixi, duobus Conciliis Conſtantienſi et Baſileenſi tanquam fundamento præprimis innititur; quæ enim ex Scriptura et traditione ab ipſo prolata ſunt, facile ſolvuntur, minus ſua principia adæquant, quin duobus his ſacris fontibus pleniſſime refellitur. Quod ſi ergo etiam illæ duæ baſes, quibus ſuum ſuperſtruit ædificium, vacillant, totam molem ruere neceſſe eſt. De Concilio Conſtantienſi, quantum ſatis eſt, jam dixi initio hujus capitis. Prudentis, minusque præoccupati lectoris judicio relinquo, an non rite perpenſis omnibus, ad minimum *dubia*, ſi non omnino inanis et *nulla* ſit authoritas Decretorum Conſtantienſium Seſſ. IV. et V., de quibus hic agitur, atque in ſenſu, in quo a Febronio et adverſariis ſumuntur. Fruſtra ille ſem-

ſemper ad Natalem Alexandrum provocat, quaſi hic omnia argumenta contraria ſolviſſet: cum tamen non ſolum his argumentis non ſatisfacit Natalis, ſed et ejus conjecturæ optime diſſolvuntur. In vanum ergo et præſumptuoſe cum Natali ſemper exclamat Febronius, nullam falſitatem eſſe majori veneratione et confidentia prolatam et ſcriptam, dum idipſum longe æquius ſibi ipſi reponi poterit. Jam ad Concilium Baſileenſe, alteram Febronii baſin greſſum facimus.

Cardinalem Julianum in ſcenam ſiſtit: ſed quando adverſarius ad hujus cum Bartholomæo Archiepiſcopo Spalatenſi Diſputationem in publico Concilio habitam ſe refert, quare ſolius Juliani dicta in medium producit, et non etiam ea, quæ reſpondit, duplicavitque Spalatenſis? ut juſtum judicium ferri poſſet, non ſolum quæ ſuam in rem faciunt, ſibique favent, ſed utriusque dicta ſincere et ſine dolo lectoribus proponi debuiſſent.

Attamen dicta, geſta Cardinalis Juliani in Concilio Baſileenſi eo tempore, quo illud ab

ab Eugenio averſum eſt, nullum robur, fidem et authoritatem habent, dum hic Cardinalis ea omnia ſerio ac dolens retractavit, ſe in his erraſſe, alios decepiſſe dicit, atque detaſtus fuit.

Pius II. in Bulla retractationis, poſtquam ſuam cum Cardinali Juliano de rebus Baſileenſibus Diſputationem narraſſet, ubi Pius, adhuc Aeneas Sylvius, generalis Concillii authoritatem extollebat, atque Baſileenſe poſt diſſolutionem Eugenii jure perſeveraſſe defendit, Julianus econtra diſſolutum et rite translatum affirmavit, Baſileæ non Synodum, Eccleſiæ, ſed Sathanæ et Miniſtrorum ejus Synagogum remanſiſſe dicens, poſt hæc Pius II. Julianum ita locutum fuiſſe refert: *tu, inquit, Aenea, tabellis obſignatis agis mecum, et quoniam aliquando ſenſimus, ut dicis, idcirco et hodie idem putas debere ſentire, et addictos priori ſententiæ cenſes. — — — Fateor, me dixiſſe, et ſcripſiſſe, quæ refers. Verum a vero remotum erraſſe. At tu, qui, ut ais, me doctore Baſileenſibus cedere adductus es, errantem olim ſectatus es, cur modo non ſequeris recta monentem? præſumji de me-*

meipso, dum essem Basileæ, nimis. Quamvis deceptus decepi, et credens prodesse nocui; in medio Ecclesiæ docens, non didici: cæcus erravi, et in tenebris ambulavi: reliqui tandem Ecclesiam malignantium, et cum impiis sedere recusavi. Revelavit Dominus oculos meos, cognovi priorem errorem, et quantum a vero procul abiissent Basileenses, plane intellexi. Adii Romanam Curiam, et Eugenio cum fuissem rebellis, submisi cervicem. — — — *Ad fontem veri perveni, quem sancti Doctores ostendunt Græci et Latini, quorum una vox est, salvari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet unitatem, omnesque virtutes mancas esse ei, qui summo Pontifici obedire recusat, quamvis in cinere et Cilicio jacens dies et noctes jejunet, et oret, et in cæteris videatur legem adimplere, quia melior obedientia quam victimæ, et omnis anima Potestatibus sublimoribus subjecta est. Et Romanum Præsulem in Ecclesiæ vertice constitutum esse constat, a quo nullam ex ovibus Christi exemptam novimus: ego ad ovile redii, qui diu erraram extra caulas, et Pastoris Eugenii vocem audivi. Tu*

si

si sapias, idem facias. Apud Harduin. tom. 9. Col. 1456. Febronius dum num. 1. Cardinalem Julianum summis laudibus extollit, omnes ejus dotes largiter exponit, ut ei fidem et authoritatem apud lectores conciliet: sed reticet ejus resipiscentiam, retractationem et pœnitentiam in iis, quæ in Concilio Basileensi contra Eugenium dixit, gessitque, postquam retractationem ea omnia nullam amplius fidem et authoritatem habere possunt. Hoc quid aliud est, quam lectorem fallere, atque mala fide incedere; quippe hac retractatione omnia Febronii fundamenta super hoc Cardinali fundata unico ictu evertuntur, caduntque.

Febronius ut lapidem hunc moveat, tom. 3. tit. 5. §. 6. ait, *Pium P. equidem conatum fuisse, Cardinalem Julianum socium facere suæ inconstantiæ et mutabilitatis ingenii in dijudicanda caussa Ecclesiæ. Ex Aneæ Stylo et colloquio solum intelligi, Julianum, postquam plures Patres ab urbe Basileensi et a Concilio jam discessisse, et rem ad Schisma vergere videret, ad hoc impediendum, consequenter optimo fine, suum Præsidis munus depo-*

depoſuiſſe, et ad Eugenium rediiſſe. — — — Quando interim ne verbo aut alio indicio conſtat, illum egregia ſua pro ſuperioritate Concilii argumenta aut refelliſſe, aut alienum ab eis animum demonſtraſſe, ſcilicet in et pro caſu, quo illis citra periculum ſchiſmatis uſus ſeu locus daretur. Ergo vitio reputetur, inconſtantia et mutabilitas ingenii vocatur, quando Aeneas Sylvius, et Cardinalis Julianus a ſenſu et ſententia Baſileenſium receſſerunt? vitium eſt, ſi quis a vero ad falſum, a bono ad malum deflectat: inconſtantia et mutabilitas ingenii eſt, ſi quis ſine rationabili motivo aut fundamento ſuam ſententiam mutet: virtus eſt, in malo non perſeverare, veritatem inquirere, eam amplecti, errata emendare, ab errore reſipiſcere. Verbo: inconſtantia in malo laudabilis, ſola in bono vituperanda eſt. At Aeneas Sylvius et Cardinalis Julianus num in bono, veroque inconſtantes fuerunt, ideoque vituperandi ſunt? nequaquam: a falſitate ad veritatem, a fraudibus et falaciis ad rectitudinem, juſtitiamque deflexerunt: hoc uterque ſinceris, clariſque verbis profitetur. Sed neque im-

pro-

provide et leviter, nec ſine veritatis convictione hi viri ſuam mutarunt ſententiam: nam teſte Gobelino lib. I. ita Aeneas Sylvius Cæſaris Legatus tunc Romam miſſus ad Eugenium P. peroravit: *plurima ego, dum Baſileæ fui, ſcripſi et feci, nihil inficior, erravi, quis neget? verum ubi errorem deprehendi Baſileenſium, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, ut ab altero duorum extremorum ad alterum, non ſine conſultatione et mora tranſirem. Manſi apud Cæſarem tribus annis, ubi nihil dubii mihi relictum, quin te penes ſit veritas.* En ſtudium et inquiſitionem veritatis, en moram atque convictionem! pariter cum idem Aeneas Sylvius cum Cardinali Juliano Viennæ Auſtriæ de rebus Baſileenſibus ſæpe colloqueretur, horum ſententiam de authoritate Conciliorum defenderet, Cardinalem propriis ſuis ſcriptis, dictisque, ut ipſe ait, convincere vellet, Julianus illam Confeſſionem et retractationem, quam ſupra ex Aenea recitavimus, protulit. Maximam contumeliam redolet, quod Febronius alicubi dicit: *eruditi vix credunt, Aeneam poſt conſcenſam Petri Ca-*

thedram privatum animum ſuum ſerio mutaſſe, quamvis id tum politice affectaverit. Febronius hos, *eruditos* non nominat. Quanta autem injuria eſt, tantum Pontificem accuſare ſine teſtibis, ſine tabulis, quod publice fingere, decipere, mentiri voluerit! quis credat, eum cum propria ſui objectone et deſpectu aliis imponere voluiſſe? talia etiam de infimæ plebis homine, cui honor et fama in tantum cordi non eſt, ut perſuadeas argumentis et probationibus opus erit. Nemo *eruditus* aut *probus* modernorum Politicorum fraudes et fictiones viris anterioris ævi, ubi ſinceritas pro virtute adhuc æſtimata fuit, et quidem doctrina ac Majeſtate venerandis ſine manifeſto argumento affingit; ſed et ſupra citata Gobelini verba oſtendunt, Aeneam Sylvium jam ante Papatum atque Cardinalatum animum ſuum mutaſſe.

Quando Febronius prætendit, Juliani mutationem et illa ab Aenea citata verba ſolum ad finem Concilii Baſileenſis pertinere, ubi res ad ſchiſma jamjam vergebat, et plures Prælati a Concilio receſſiſſent, eum vero ſua pro Concilii ſuperioritate argumenta nul-

nullo verbo aut indicio refelliſſe, aut alienum ab eis extra periculum ſchiſmatis animum demonſtraſſe, miror, Febronium talia in publicum edicere potuiſſe, prout id etiam tom. 2. Cap. 6. §. 2. affirmat, quando et indocti, et qui vix legere norunt, contrarium in verbis Juliani clare deprendunt.

Julianus dicit ſe *erraſſe*, *deceptum decepiſſe*: ſed quando res ad ultimum ſchiſma vergebat, ipſe jam non *erravit*, *deceptus* fuit, *decepitque*, ſed ut teſtatur ipſe Eugenius IV. in Concilio ferrarienſi in Decreto primæ Seſſionis apud harduin. tom. 9. Col. 735. Julianus Baſileenſes non ſolum valdiſſimis rationibus dehortatus eſt, ſed et quod omnibus notum eſt, ab iis omnino diſceſſit: ergo jam prius erravit, decepitque. Et profecto quam in illo colloquio contra Julianum tenuit ſententiam Aeneas Sylvius? nunquid eam de ſuperioritate Concilii ſupra Pontificem? et quam ipſe in Concilio Baſileenſi defendit libello edito, Rectori et univerſitati Colonienſi inſcripto, *de Poteſtate Concilii ſupra Pontificem*, ac *de geſtis Baſileenſium* et Eugenii contradictione? ipſe enim Pius P. in

 ſua

ſua Bulla retractationis ſic ait: *extollebamus generalis Concilii authoritatem*, *ille* (Julianus) *Apoſtolicæ Sedis Poteſtatem magnopere collaudabat.* Et inferius: *ad extremum cum ſuis ſcriptis*, *dictisque Cardinalem vinceremus*, *prememremusque vehementer*, *ſubridens ille*, *tu*, *inquit*, *Aenea etc.* Quæ ſunt autem illa Cardinalis pro Concilii ſuperioritate *ſcripta*, *dictaque*, niſi quæ in Concilio edidit. Vides proin, illam concertationem inter Cardinalem Julianum et Aeneam Sylvium non de ſchiſmate in fine Concilii fuiſſe, cui Cardinalis non aſſenſit, adhæſitque, ſed de ipſa ſententia, quam Julianus tanquam Præſes per ſua dicta et ſcripta circa Superioritatem Concilii contra Eugenium publice tenuit, defenditque. Hanc vero ſententiam mutavit, retractavit, uti ex ejus verbis ſupra allatis patet, ſicque alienum omnino animum ab ea ſententia monſtravit, et quidem ſimpliciter, ſine exceptione, adeoque etiam *extra caſum*, *quo eidem citra periculum ſchiſmatis locus daretur.* Quin imo eam ſententiam nunquam a periculo Schiſmatis abeſſe, monſtrat per ea verba, quod defendendo il-

illam ſententiam ſe dicat, *Eugenio fuiſſe rebellem, et diu erraſſe extra caulas Paſtoris Eugenii.*

Argumenta vero ſua tum utique ſatis refutaverit, quando Aeneæ ad ſuas objectiones reſpondit, quamvis ea Cardinalis reſponſa diſtincte non memoret Aeneas, et quando ſua dicta et ſcripta *falſa, errores, deceptiones* vocat. Denique quando ait, *ſe Eugenio fuiſſe rebellem, ad fontem veri perveniſſe, quem ſancti Doctores oſtendunt Græci et Latini, quorum una vox eſt, ſalvari non poſſe, qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non tenet unitatem. — — — Et omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſt, et Romanum Præſulem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe conſtat, a quo nullam ex ovibus Chriſti exemptam novimus.*

Singula verba meditatione Febronii digniſſima ſunt: hæc declaratio, iſta confeſſio omni alia refutatione potiora ſunt, hæc aperte oſtendunt, illa argumenta et ſententiam, quæ pro Superioritate Concilii contra Eugenium P. defendit, dixit, ſcripſitque, falſa,

errores, deceptiones esse, ad rebellionem et schisma ducere, prout in Concilio Basileensi contigit. Febronius ergo et quisquis alius, qui in authoritate Juliani fundamentum ponit, quare non cum ipso suam de authoritate Concilii supra Papam sententiam falsam, erroneam agnoscunt, utpote quæ unitati Ecclesiæ adversatur, atque ad schisma et rebelionem seducit. Applicent hi sibi quoque verba Juliani ad Aeneam: *at tu, qui, ut ais, me doctore Basileensibus credere adductus es, errantem olim sectatus es, cur modo non sequeris recta monentem?*

His perpensis quæcunque ex Cardinali Juliano in Concilio Basileensi dicta et scripta pro Concilio, atque contra Eugenium, ipso Juliano authore, omni prorsus authoritate destituuntur; dum vero Febronius largiter commemorat, quæ hic Cardinalis in Concilio Florentina pro unione Græcorum gessit, quas legationes post Concilium nomine Pontificum obiverit, qualiter pro gloria Sanctæ Sedis in Pannonia manibus impiorum militum occubuerit, et dein lectorem obtestatur, *an talis, tantusque inter media hæc*

ob-

obsequia tam aversi a S. Sede animi potuerit esse, ut aut vera ejus jura aperte atque invidiose in Synodo impugnaret, aut ad clanculariam eorundem diminutionem consentiret in falsificationem Decretorum Constantiensium, ad hæc meminerit Febronius, noveritque lector, eo tempore jam mutatum fuisse Juliani animum, et priorem sententiam ipsum retractavisse. Mutato jam ejus animo in Concilio Florentino, in quo pro unione Græcorum laboravit, ipso navante operam definitum fuit, *Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ Caput, ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam Potestatem traditam esse.* Non ita in Concilio Basileensi sentiebat Julianus, neque eo vel authore vel promotore ipsum Concilium. Denique Julianus post retractatam, quam in Concilio Basileensi tenebat, sententiam, in illa altera, quam circa Papæ Potestatem amplexus est, veramque esse credidit, Martyr occubuit.

Quod falsificationem Decretorum Constantiensium attinet, jam supra, ubi de Con-

 cilio

cilio Conſtantienſi, monſtravi, id eo inſcio, et ſine ejus culpa fieri potuiſſe, ideoque de hac fraude tantum virum accuſari non debere.

Poſt hæc quamvis Febronii et Baſileenſium, qui authoritate Cardinalis Juliani nituntur, ſententia eo ipſo authore falſa, Seditioſa et Schiſmati favens monſtratur, quod ad eam rejiciendam cuivis, a præjudiciis non præoccupato ſufficere poterat; nihilominus Febronius *egregia* et *invicta* vocat Juliani argumenta, quæ tamen contrariis argumentis victus non invicta, ſed deceptiones eſſe dixit ipſe Julianus, quod etiam breviter oſtendimus. Et quidem

Ad 1. Patet æquivocatio: Eccleſia, ſicut corpus, non eſt ſine Capite: igitur Concilium non eſt generale, nec coadunatio totius Eccleſiæ ſine Capite Rom. Pontifice. *Ad* 2. Claves datæ ſunt Eccleſiæ, ſed *Petro primitus*, ut ait Auguſtinus, atque *Petrus* teſte optato Milevitano *Claves Regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Eſt quidem Papa propter Eccleſiam, ſed ideo non in-

inferior et ſubditus : Princeps eſt propter Populum, ſed ideo non inferior et populo ſubditus. Non dicitur: *credo in Papam*, quia hæc ſingularitatem Perſonæ, non unionem et reſpectum Capitis cum corpore ſonant. Dicitur: *credo in Eccleſiam Catholicam*, ſed hæc catholica, id eſt, tota et univerſalis ſine Capite, et Papa non intelligitur. Cæterum negamus, et falſum eſt, Papam eſſe miniſteriale Caput *Eccleſiæ*, qui hujus jure et nomine agat, ſed eſt caput miniſteriale et vicarium *Chriſti*. *Ad* 3. Ita eſt: ſed his Conciliis adſtitit, unitus fuit, præſedit, eaque confirmavit Papa. *Ad* 4. De Concilio Conſtantienſi ſatis tradidimus initio hujus Capitis. Julianus et Baſileenſes, ut ait Eugenius IV., illud in perverſum ſenſum interpretati ſunt. *Ad* 5. Concilium Romanum contra Joannem XII. fuit illegitimum, quod non ſolus Baronius, ſed et Petrus de Marca, Natalis Alexander, aliique probant. Econtra Leo poſt eum intruſus ab Eccleſia nunquam pro legitimo Pontifice agnitus fuit. Luitprandus vero, Continuator Reginonis, aliique Germani in hac cauſſa de adu-

latione erga Othonem Imperatorem ſuſpecti habentur. Vide ſupra §. 11. in Not. hoc Cap. cæterum ex hoc facto ſequeretur, Papam etiam Concilio particulari ſubjectum eſſe, in quo non parum contra proprium ſuum Syſtema hallucinatus eſt Julianus. *Ad 6.* Inprimis quamvis Joannes XXIII. ab aliquibus verus Papa haberetur, tamen talis revera non fuit, ſecus reliquæ duæ obedientiæ certo ſchiſmaticæ fuiſſent, qnod, ut ait turrecremata, absque ſcandalo dici non poterat: cæteræ autem obedientiæ non levem cauſſam habuerunt, eum non recognoſcendi, ideo verus Papa dici non debuit. Dein alii duo Papæ ſaltem dubii erant: adeoque et ipſe Joannes dubius Papa erat. Tandem nec ſua obedientia Joannem amplius ut indubium et legitimum Pontificem agnovit, poſtquam ejus a Papatu ceſſionem prius jam decreverat, et hic juramento promiſerat. *Ad 7.* Tale *Caput dubium*, quod tunc erat, non tantum poterat, ſed et debebat reformare Concilium, id eſt, in dubiorum Pontificum jura et facta inquirendo, horum ad officium idoneitatem et dignitatem diſcernendo,

do, ac si nulla electio præcessisset, indignos, vel etiam omnes, si pro obtinenda pace et concordia necesse esset, repellendo. Nam si inter plures prætendentes Papatum, dubium sit, quis sit habendus pro vero Pontifice? ad Ecclesiam vel Concilium pertinet determinare, isque erit, cui tota vel saltem maxima pars Ecclesiæ adhæret, et si ista adhæsio obtineri vel sperari non potest, pro pace obtinenda abdicatis dubiis legitime novus eligitur, ab omnibus pro tali habendus. Sed quid ista cum vero Pontifice, de quo dubium non est? si in his alium sensum prætendis, nobis sufficiunt ea, quæ initio hujus capitis de Decretis Constantiensibus Sess. IV. et V. diximus. *Ad* 8. Martinus Papa non credidit, nec credi vult, Concilium Constantiense ante unionem trium obedientiarum universam Ecclesiam repræsentasse, quia approbare et confirmare noluit, nisi quæ *in materiis fidei*, *et conciliariter sunt facta*, *nec aliter*, *nec alio modo*. *Ad* 9. Decretum *frequens* probavit Martinus V., atque ipse in hujus confirmationem Sess. 44. pro futuro post quinquennium Concilio designa-

gnavit civitatem papienſem. De reliquo non eſt dubium de Concilio generali, quod Papæ eſt unitum. *Ad* 10. Papa poteſt Concilium, ſi male procedat, reprobare, et omni authoritate privare, uti præter S. Gelaſium I. hiſtoria et traditio oſtendunt, id factum fuiſſe: quare ergo ex juſta et urgenti cauſſa diſſolvere non poterit? quod timet Julianus, non timuerunt antiqui Patres; alium ergo ſenſum de poteſtate Papæ habuerunt. Imo hi potius timebant, maxima Concilia in Latrocinia abire, ideo nullum generale et firmum agnoſcebant, niſi cui Papa per legatos præeſſet, vel ſaltem, poſtea ſuo conſenſu et ſigillo muniret. *Ad* 11. Legati Papæ nunquam habent *omnimodam* Poteſtatem in Concilium, quamdiu hoc legitime procedit; quippe id nemo dixerit. *Ad* 12. Concilia generalia et œcumenica ſine Rom. Pontifice, quando talis et certus exiſtebat, legitime celebrata fuiſſe, a vero alienum eſt. *Ad* 13. Si hoc verum eſt, tunc legitima forent, et in authoritatem admitti deberent Concilium Mediolanenſe * ſub Imperatore Conſtantio, Ariminenſe anno 363. Latrocinium Epheſinum

num anno 449 etc. etc. Aliud eſt, ſi Papa ſine cauſſa aperte reſiſtat Concilio in certum detrimentum fidei atque Eccleſiæ. Dico, *ſine cauſſa*, *aperte*, et in *certum detrimentum*; nam defectus cauſſæ et detrimentum præſumi non debet: neque ex parte Concilii ſufficit prætextus et obtentus boni; quippe talis nec reprobis Conciliis ſemper defuit, ubi etiam Canones et bonum Eccleſiæ obtendebantur, et tamen mala erant. Aliud fuit in Concilio Conſtantienſi, ubi tribus Pontificibus cedere nolentibus *Detrimentum* Eccleſiæ *certum* erat, ipſi *ſine legitima cauſſa* ſchiſma faciebant, et in longum trahebant, et hoc ſtante quivis incertus et dubius Pontifex, quin et Eccleſiæ aperte noxius erat, ideo contra omnes tres legitime procedere poterat, et debebat Concilium. *Ad* 14. Extra talem caſum, de quo in Concilio Conſtantienſi, hæc regula falſiſſima eſt, atque Doctrinæ et praxi veteris Eccleſiæ manifeſte adverſatur: taliter enim legitimari poſſent omnia Concilia illegitima, a ſummis Pontificibus reprobata. S. Gelaſius P. in Anathemat. contra fautores Acacii

ait:

ait: *totum in Sedis Apostolicæ positum est potestate, ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod præter ordinem Congregatio Synodica putaverit usurpandum.* S. Leo I. reprobavit Can. 28. Concilii generalis Chalcedon. et neque Concilium, neque tota Ecclesia existimavit, Leonem per hanc reprobationem et dissensum a Concilio caussam dare schismati. Igitur nisi certo et publice constet, Papam agere in apertam destructionem fidei et Ecclesiæ, schisma se semper tenebit ex parte Concilii, non Papæ, et tunc obtinet regula D. Cypriani superiori paragrapho relata; non enim debent se bases ædificii semovere a fundamento, membra a Capite, oves se segregare a Pastore; Concilia etiam generalia sine Papa errare, fallere et falli posse, ex historia nobis certum est. *Ad* 15. In tali ergo occurrentia, ubi adest certus et legitimus Pontifex, Pastor Ecclesiæ, Vicarius Christi, centrum unitatis, et quando ille non aperte agit in destructionem fidei et morum, atque totius

Ecclesiæ, *cui si secundum Magisteria Divina*, ait D. Cyprianus, *obtemperaret fraternitas universa*, *nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet etc.*, in tali casu, inquam, si Concilium usurparet jura Primatus, si corpus se efferret supra Caput, si ab illa *una Cathedra*, et illo *uno* inter Apostolos electo, *ut Capite constituto Schismatis* tollatur occasio sese separaret, defensoris Ecclesiæ ac Principum erit, rebelles ad unitatem Capitis revocare, oves ad Pastorem adducere, non Caput corpori, Pastorem ovibus submittere. Perverse igitur ratiocinatur Julianus: in tali casu ipsum Concilium schismaticum evadit, non potest dici Ecclesia, quod Capite caret, nec in unitate cum Ecclesia Romana et Primate totius Ecclesiæ permanet. *Ad 16.* Quænam est illa Bulla? nomine Eugenii in Concilio Bulla ad omnes fideles missa spargebatur, quæ incipit, *Deus novit.* Sed Eugenius apud Spondanum ad 1433. n. 23. testatur, hanc Bullam a se nunquam emanasse. Talibus adminiculis egebant Basileenses ad malam suam caussam defendendam, et ad denigrandum summum

Pon-

Pontificem. Quod ſi alia Bulla fuit, quæ ab Eugenio vere prodiit, ſcias, *cæcum fuiſſe* Julianum, ut ipſe apud Pium II. in Bulla retractationis fatetur, *et in tenebris ambulaſſe*, falſo hæreſes et errores reputaſſe, quæ tunc ſuo et aliorum Baſileenſium errori ac ſchiſmati adverſarentur. *Ad* 17. Si alluſiones et argumenta a ſimili quid valent, adæquate reſpondeo: exterior deformitas Capitis membra et reliquum corpus, ſi illa ſint pulchra, apta, proportionata, non deformat: influxus etiam Capitis deformis in membra et corpus, ſanus et bonus eſſe poteſt; verum ſi caput ita ſit ægrum, ut intemperies et morbus etiam in membra influat, utique Capiti prius providendum erit. Pontifex, Caput Eccleſiæ, influit in corpus et membra non ſuæ vitæ exemplo et moribus, ſed doctrina et poteſtate regiminis. Sit vita et moribus cum tota ſua appendice ſeu Curia deformis, ſint etiam abuſus et ſcandala, hoc toti corpori per ſe non nocet; non enim ſummi Pontificis vitam et mores ſequi debemus. At ſi perverſam et malam in fide et moribus doctrinam proponat, ſi ſua Poteſta-

ſtate utatur ad deſtructionem ordinis a Chriſto divinitus inſtituti, tunc ceſſat eſſe Vicarius Chriſti, ſuo officio decidit, et niſi ocius reſipiſcat, de alio Capite providendum erit. *Dixi*, *ordinis divinitus a Chriſto inſtituti;* in hoc ſenſu Innocentius III. ad Philippum II. Galliæ Regem ſcripſit, *ſibi ordinis et officii periculum imminere*, ſi contra Evangelicam Chriſti ſententiam, *quod Deus conjunxit*, *homo non ſeparet*, in ejus cum Ingenburga matrimonio diſpenſaret; equidem ad honeſtam excuſationem *generalis Concilii deliberationem* obtendebat, bene tamen gnarus, etiam generale Concilium non magis, ac ipſum in lege divina diſpenſare poſſe.

Quantum vero ad leges mere humanitus inſtitutas, diſciplinam, et æconomiam exteriorem attinet, quæ mutari poſſunt, et ſæpe variari debent, quin et multoties variata ſunt, ſi in his ſua Poteſtate abutatur Pontifex, ſine rationabili cauſſa, vel non in melius mutando, ordinando; non ideo ſuo officio et poteſtate excidit, aut ceſſat eſſe Caput Eccleſiæ: deformitas hæc exterior non habet adeo neceſſarium influxum in

membra et corpus, hæc eo non obſtante poſſunt eſſe ſana in fide, doctrina et moribus.

Argumentum illud Juliani morale omnibus Epiſcopis, Prælatis, qui Capita ſuorum Diœceſium, ovium, et ſpiritualium ſubditorum ſunt, quin et Principibus, atque omnibus alicujus multitudinis Rectoribus eſt applicabile, et pro iis valet: ſi dicas, propter vitæ deformitatem, propter abuſus, qui in externam gubernationem irrepunt, hos omnes puniri, dignitate et officio excidere, aut deponi poſſe ac debere, quanta confuſio! quid ad hæc Reges, Principes, Epiſcopi? Si dicas, hos omnes multitudini non ſubeſſe, a ſuis Subditis, Populo, Diœceſanis judicari non poſſe, bene vero Rom. Pontificem ut Caput ſubeſſe corpori et Eccleſiæ, et ideo judicari poſſe, tunc utique reſpondes, quod in quæſtione eſt: tanquam verum et certum aſſumis id, de quo modo controvertitur. Julianus dicit: non eſt major deformitas, quam illa, quæ eſt in Capite: igitur a corpore, ab Eccleſia tolli debet; ſequitur hinc, quod Caput corpori ſubſit. Ego dico: multa dantur Capita deformia, quæ

quæ multitudini seu corpori non subsunt, et ab eo tolli non possunt: ergo contra Rom. Pontificem ex hoc argumento nondum concluditur. Tu respondes: at hic subest Corpori Ecclesiæ. Vides, te in circulo vagari, respondere et supponere idipsum, quod hic negatur, adeoque Julianum hoc argumento nihil probare. *Ad* 18. Bona fuisset intentio Juliani, si etiam media huic negotio convenientia arripuisset. Talia non sunt deprimere, et usurpare jura Primatus, scindere unitatem, se separare a Capite, hocque Corpori subjicere: meliora fuissent, Capitis influxum tenere, media apta pro generali reformatione proponere, simul cum Capite desuper deliberare, atque concludere, prout in Conciliis generalibus Lateranensibus et Tridentino factum fuit. Ex his patet, Cardinalem Julianum ut plurimum in æquivocis hærere, Concilium acephalum, et Corpus sine Capite sumere pro toto, seu pro Concilio totam Ecclesiam repræsentante, quando ne quidem Caput Ecclesiarum et principalis Ecclesia Romana repræsentatur, alia vero debito fundamento carere. Bene igitur in retractatione

 sua

ſua argumenta deceptiones, errores vocat, ſicque omni authoritate in- et extrinſeca deſtituuntur. jam

Ad 1. Diximus, Cardinalem Julianum libere, mature, atque veritate victum damnaſſe, et illa priora mutato animo retractaſſe: igitur ab eo authoritatem non habent, niſi quæ poſt ſuam retractationem dixit, ſcripſitque. Quæ vero encomiis in Juliano extollit Febronius, utique poſt ſuam reſipiſcentiam et retractationem contigerunt, igitur nobis, non Febronio authoritatem conciliant.

Ad 2. Eadem eſt reſponſio. Velle Primatum tenere in Eccleſia, et jura Primatus, quæ non Concilio, ſed Petro divinitus data ſunt, exercere in ipſum Primatum et Eccleſiam, hoc utique eſt contra Sedem Apoſtolicam. Si poſtea Eugenius ſe ſatius privatam in Monaſterio vitam acturum fuiſſe, quam Pontificatum geſſiſſe, moriens exclamavit, quid hic tu Curiam accuſas, quod tales morientibus Principibus ſuis gemitus

ex-

extorqueat? næ! tu invidiofus orator es. An non omnibus, qui præfunt, majus judicium fiet? an non omnes, qui mundum regunt, dum Deo ratio reddenda erit, ita exclamare poffunt, meliusque ipfis fuiffet, fi inter Monachos quantumcunque defpecti delituiffent, vel cum Lazaro pauperem vitam fuftentaffent, quam quod in folio regnarunt, vel etiam claves Ecclefiæ tenuerunt?

Ad 3. Gregorio Corriario id ipfum, quod fupra Juliano refpondeo. Et *fi omnia membra vitio laborant*, cur non valeat illud: *medice, prius cura teipfum?* fi omnia membra vitio laborant, cur non ipfa remedium a Capite, licet ægro, quærunt, et poftea Caput ipfum in fanando adjuvant? cur potius Caput magis debilitant, aut omnino abfcindunt? fi etiam influxus a capite in membra nocivus eft, num ideo membra adverfus Caput rebellant? an non compatiuntur? an non fubfidium et levamen Capiti non invito, fed confentienti et volenti præbent, nempe tale, quod ipfum Caput falubre et bonum effe judicat? aliter agit Medicus,

ſi totum corpus ægrum eſt, aliter vero membra in ſuum caput: ille a Capite incipit, ſi ibi ſedes mali hæreat, membra a ſe ipſis, et tum in caput, hoc adjuvando, non regendo, conterendo. Si alluſiones tibi placent, habes hic iterum adæquatum reſponſum. At Venetus in hoc Febronio adhuc adverſatur, quod dicat, *omnia Decreta, leges Sanctiones* Conciliorum *necquicquam fieri, niſi Sedes Apoſtolica exequatur.* Ergo non multum valent Decreta Conciliorum generalium ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ.

Ad 4. Si vera ſunt, quæ Julianus dixit, ſi genuina ac legitima ſunt Decreta Conſtantienſia, de quibus hic ſermo eſt, ſi legitimum et æcumenicum eſt Concilium Baſileenſe, tunc utique nos et omnes alii, qui id negant, certo hæretici ſumus. At ab eo tempore non ita ſenſit, neque conſenſit Eccleſia; unde ſequitur, Eccleſiam non ſentire, Decreta Conſtantienſia, in ſenſu adverſariorum ſumpta, vere genuina ac legitima, et Concilium Baſileenſe vere legitimum ac æcumenicum eſſe. Temperamento Febronii

et

et Natalis Alexandri non egemus: ſi eorum ſententia in Conciliis Conſtantienſi et Baſileenſi legitime definita fuit, ſi hæc Concilia et Decreta genuina, legitima et æcumenica ſunt ipſi nos ab hæreſi abſolvere non poterunt, quin potius de eadem ſe redderent ſuſpectos.

Taliter ergo *in fide conjuncti* non eſſemus, et *iſta diſſenſio ad fidei ſummam ſpectat?* nam qui definitioni Concilii generalis legitime congregati in materia fidei contradicit, hæreticus eſt: *Febronius* Decreta Conſtantienſia et Concilium Baſileenſe utique tanquam genuina, legitima, æcumenica atque decretoria producit, eaque cum Juliano ad fidem pertinere ait, adeoque hæc diſſenſio ad fidei ſummam ſpectat.

Sed inquies: igitur juxta nos Galli errant, et ſunt hæretici? abſit! Galli a nobis non tantum, quantum Febronius diſtant. Galli in ſua declaratione de anno 1682. B. Petro, ejusque Succeſſoribus Chriſti Vicariis rerum Spiritualium, et ad æternam Salutem pertinentium poteſtatem *a Deo* traditam eſſe

profitentur : Febronius hanc poteſtatem a Rom. Pontifice tantum *miniſterialiter* et *nomine*, *Eccleſiæ*, tanquam *ab Eccleſia* acceptam exerceri vult. Galli Rom. Pontifici jurisdictionem ſpiritualem, et omne jus appellationum non denegant, ſed tantum de modo et exercitio hujus juris litem movent: Febronius eidem et jurisdictionem et jus appellationum in totum denegat. Galli dicunt, in fidei quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis partes eſſe, ejus decreta ad omnes et ſingulas Eccleſias pertinere, atque ipſius judicium irreformabile eſſe, ſi Eccleſiæ conſenſus acceſſit. Ergo admittunt Galli, ultimum et irreformabile eſſe judicium Rom. Pontificis extra Concilium, et accedente conſenſu Eccleſiæ diſperſæ; hic tantum de qualitate hujus conſenſus lis movetur, atque hæc Gallorum ſententia fors reapſe non adeo multum diſtat ab eo, quod ſupra Cap. V. §. in Not. et alibi diximus. Febronius econtra dicit, parum firmam eſſe hanc Gallorum ſententiam, qui a plurima parte Epiſcoporum Rom. Pontifici extra Concilium adhærentium, ultimatum et irrefragabile judicium

con-

conſtitui exiſtimant. In ſola ergo Febronii, non in Gallorum ſententia noſtra doctrina hæretica foret, atque non ſemel monuimus, Febronium neque cum Gallis ſentire. Scio equidem, Febronium ſua momenta etiam a Gallis Richerio, Dupinio, Launoio, Queſnello et aliis mutuare, ſed horum Doctrina non Eccleſiæ Gallicanæ (cui omnem reverentiam profitemur) doctrina eſt, quin et hi ipſi in Gallia notati vel damnati ſunt.

Ad 5. Quisquis harum rerum habet prudentiam (verbis Febronii utor) videat, an non propter hæc et ſuperius dicta Baſileenſium Patrum, per os ſui Præſidis loquentium ſententia minus firma, proin deſerenda ſit? Baſileenſes uſi *verbis* et *actionibus* Synodi Conſtantienſis ad probandam authoritatem Concilii a Papa derelicti, eoque contradicente: ſed ſi decreta Conſtantienſia ut genuina et legitima admittamus, illa *verba* et *actiones* hujus Synodi tendebant in Pontificem, *non a tota Eccleſia agnitum* et *dubium*, quod Syſtema Concilium jam *prius* arripuit, ſecus ei ceſſionem offerre, et ſi conſentire nollet, ipſum ad hanc compellere non po-

tuiſſet, nec debuiſſet. At hic fuit præcipuus Scopus Concilii, non ut cujusvis trium Pontificum jura et prætenſiones diſcutiantur, nec ut reliquæ obedientiæ ad Joannem XXIII. reducerentur, quod impoſſibile viſum fuit, ſed ut eo, ſicut cæteris, tanquam *dubio* relicto de alio *certo* Capite provideatur; hinc facile et aperte intelligitur (proſequor verbis Febronii) quis fuerit ſenſus Concilii ſua decreta Seſſionis IV. et V. paulo poſt fugam Joannis Papæ condentis. Econtra Baſileenſes ea *verba* et *actiones* etiam de Pontifice *certo* et *legitimo* interpretari, eique adplicare auſi ſunt. Sed neque Martinus V., uti vidimus, decreta Conſtantienſia in hoc ſenſu acceptavit, et Eugenius IV. contra hanc Baſileenſium interpretationem proteſtatus fuit.

Dum vero Innocentius III. ait, ſe propter peccatum *contra fidem ab Eccleſia poſſe judicari*, inde neutiquam arguitur ſubjectio Papæ ad Concilium, nec etiam *Eccleſiam totam eſſe* ſine Papa, quia hæreticus ceſſat eſſe membrum Eccleſiæ, minus adhuc Caput eſſe poteſt: igitur jam non ut Papa et Caput

ab

ab Ecclesia judicatur, atque tunc status Ecclesiæ reputatur, tanquam Sede vacante. Cæterum Innocentius III. dixit, *de cæteris peccatis se solum Deum habere Judicem.* Ergo de iis ab Ecclesia judicari et puniri non potest.

Ad 6. Notari meretur, quod Concilium Constantiense quoad hoc Punctum in suis decretis se nullibi ad anteriores Canones et Concilia etc. referat, horumque authoritate innitatur, sicut tamen in aliis genuinis Conciliis factum fuit: attamen ab innovatione per hoc excusari potest, quia similis casus, de quo judicare debebat Concilium, in Ecclesia non extitit, quamvis in modo, quo procedebat, in Conciliis et Ecclesia nunquam usitato, nec amplius imitando, ab innovatione excusari non possit. At Basileense Concilium neutiquam excusari potest, quod nulla præeunte traditione, Canone, Concilio, Patre soli Synodo Constantiensi initatur, et quidem in casu nequaquam simili, sic ut sua sponte, sine caussa, et fundamento legali atque Canonico proprie innovasse dicendum sit.

Jam si Concilium Constantiense solum authoritati Gersonis inititur, si ad hujus votum et sensum decreta condita, et intelligenda sunt, ego hujus privati Doctoris authoritate nequaquam moveor, tibique ea omnia, quæ initio hujus Capitis de Concilio Constantiensi diximus, iterum objicio. Mihi sufficit, Turrecrematam et alios, qui Concilio inter fuerunt, huic Decretorum sensui contradixisse, vel aliter interpretatos fuisse. Interim falsum est, quod Concilium Joannem pro legitimo Pontifice amplius agnoverit, quia statim prima Sessione pro extinguendo Schismate decrevit non reductionem reliquarum obedientiarum ad unionem cum Joanne, sed cessionem Papatus æqualiter ad omnes tres prætendentes, atque incipiendum fore a Joanne, qui si recusaret, compellendum et deponendum esse, et quamquam tres schedulæ contra hoc consilium emanarunt, nihilominus ita a Nationibus conclusum fuit sola Italica contradicente. Vid. Desirant Cap. 16. Dissert. 3. ergo Concilium Joannem non amplius pro vero Pontifice habuit, sola fors Natione Italica excep-

ta,

ta, ſecus ejus ceſſionem pari modo, ſicut et reliquorum dubiorum Pontificum non jam ab initio decreviſſent. Poſt hæc nolens Concilium adhuc in dubii hujus Pontificis, ſicut nec in aliorum incerta jura inquirere, eundem propter alia vitia Papatu indignum declaravit, quod utique in dubio Pontifice facere potuit, ne impoſterum tanquam certus et dignus reciperetur non minus, ac ſicut impediri poteſt, ne quis in Antiſtitem eligatur indignus, quamvis hic voce activa et paſſiva gaudeat. Dixerat ſupra Febronius, Concilii Decreta ad votum Gerſonii condita fuiſſe, et revera adnitente Gerſone poſt fugam Joannis duo adhuc articuli decretis adjungebantur: 1. Quod Joannes per ſuam fugam ſe de *hæreſi* et *ſchiſmate* ſuſpectum reddiderit. 2. Quod plenam in Concilio habuerit libertatem et ſecuritatem. Si ita eſt, Joannes jam non propter ſolam deformitatem vitæ, ſed propter ſuſpicionem *hæreſis* et *Schiſmatis*, de quibus eum jam antea reum declaravit Concilium, depoſitus fuit, licet iſtud in ſententia poſtea expreſſe repetitum non fuerit.

Ulte-

Ulterius falsum est, Ecclesiam totam et perfecte repræsentari, adeoque Concilium vere generale et æcumenicum esse sine Capite et Rom. Pontifice certo ac indubio existente. Pariter quod de decretis Constantiensibus, horum authoritate, unanimi Patrum consensu, approbatione Martini V. etc. amplius dicitur, remitto lectorem ad initium hujus Capitis, ubi de Concilio Constantiensi, atque argumenta Natalis non adeo solida esse conspicitur.

Ad 7. De Conciliis præteritis et futuris dubitari non potest, nec ruunt, quæ illa cum Rom. Pontifice statuerunt, bene vero ruunt illa, quæ sine, vel non approbante Pontifice statuta sunt, uti ajunt Ss. Leo, Gelasius et alii Patres. Si Papa sive in moribus, sive in gubernatione Ecclesiæ malus sit, ejus quidem mores privati non nocent Ecclesiæ: attamen tum in his, tum in aliis circa Regimen Ecclesiæ non desunt media opportuna, et convenientia, quibus rite informari, moneri, urgeri, non tamen *vi coactiva* (ignoscat Febronius huic distinctiunculæ, quam initio sui operis ab hac quæstione omnino eli-

eliminatam voluit, sed modo ipse eam adhibuit) compelli potest. Nec tamen ideo Deus minus providit Ecclesiæ, quam si omnem potestatem in multitudine collocasset, ut omnes omnia possent, quia sic servari non posset unitas, cum multi Potestate æquales raro in unum conveniunt, præsertim ubi quivis pro arbitrio agere valet. Si unus non creditur aut cogitatur Sacerdos, et vice Christi Judex, hæreses et Schismata nascuntur, ait S. Cyprianus.

Clar. P. Oberhauser repono, falsum esse, quod *Sedes Apostolica authoritati Conciliorum Provincialium præscripserit*: quot enim post Concilium Tridentinum a S. Carolo Borromæo in Italia, quot in Gallia habita sunt? et si ibi vel ubivis talia haberi volunt, num Roma prohibebit? quis vero unquam dicet, Concilia generalia *unius Pontificis arbitrio anclliari debere?* Nihilominus in Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano III. etc. quid factum fuisset, si Patres Romano Pontifici non plene consensissent?

Ad

Ad 8. Equidem vacillantibus Decretis Constantiensibus etiam vacillat Concilium Basileense: sed quia etiam multa ex Bulla revocationis Eugenii, aliaque pro hoc Concilio proferuntur, ad genuinam Lectori de eo ideam formandam necesse erit ostendere, quo ordine, quoque modo res gestæ sint. Id brevissime dabimus ex Harduino tom. 8. et 9. ex Desirant. Differt. 4. Cap. 16 etc. etc. ex Oderico Raynaldo in Annal. nam *Acta Basileensia* non nisi mutilata et truncata ipsis Basileensibus authoribus primum post annos sex edita, et demum anno 1500. typis Hagenoæ prodierunt.

Prima hujus Concilii Sessio habita fuit 14. Decembris anno 1431. Ad Eugenium vero prius Nuntius a Prælatis missus fuerat Joannes Puchri - Patris, qui ei retulit, deformationem Cleri in partibus illis, et hæresis pestem pullulare indies, et jam usque ad partes Basileæ proximas pervenisse, hæresis prædictæ imitatores clerum insequentes, aliquos turpiter expulisse, et nonnullos inhumaniter trucidasse. Addebat bella inter Philippum Burgundiæ et Fridericum Austriæ, non

lon-

longe a Regione Basileæ gerenda, et præt···rea alias adhuc difficultates. Ita refert Eugenius ipse in Bulla dissolutionis. Ast Nuntius falsa narravit.

Eugenius Nuntio credens deliberationem iniit, et cum accederent aliæ graves caussæ, nempe unio Græcorum, qui post longum iter ad ultimos Germaniæ fines trahendi non erant, et extinctio hæresis Hussitarum, qui novissime Catholicis cladem intulerant, statuit Basileæ Concilium dissolvere, ubi etiam Cardinalis Julianus paucos tantum Prælatos invenisse ferebatur, et aliud Bononiæ convocare, loco magis securo, græcis magis opportuno, et ubi ipse etiam commodius præsens esse posset: igitur Eugenius P. Bullam dissolutionis exaravit die 18. Decembris 1431.

Quamvis hæc Bulla caussis etiam veris et gravibus niteretur, tamen per sub- et obreptionem prodiit, quia se quoque in falsis Nuntii relationibus fundabat, et ideo Cardinalis Julianus ad Eugenium scripsit,

Bullam ex cauſſis non veris emanaſſe; ſed hæc culpa non Pontifici, ſed Nuntio a Concilio miſſo imputari debet. In his ergo circumſtantiis quid convenientius, quid magis neceſſarium fuiſſet, quam Pontificem temere deluſum de rerum veritate rectius informare, et inde reſponſum exſpectare; at priusquam hoc evenit, Prælati die 15. Februarii anno 1432. ad Seſſionem ſecundam, diſſimulata quæſtione facti de ſub- et obreptione, proceſſerunt, declarantes, quod Pontifex Concilio ſubjectus eſſet, illud diſſolvere non poſſet, ſed ad ei obediendum deberet adſtringi. Hanc Italus primam clavem ad intelligendam Concilii Baſileenſis hiſtoriam vocat. Miſſi quidem erant Nuntii ad Pontificem, ſed Baſileenſes non exſpectarunt reſponſum: non auditus eſt Cardinalis Julianus, qui inducias petebat: producebant Conſtantienſia Seſſionis IV. et V. decreta, et confirmabant, non ignari, hæc ab unica, et ne integra quidem obedientia, nec absque contradictione conflata fuiſſe, quaſi ultro atque per vim occaſionem quærerent, Eugenium accuſandi, damnandique.

Hæc

Hæc gratis non finguntur; nam teste Desirant differt. 4. Cap. 16. de retract Gall. fuerunt in Concilio Cardinales quinque, Episcopi Sex, Regulares, qui se falso Episcopos dicebant, duo, Canonicus Sacrarum litterarum unus, qui omnes Eugenio Papæ per privatas simultates infensissimi flammas incendii excitarunt, et quos Aeneas Sylvius, seu Pius II. testis oculatus dixit, *ob privatas inimicitias bono et sancto viro notam inurere voluisse.* Interim ut cætera taceam, res indies in pejorem statum abierunt, donec Imperator Sigismundus, concordiam inter Eugenium et Basileenses reducturus, Romam se contulit.

Tractatus Pacis conclusus fuit Mense Julio anno 1433. inter Eugenium et Sigismundum sub conditionibus, quæ habentur in Bulla *dudum Sacrum*, quam Eugenius ma Augusti eodem anno edidit, a Basileensibus in Sessione XVI. acceptatam, non vero a Basileensibus Pontifici injunctam, uti diu existimatum fuit, quod satis patet legenti Bullam apud Harduin. tom. 8. equidem verum est, quod Basileenses Sess. XIV. 7. Novem-

 bris

bris tres formulas revocationis propofuerint, et dein ad Papam miferint, ut inter has, quæ fibi magis placeret, eligeret; hinc aliqui exiftimarunt, Concilium prævenifse Papam, eique legem dedifse: fed ita non eft, quin Papa prævenit Concilium, qui jam prima Augufti, adeoque ultra tres menfes prius Bullam fignavit, quod in actis a Bafileenfibus reticetur, tantum ea quæ fuo genio favebant, evulgantibus. Dicebatur in Bulla: *volumus, et contentamur*, præfatum generale Bafileenfe Concilium — — — — continuatum fuifse et efse. Imperator ad fedandos quorundam Bafileenfium fcrupulos inftabat apud Eugenium, ut loco priorum verborum poneretur: *decernimus ea declaramus.* Confenfit tandem Pontifex; attamen hic tria probe notanda funt.

1. In ipfa Bulla poft declarationem continuationis Concilii ita legitur: *ita tamen, quod Præfidentes noftri ad præfati Concilii Præfidentiam admittantur cum effectu: ac omnia et fingula contra Perfonam, authoritatem et libertatem noftram et Sedis Apoftolicæ, ac venerabilium fratrum noftrorum S. Romanæ*

Ec-

Ecclesiæ Cardinalium, et aliorum quorumcunque nobis adhærentium in dicto Concilio facta et gesta per dictum Concilium prius omnino tollantur, et in pristinum statum reducantur.

2. Dum Imperator opera Francisci Foscari Venetiarum Ducis usus peteret, illa verba, *volumus et contentamur*, in voces *decernimus et declaramus*, commutari, Pontifex, ut videre est apud Odericum Raynaldum ad annum 1433, num. 19. eidem Duci Veneto respondit: *ut paulo altius repetamus, cum instituisset* (Imperator) *nobiscum Nuntiis et litteris, ut Concilio illi adhæreremus omnino, hoc recusavimus. Potius enim hanc Apostolicam dignitatem et vitam insuper posuissemus, quam voluissemus esse caussa et initium, ut Pontificalis dignitas et Sedis Apostolicæ authoritas submitteretur Concilio contra omnes Canonicas sanctiones, quod nunquam antea fuit, neque aliquis nostrorum Prædecessorum fecit, neque ab ullo extitit requisitum, atque in hoc ipse postmodum Imperator aquievit.*

3. Imperator Sigismundus, postquam Pontifex in has conditiones et concordiam, prout in Bulla legitur, consensit, eidem

Duci Veneto respondit, *Eugenium Papam plus fecisse, quam deberet, et ultra, quam teneretur.* Eandem rem narrat Augustinus Patritius apud Harduin. tom. 9. Col. 1113.

Jam jure quæritur, qua veritate, quo ausu Febronius et ejus asseclæ valeant dicere, *Eugenium Synodum Basileensem, tanquam a suo exordio generalem NB. simpliciter et absolute acceptasse, ita creditum fuisse a Patribus Concilii, ab Imperatore, et Principibus, ab universitatibus, ab omni demum Republica Christiana?* licetne in Publico Papam, Monarchas, Principes, Episcopos, Theologos, et Ecclesiam universam alloqui, prout Febronius in sua Præfatione egit, et his falsa pro veris narrare, imo obtrudere? Tractatus Concordiæ inter Papam Eugenium et Sigismundum Imperatorem initus fuit: hic publicus factus est; Concordiæ conditiones in Bulla continentur, cujus originale Basileam per Episcopum Cerviensem mittendum erat, et Imperatori exemplar datum fuit.

Conditiones ex una parte erant, prout legitur in Bulla: *decernimus ac declaramus,*

Præ-

præfatum generale Basileense Concilium a tempore inchoationis suæ continuatum fuisse, et esse, prosecutionemque ad prædicta (nempe ad hæreses Bella et morum deformitates de populo Christiano extirpandas; hæc enim prius in Bulla dicebantur) *habere debere, proinde ac si nulla commutatio, translatio, seu dissolutio facta fuisset; quin imo præfatam commutationem, translationem seu dissolutionem revocantes, ipsumque Concilium Basileense pure, simpliciter et cum effectu ac omni Charitate amplectimur, pro viribus illud promovere, ac omni favore prosequi intendimus, ita tamen etc.*

Conditiones ex altera parte erant, quæ supra ex ista Bulla recitavimus, et mox post hæc verba sequuntur nempe *ut Legati Papæ ad Præsidentiam cum effectu admittantur, ut omnia et singula contra Personam, authoritatem et libertatem Papæ et Sedis Apostolicæ*, contra *Cardinales*, et *quoscunque* ei *adhærentes in dicto Concilio facta et gesta per dictum Concilium NB. prius omnino tollantur.*

Oculorum et mentis impos sit, qui hæc non intelligat, nec opus est ædipum quære-

 re,

re, quando verba et ſenſum oculis ac manibus palpamus. Eugenius ait, Concilium Baſileenſe *a tempore* inchoationis ſuæ generale fuiſſe: quis negat, in prima Seſſione generale et legitimum fuiſſe? Eugenius ait, ſic etiam *continuatum fuiſſe et eſſe.* Bene eſt.

Eugenius ait, *proſecutionem ad prædicta habere debere, ac ſi nulla commutatio, translatio, ſeu diſſolutio facta fuiſſet.* Ita ſe habet; ſed hic nota, illa *prædicta* alia non eſſe, quam *ad hæreſes, Bella et morum deformitates de populo Chriſtiano extirpandas*; ſic enim in Bulla legitur. Igitur non ad exagitandum, deprimendum Pontificem et ejus jura *proſecutio* et *continuatio* decernitur, aut acceptatur.

Eugenius ait, ſe *commutationem, translationem, diſſolutionem* factam *revocare,* Concilium *pure, ſimpliciter et cum effectu complecti, pro viribus illud* velle *promovere,* ac *omni favore proſequi.* Hæc omnia aperta ſunt.

Jam

Jam modo ulterius audiant Febronius, et Basileensis Concilii fautores: hæc omnia ab Eugenio dicta et promissa sunt sub conditionibus, quæ ex altera parte a Basileensibus, et quidem *prius omnino* adimplendæ et servandæ erant: sic enim claris verbis prosequitur Eugenius: *ita tamen*, en rationem conditionis oppositæ! *quod Præsidentes nostri ad Præsidentiam admittantur cum effectu.* Item, *ut omnia et singula contra Personam, authoritatem, libertatem* Eugenii *et Sedis Apostolicæ, Cardinalium*, et *aliorum ei adhærentium facta et gesta per dictum Concilium prius omnino tollantur.* Hæc verba pariter non minus aperta et clara sunt.

Hic non indagamus, utrum omnes hæ conditiones *prius* a Concilio adimpletæ fuerint; de sensu, quem in revocatione dissolutionis et declaratione continuationis Synodi Eugenius habuerit, modo quæritur, et in hac re Bulla revocationis clavis est ad demonstrandum et intelligendum sensum Eugenii: hæc tractatus et Concordiæ inter Eugenium P. et Sigismundum Imp. initæ conclusio est: hæc conditiones ex utraque parte

 ac-

acceptatas continet; proin non fuit alius in revocando Eugenii animus, quam quem verba hujus Bullæ exprimunt, nec alio in sensu intellexit Imperator compascifcens, qui hanc Bullam acceptavit, atque ad Concilium detulit.

Verba autem et sensus Bullæ clara atque manifesta sunt, nempe tunc et in tantum Eugenii declarationem valere, se *dissolutionem* et *translationem revocare*, Concilium *generale continuatum fuisse et esse*, se illud *pure et simpliciter amplecti*, *pro viribus velle promovere*, *ac omni favore prosequi*, NB. *si prius omnia et singula omnino tollantur*, quæ contra *Eugenium* et *sedis Apostolicæ authoritatem*, *libertatem etc. facta et gesta sunt*, atque legati sui *cum effectu ad Præsidentiam admittantur*. Quid clarius?

Quidquid igitur dicas: illa contra Eugenii et Apostolicæ Sedis, Personam, authoritatem, libertatem Basileensium Decreta ac gesta nullum omnino habent valorem. Vel enim a Basileensibus, uti conditio fere-

bat,

bat, *prius ſublata ſunt?* et tunc eo ipſo omnis eorum authoritas et valor concidit: vel a Baſileenſibus non ſunt *ſublata?* et tunc revocatio diſſolutionis Eugenii et declaratio continuationis non valet, et Concilium, ut ab initio, generale et continuatum non eſt. Quare ex hac Bulla revocationis nihil penitus pro Concilio, ejusque decretis probatur, præcipue quæ contra ipſum et authoritatem Sedis Apoſtolicæ geſta et decreta fuerunt, et Eugenius in ea nequidquam conſenſit, ſed econtra aperte diſſenſit.

Verum igitur, atque tenori Bullæ *dudum Sacrum*, omnino conforme eſt, quod referente Turrecremata Eugenius dixit, *nos quidem bene progreſſum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, uti inceperat, non tamen approbavimus ejus Decreta*: nam hæc juxta Concordiæ Bullam tolli debebant.

Verum eſt, quod teſte Odorico Raynaldo Venetiorum Duci ſcripſit Eugenius, ſe Imperatori inſiſtenti, *ut Concilio omnino adhæreret, hoc recuſaſſe, atque in hoc poſtmodum Imperatorem aquieviſſe*, quia Eugenius non

non *omnino* Concilium, id eſt, omnia ejus geſta et Decreta approbavit, et in hoc etiam aquievit Imperator, quia hæ conditiones in tractatu Concordiæ cum ipſo inito, ſeu in Bulla manifeſte comprehenduntur.

Verum eſt, quod Imperator Sigismundus dixit, *Eugenium Papam plus feciſſe, quam deberet, et ultra, quam teneretur.* Quia Concilio contra jura ſui Primatus inſurgenti, acephalo et rebelli, adeoque illegitimo nullibi, et nec in aliis decretis adhærere tenebatur. Verum denique eſt, quod Eugenius in Bulla, *Moyſes vir Dei*, data in Concilio Florentino dixit: *in hoc pernicioſiſſimi erant*, Baſileenſes, *dum ſuam malignitatem ſub veritatis fuco colorant, Conſtantienſe Concilium in malum ac reprobum ſenſum, et a ſana Doctrina penitus alienum pertrahunt, cæterorum hæreticorum et Schiſmaticorum falſam Doctrinam ſequentes, qui confictos errores et impia dogmata ex Divinis Scripturis et ſanctis Patribus perverſe intellectis ſemper ſibi adſtruere moliuntur.* Hæc cum Bulla Revocationis plane conveniunt, quia Decreta Conſtantienſia, quibus Baſileenſes innite-

ban-

bantur, in eorum ſenſu intellecta authoritati, libertati Summi Pontificis et Sedis Apoſtolicæ adverſantur, ideoque in hoc ſenſu juxta eam Bullam tolli debebant, proin nullam authoritatem habent.

Econtra falſum eſt, quod Eugenius Synodum Baſileenſem tanquam a ſuo exordio generalem *ſimpliciter* et *abſolute* acceptaſſe creditus ſit *a Concilii Patribus*, *ab Imperatore* et *Principibus*, *ab univerſitatibus*, *et omni demum Republica Chriſtiana.* Qui ita ſentiunt, non legerunt Bullam nec ſciunt, quid inter Eugenium et Imperatorem actum ſit. Eugenius dicit, ſe *pure et ſimpliciter* amplecti Concilium, ſed non niſi ſub conditionibus *prius* a Concilio adimplendis, ſicque tantum *ſub conditionibus* acceptavit Synodum: *conditiones* ab utraque parte compaciſcentium, Eugenio nempe et Imperatore appoſitæ ſunt, et hæ in Bulla exprimuntur: *ita tamen*, *ut Præſidentes etc.* item *ut omnia et ſingula etc. in dicto Concilio facta et geſta prius tollantur.* Ita conſenſit, et intellexit Imperator cum Eugenio paciſcens: ita legerunt in Bulla Patres Concilii, proin om-

omnibus conſtabat, quo ſenſu, et ſub quibus conditionibus Eugenius Concilium acceptaret, eique adhæreret.

Falſum eſt, quidquid Boſſuetus dicat, quod dum Eugenius referente Turrecremata in Concilio Florentino dixit, ſe non approbaſſe Decreta Concilii Baſileenſis, talia dicta non ſufficiant ad evertenda aut interpretanda ea, quæ ſynodice geſta, decreta et approbata ſunt. Eugenius vere dixit, ſe non approbaſſe talia decreta, quia juxta tractatum cum Imperatore initum et a Concilio acceptatum, ac juxta ejus Bullam *tolli* debebant. Igitur illa dicta veriſſima ſufficiunt ad decreta Baſileenſium evertenda, utpote quæ per ipſum concordiæ tractatum jam evertebantur, ſtante hoc tractatu et Concordia *ſynodice* geſta eſſe non cenſebantur, et viciſſim iis ſtantibus non ſtabat concordia et revocatio Eugenii. Quod ſi illa Decreta per tractatum et Bullam prædictam non evertuntur, quare Concilium hunc tractatum, has conditiones acceptavit? quare Bullam recepit? Quod ſi Concilium hanc Bullam etiam non acceptaſſet, adhuc verum eſſet,

Eu-

Eugenium in hæc decreta non conſenſiſſe, quia non niſi ſub conditione annihilationis horum decretorum Concilio adhærere, et debitum vigorem reddere voluit.

Falſum eſt, quod, ut ait Febronius, *Concilio a Papa diviſo, Imperatore Sigismundo mediatore, Concordiæ ratio talis inita fuerit, ut Eugenius inchoatum Baſileenſe Concilium ſuſciperet, atque probaret*, atque ſola difficultas inter formam Decreti, ſeu ea verba, *volumus et contentamur*, atque iſta, *decernimus et declaramus*, orta fuerit.* Equidem de his verbis quæſtio mota fuit, et Eugenius iisdem tandem annuit; attamen Concilium non *abſolute* ſuſcepit, atque probavit, ſed cum conditione, ut patet ex Bulla.

Concilium igitur, Imperator unionis interpres, et totus denique mundus hæc acceptationis verba, in Bulla contenta, ita intellexit, et intelligere debuit, utpote ad oculum clara, ut quidem non *de materiali* ſolum Synodi, continuatione, ſed *de geſtis* et *concluſis* Synodi, exceptis tamen iis, quæ

con-

contra Personam, authoritatem et libertatem Pontificis et Sedis Apostolicæ facta et gesta sunt, acciperentur.

Omni juri Gentium, honestati et bonæ fidei repugnat, summum Pontificem Eugenium de falsitate ac dolo velle suspectum reddere, in hunc finem solemnis tractatus et instrumenti publici verba reticere, huic *absolutum* sensum affingere, quando aperte et expressis verbis *conditionatus* est, et quando posteriora Pontificis dicta et interpretatio cum illa Instrumento plane concordant.

Cæterum quæro adhuc 1. Si Concilium generale etiam sine Papa certo et legitimo existente, eoque Concilium vel relinquente, vel contradicente, totam adhuc Ecclesiam repræsentat, assistentiam Spiritus S. habet, legitimum et æcumenicum est, uti prætendit Febronius, quare Concilium Basileense, Imperator, et Principes tantum adlaborarunt, ut Eugenius Concilio adhæreret, in ejus Decreta consensum præberet, et approbaret? quid hoc opus erat? profecto id alio sensu, mente, et persuasione fieri non

po-

poterat, quam quod omnes hi, et tota Respublica Christiana tunc crederet, quod Gregorius Corriarius Venetus publice in Concilio Basileensi coram Imperatore edixit, *Concilii decreta, sanctiones, leges nequicquam fieri, nisi Sedes Apostolica exequatur.* Sed Sedes apostolica nihil exequi potest, nisi quod prius approbavit: hujus ergo consensus et approbatio, quod ipsum Concilium suo agendi modo satis ostendit, ad valorem, firmitatem et authoritatem Decretorum Conciliarium necessaria est. Et tamen Gregorius Corriarius ex parte Concilii, non ex parte Eugenii stabat.

Quæro 2. Si Decreta contra Eugenium et Sedem Apostolicam edita, et præcipue Decreta Constantiensia Sess. IV. et V. in sensu Basileensium perperam intellecta per tractatum Concordiæ et Bullam revocationis sublata non sunt, si in ea consensit, et acceptavit Eugenius, uti vult Febronius, quare Basileenses Sessione 18., dum iterum rebellare cæperunt, de novo rursus eadem Decreta Constantiensia in medium proferebant, confirmabantque? si hæc decreta jam prius,

 et

et Sessione 2. etc., ubi prolata sunt, in sensu Basileensium suam firmitatem habebant, si Eugenius in ea atque in hoc sensu consensit, et acceptavit, quid opus erat legitime decreta et confirmata rursus decernere et confirmare? id frustaneum fuisset, et nullibi in Concilio hoc factum fuisse legitur. Hinc sequitur, ipsum Concilium sensisse, hæc decreta in eo sensu intellecta per Bullam revocationis revocata et abolita fuisse, suam authoritatem deperdidisse, quam Sess. 18. iterum restaurare volebant Basileenses. Igitur ex hoc facto sensum Concilii interpretare palam sequitur, quod Eugenius in ea Decreta neutiquam consenserit.

Circa Basileensium gesta ulterius non procedo; omnia semper in pejus abierunt, ita ut S. Antoninus, Cardinalis Julianus, aliique viri gravissimi jam non Concilium, sed Conciliabulum Schismaticum et Synagogum Sathanæ vocitent: *nullus sanæ mentis vir*, ait Cardinalis Turrecremata, *qui novit*, *cum quanta gravitate et modestia fidei caussæ tractandæ sint*, *judicabit*, *esse universalis Ecclesiæ consensu conclusa*, *et a Spiritu S. dictata*,

in

in quibus factiones hujusmodi et practicæ intervenerunt. Idem ait, omnia facta fuisse *ad furorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis, cum multitudine populi parvi pretii, et nullius authoritatis.* Et Aeneas Sylvius in orat. ad Austral. apud Murator. in Anecdot. *inter Episcopos, cæterosque Patres conscriptos vidimus coquos et Stabularios orbis negotia judicantes. Quis horum dicta vel facta judicaverit legis habere vigorem.* Item *quæ fiunt extra ordinem, intempestive, temere, tumultuarie, neque jus pariunt, neque vim consuetudinis afferunt.* Dum autem hi ita loquuntur, nullum tempus Concilii distinguunt.

Febronius et adversarii pro authoritate Concilii Basileensis continuo Gallos, Bossuetum etc. in scenam producunt; sed repono, ex Gallia admodum ægre constare, quid de authoritate Basileensis Concilii sentiendum sit, quod ibi modo extollebatur, modo deprimebatur. Anno 1438. Carolus VII. Rex authoritatem Concilii Basileensis et ejus decreta in Conventu Biturricensi recepit, et famosa illa *Sanctione pragmatica*

 in

in Senatu Parisiensi promulgata firmavit; nihilominus quædam decreta mutavit, modificavit, et quoad ea, quæ Concilium in deponendo Eugenio egit, consentire noluit. Anno 1462. Ludovicus XI. Caroli Successor istam, Sanctionem pragmaticam rescidit, tanquam *Seditionis et Schismatis tempore latam ad infringendam Sedis Apostolicæ authoritatem.*

Quotiescunque minus bene cum Pontifice Galli conveniebant, illam sanctionem Pragmaticam iterum restaurabant, et ut ait Sandini in vita Julii II. P., *certatum fuit super ea re per annos amplius septuaginta.*

Tandem anno 1516. Sanctio pragmatica *per Concordatum* inter Leonem X. et Franciscum I. abrogata, dum prius in Concilio Lateranensi V. Sess. 8. tres oratores Ludovici XII Regis Galliæ ad Concilium Lateranense missi Pisano renuntiarunt Regis nomine, et Lateranense tanquam legitimum agnoverunt, tum etiam Sess. 11. in publico Concilio abolita fuit.

Ex-

Exin varios hinc inde motus iſta Sanctio protulit, atque tempora controverſiæ *de Regalis* etiam famoſi quatuor articuli Cleri Gallicani, et horum defenſio eidem ſuperſtruebantur. Fuere, qui Gallos levitatis et inconſtantiæ in ſuis doctrinis arguunt: alii, qui eos per ſuas opiniones Regibus velificari aiunt: de his judicium ferre, mea non intereſt, et ideo nolim ego iis ſubſcribere; hoc tamen inter omnes convenit, quod præciſa quæſtione Juris poſt Pacta et Concordata ſemel inita, atque publice in Concilio generali approbata et ſolemnizata non liceat uni parti iisdem contravenire, præcipue in re magni momenti, atque in præjudicium vel detrimentum alterius partis compaſciſcentis.

Ex his jam patet, quibus fulcris in Gallia Concilium Baſileenſe nitatur, nec tantam ſemper, ubique et ab omnibus authoritatem habuiſſe, uti adverſarii gloriantur. Inter alios hunc in finem jam ſemel allegavi Cabaſutium, celebrem inter Gallos ſcriptorem in Notit. Eccleſ. ſec. 15., ubi ejus verba initio hujus Cap. num. 4. recitavi. Poſtquam enim dixerat, Concilium Baſileenſe deſiiſſe eſſe le-

gitimum, grande vituperium, fædamque maculam sibi accersivisse, atque perniciosi Scismatis jactasse Semina, ex quo sibi supra Pontificem Romanum authoritatem indebitam arrogavit, quamvis Constantiensis Concilii Decretum prætexeret, sed in diversa, longe dispari caussa. Post hæc author prosequitur: *his adjunge Pontificem Eugenium justam habuisse Basileensis Concilii alio transferendi caussam, fervente tunc in omni vicinia gravi bello Burgundum inter et Austriacum Duces, stantibusque tunc in armis Bohemiæ, Moraviæque Populis, quorum injustis postulatis Concilium non poterat assentiri: jamque etiam transactis octo mensibus, postquam Synodus debuit exordium summere, Episcopi apud Basileam non plures tribus, aliique Prælati nonplures quam decem convenerant, atque ita immerito cætus ille sacrosancti generalis Concilii nuncupatione jactabat, et quod longe deterius est, de extrudendo summo, legitimeque electo Pontifice nefaria consilia capessebat.* Adde Spondanum supra initum hujus Capitis num. IV. citatum, ubi de Concilio Constantiensi. Pariter hic ad an-

num

num 1414. ſcripſit: *ea quæ ambigue decreta fuiſſent de authoritate Concilii ſupra Pontificem, et de Poteſtate reformandi Eccleſiam tam in Capite, quam in membris, abſolute, ut ſonare videntur, ſumpta nullo modo Martinus agnoſcere, aut approbare voluit, utpote contraria exiſtimata et praxi antiquioris Eccleſiæ, et collatæ a Chriſto Domino Poteſtati, ipſique demum naturæ rei, quia caput debet membra regere, non regi a membris.*

Ad 9. Ad hæc jam reſpondi ſuperius, ubi de Concilio Conſtantienſi, et obſervatio Raynaldi *viro probo* digniſima eſt. Inter poſtulata Nationis Germanicæ, et inter ipſa Pacta ac Concordata longiſſimum diſcrimen eſt. Poſtulabat quidem Natio, atque in animo habuit exigere a Papa declarationem non ſuper qualicunque ſubmiſſione aut acceptatione unius, alteriusve decreti Concilii Conſtantienſis, vel ea ſolum ad caſum ſciſmatis reſtricta, ſed univerſim omnium Decretorum ac præeminentium quorumcunque generalium Conciliorum, et Conſtantienſis et Baſileenſis. At Pontifex reſpondit, ſe Concilium generale Conſtantienſe, Decretum *fre-*

quens, et alia ejus decreta, ficut cætera alia Concilia Catholicam Ecclefiam repræfentantia, eorum poteftatem, authoritatem, eminentiam, ficut cæteros anteceffores fuos, fufcipere, amplecti, venerari. In his ftetit Concordia, hic finis Pactorum fuit. De Concilio Bafileenfi, quod prius poftulabat Natio, nec verbum memoratur: Concilium Conftantienfe, Decretum *frequens*, et alia ejus Decreta fufcipit, *ficut alia Concilia Catholicam Ecclefiam repræfentantia*: fed certum eft, quod ante unionem trium obedientiarum *Catholicam Ecclefiam* nondum repræfentaverit Concilium Conftantienfe: illorum poteftatem, authoritatem, eminentiam fufcipit, *ficut cæteri anteceffores noftri*: in cæteris Conciliis generalibus femper Pontifex per fe, vel per Legatos fuos præfens fuit, vel faltem in ea confenfit, ac confirmavit, ideoque iisdem femper unitus fuit, et fic a Pontificibus pofterioribus et tota Ecclefia pro generalibus et legitimis habita funt. A Conftantienfi Concilio folus Martinus V. Eugenio anteceffit. Si ergo Eugenius illud alio modo, quam Martinus, tunc utique non

fi-

ſicut anteceſſores ſui, ſuſcepiſſet. Martinus V. vero non in totum, ſed tantum quæ *conciliariter* geſta ſunt, et *nec aliter*, *nec alio modo* recepit, approbavitque. Quod ſi adhuc urgeas, Eugenium Concilium Conſtantienſe non ſicut ſolum Martinum, ſed ſicut alios anteceſſores alia Concilia generalia ſuſcepiſſe, iterum reſpondeo, alios anteceſſores Pontifices ſolum ea Concilia generalia ſuſcepiſſe, quæ univerſam Eccleſiam repræſentabant, et quæ atque in quantum a Pontificibus pro tempore exiſtentibus celebrata et confirmata ſunt: clariſſime id conſtat ex formula Profeſſionis in libro Diurno, quam neoelecti Rom. Pontifices ſpondere ſolebant, ſe obſervaturos et confirmaturos *omnia decreta Canonica Prædeceſſorum Apoſtolicorum noſtrorum Pontificum, quæcunque ipſi Synodaliter ſtatuerunt, et probata ſunt.* Hoc modo et non aliter Pontifices prædeceſſores Concilia Generalia amplectabantur. Jam Martinus V. tunc exiſtens Concilium Conſtantienſe non in totum approbavit, nullatenus vero illa ambigue facta Decreta, uti ſupra ait Spondanus. Interim quantum Concilium Baſile-

ense attinet, satis est, Eugenium in hoc responso de isto Concilio, nec verbo mentionem fecisse.

Imo dum Imperator Fridericus et Electores Imperii jam anno 1445. peterent confirmationem Concilii Basileensis, ad suos in Germania Legatos scripsit Eugenius: *Nos ipsorum Regis et Electorum supplicationibus inclinati ad imitationem Ss. P. P., et Praedecessorum nostrorum, sicut illi, generalia Concilia Constantiense et Basileense ab ejus initio usque ad translationem per Nos factam, absque tamen praejudicio Juris, Dignitatis et NB. Praeminentiae Sedis Apostolicae, ac Potestatis sibi et in eadem canonice sedentibus concessae, cum omni reverentia et devotione suscipimus, complectimur, et veneramur.*

Pariter post illam, superius a Febronio citatam declarationem, quam Eugenius octodecim ante mortem suam diebus edidit, et ob quam Febronius ait, Eugenium aliter ante mortem de Concilio Basileensi, et praesertim Constantiensi sensisse: post illam Declarationem, inquam, in qua de *Concilio Basile-*

ſileenſi nequidem mentio fit, nihilominus recogitans Eugenius, illa verba generaliora fors ab aliquibus, uti nunc a Febronio, aliisque fit, in ſiniſtram partem accipienda fore, adhuc ſpeciali Salvatorio proteſtatus ſuit, quod exhibet Raynaldus ad annum 1447. num. 7. *ſe, quoniam propter imminentem ſibi ægritudinem non potuit omnia per Nationem petita, et a ſe conceſſa, cum ea integritate judicii et conſilii examinare et ponderare, quam rerum magnitudo et gravitas requirit, per quæcunque dictis Imperatori, Archiepiſcopo, Marchioni, Prælatis, Principibus ac Nationi reſponſa et reſpondenda conceſſa et concedenda non intendere in aliquo derogare doctrinæ Sanctorum Patrum, aut Sedis Apoſtolicæ Privilegiis et authoritati.*

Hæc ultima, et illa mox prius dicta declaratio plane cum Bulla retractationis *Dudum Sacrum* convenit. In his enim, ſicut in Bulla, quæ *in præjudicium Juris, dignitatis Poteſtatis et Præeminentiæ* in Concilio Baſileenſi geſta ſunt, excipiuntur, et ab Eugenio non recipiuntur. Hic in ultimo Salvatorio, quamvis antea de Concilio Baſileenſi,

ſi, quod petebat Natio, mentio facta non ſit, nihilominus ſenſum ſuum explicat, quod priori declaratione nullatenus intenderit derogare *Privilegiis et Authoritati Sedis Apoſtolicæ.* Et hæc Proteſtatio commonſtrat verum et ultimum ſenſum Eugenii, cui etiam immortuus eſt. Falſum ergo eſt, quod Eugenius ante mortem mentem ſuam mutaverit, ſed aperte ejus Conſtantia contra Decreta Baſileenſia oſtenditur, quæ nec in morte frangi potuit. *Mirum!* cum Febronio, attamen potiori jure ac veritate exclamo, *in quæ abſurda et falſa ſe conjiciant, qui contra tot et tam evidentia argumenta authoritatem Conciliorum Conſtantienſis et Baſileenſis* propugnare, *aut extantiora eorum decreta ſiniſtre interpretari pergunt, nullo vero Eccleſiæ bono, ſed evidenti ejus detrimento, et Schiſmatum periculo.*

Quod autem Febronius ex Barthelio illud Salvatorium Eugenii inde infirmare velit, quia dum neque in Concordatis, neque per poſterius aliquod Concilium circa ea, per Eugenium declarata et promiſſa, quidquam noſcatur immutatum aut retractatum, hinc ſe-

ſequi, nihil in iis doctrinæ Ss. Patrum, Privilegiis et authoritati Sedis Apoſtolicæ contrarium offendi. Ita eſt: nihil in illa declaratione ab Eugenio, octodecim ante mortem diebus edita, invenitur Doctrinæ Ss. Patrum, privilegiis et authoritati Sedis Apoſtolicæ contrarium, ſi ea in recto ſenſu intelligatur, et ideo etiam nihil immutari neceſſe fuit; ſed quia verba declarationis generaliora ſiniſtra interpretatione exponi poterant, hinc proteſtationem hanc et Salvatorium Eugenius edidit, utpote genuinus et legitimus verborum ſuorum interpres, qui legem, dum poteſt, apertius dare debet; quod autem in priori declaratione apertius non dederit, juſtam excuſationem profert, gravem ægritudinem nempe, ob quam negotium pro ſua gravitate cum debita integritate judicii ac Conſilii examinare ac ponderare non poterat. Sufficit nunc, ex his omnibus conſtare, quem ſenſum de decretis Baſileenſibus Eugenius ad mortem uſque tenuerit.

Ad 10. Eo uſque effrænis Febronii temeritas (potius dicerem impudentia) excurrit, ut tot, tantisque ſummis Pontificibus, aliisque

que viris graviſſimis in publicis typis tam multa et ingentia ſcandala imputet, quæ quidem non in ſe ipſis, ſed tamen in ejus ore non ſolum Scandala, ſed et calumniæ ſunt.

Scandalum eſt, quod Papam velit iis etiam Conciliis ſubmittere, quæ quidem generalia ſe eſſe dicunt, ſed legitime non procedunt, ſe a Capite abſcindunt, Schiſma faciunt, in aliena jura Primatus involant, quale Baſileenſe a Seſſione 2. et in fine fuit.

Scandalum et veritati contrarium eſt, quod dicat, cauſſam legitima authoritate, ſeu communi Eccleſiæ conſenſu terminatam, cui nihil ſolide opponi poſſit. Decreta Conſtantienſia ad minimum dubia in hac cauſſa, Baſileenſe vero omnino nullius valoris ſunt, ambo ne quidem ad traditionem, priores Canones aut Eccleſiæ ſenſum in his Decretis provocare potuerunt; et Febronius ea vocat *legitimam authoritatem:* dicit *communem Eccleſiæ conſenſum*, quando non ſolum Romani Pontifices, ſed plurimi alii graviſſimi viri tum ante- tum in- tum poſt hæc Concilia

con-

contradixerunt, et ipſe Imperator nomine Concilii Baſileenſis talia Decreta in tractatu Concordiæ delenda eſſe cenſuit. Dicit Febronius, *nihil opponi poſſe, cui non ſolide reſpondeatur*: at in reſpondendo multa præterit, in devia aberrat, et loco reſponſionis ſolum aliquem de ſua factione Scriptorem, ſimilibus præjudiciis imbutum, et æquivocationibus ſcatentem obtrudit, quaſi huic ſtatim omnis ratio, authoritas et argumenta cedere debeant. In Gallia quid fiat, nos parum tangit, ibi non privatos Scriptores, ſed integram Eccleſiam reſpicimus: attamen Gallia non toti Eccleſiæ legem præſcribit, neque præſcribere poteſt, eaque longe ſobrius ſentit, nec cum febronio conſentit, et ſi hic ſingulares Scriptores pro re ſua inde proferre poteſt, jam vidimus, alios celeberrimos etiam Gallos publice et in Scriptis aliter ſentire.

Febronius tales diſputationes prohiberi vult: hoc ut fiat „ ſententia illius certioribus et gravioribus fundamentis niti, neque argumenta toties a veritate et debita authoritate aberrare deberent. Quæſtio hæc in ſen-

ſenſu, quem inferius dabimus, non mere ſpeculativa et inutilis eſt, in re momenti verſatur, intereſt ſcire, quænam *authoritas*, et *quantum* in Eccleſia præemineat? prudentiores Galli, uti jam ſæpe meminimus, a noſtra ſententia, attento eorum modo explicandi, non adeo multum diſtant: aliqui tamen per abuſum ſuorum principiorum magis exorbitantes, quibuscum Febronius ſociatur, Rom. Pontifici ferme nihil, Conciliis vero omnia etiam ſine Papa, et contra Papam attribuunt: cauſſa igitur hæc ab Eccleſia ex genuina traditione, praxi et certo ſenſu Eccleſiæ terminari deberet. Donec hoc fiat, Tyrannis ingeniorum foret, hocque unice adhuc ſummo deſpotiſmo deeſſet, ſi quis ſententiam, quam poſt multam inquiſitionem, deliberationem, improba ſtudia veriorem eſſe credidit, derelinquere, et quaſi contra ſuam mentem, aliam tenere et profiteri cogeretur, et quidem ſub prætextu *præjudiciorum*, quaſi ex altera parte *præjudicia* eſſe non poſſint. Solus Deus et Eccleſia nobis fide divina credenda, tenenda et ſervanda proponunt, atque in materia fidei

et

et re mere Ecclesiastica terminum, legemque ponunt.

Nos interim nostram sententiam, saltem in sensu a nobis inferius explicando tamdiu veram agnoscimus, quamdiu nostra argumenta et authoritates non tantum superficialiter, nec solum opponendo privatos, et sibi ipsi quandoque contrarios Scriptores, prout Febronius fecit, sed omnia et singula distincte et solide non solvuntur, et contraria sententia competenti authoritate, certisque argumentis demonstratur. Hactenus id neutiquam præstitit Febronius, nos lectorem ad salutiones et responsiones nostras solummodo provocamus.

Scandalum est dicere, quod sic tollatur unicum et necessarium medium auferendi scandala. Quot scandala et inordinationes in Ecclesia a primis sæculis per suas Decretales et Canones tulerunt soli Romani Pontifices. Ante Synodos Constantiensem et Basileensem etiam multa Concilia generalia, et post illas Lateranense V. et Tridentinum plurimos Canones et decreta reformatoria

pro tollendis ſcandalis ſtatueruent *cum Papa*, eo vel authore, vel ſaltem conſentiente et approbante.

Scandalum eſt, quod Febronius et alii in tantum deprimant Primatum Rom. Ponficis, et ejus jura, ut abſente Concilio, in magnis occurrentiis neſciatur, ubi ſit ſuprema authoritas in Eccleſia, et præſente Concilio ignoretur, utrum et quando legitimum ſit, ita ut ſtatim diſcerni non valeat, niſi tandem poſt longum, qui Concilium ſubſequitur, conſenſum Eccleſiæ, cum tamen id mox et ſemper ſciri debet, quia conſtat, maxima Concilia errare poſſe, et quandoque erraſſe.

Scandalum et calumnia eſt, quod Pontifex per ſe, vel ſuos Legatos Patribus vim coactivam imponat, liberam decidendi et Definitive ſtatuendi facultatem abroget. Poſteriores Pontifices in Conciliis generalibus ne quidem id egerunt, quod Cœleſtinus P. in Synodo Epheſina, S. Leo P. in Chalcedonenſi, S. Agatho P. in Conſtantinopolitano III., et tamen hæc traditionem, et antiquam

quam praxin commonſtrant, quid eis in Conciliis generalibus agere competat. Scandalum eſt, quod Febronius jura Primatus Pontificii vocet prætenſiones exorbitantes, antiquitati ignoratas, et ſi Synodus illegitime contra Pontificem et ejus jura inſurgat, prout Baſileenſis fecit, ipſe cauſſam diſſenſionum in Papam rejiciat, ad creandam Rom. Pontificibus invidiam.

Scandalum eſt, quod Febronius toti mundo velit perſuadere, Rom. Pontifices tam malos eſſe, ut legitimum Concilium potius diſſipent, Eccleſiam Schiſmatis periculo exponant, et hanc culpam Synodo imponant, quam ut neceſſariam reformationem admittant. Quid in legitimis Conciliis Lateranenſibus et Tridentino pro reformatione egerint, et admiſerint Pontifices, vidimus. Scandalum eſt, et veritati adverſatur, dicere, quod propter diſputationes de ſuperioritate Papæ et Concilii ſponſa Chriſti in cœno relinquatur: deliberet, agat, ſtatuat Concilium *cum Papa*, non *ſine Papa*, nec *contra jura Papæ*, nihil obſtabit iſta diſputatio. Scandalum eſt, adverſariorum ſetentiam car-

pere, et eam non bene intelligere. *Extra Concilium* inerrantia Pontificia defenditur, quia in Ecclesia semper debet esse certus, supremus et infallibilis Judex: *in Concilio* vero infallibilitas non ex inerrantiæ Privilegio, sed ex unitate et conjunctione Corporis cum Capite, cui unitati assistentia Spiritus S. promissa est, desummitur; imo si recte velimus loqui, etiam *extra Concilium* inerrantia Pontificia in hac unitate fundatur. Juliani peroratio jamjam retractata hic nihil amplius probat: Basileenses *debitum* non reddiderunt Pontifici, sed aufferre volebant; non potuit ergo ille recognoscere Concilii hujus authoritatem, quod in hac caussa legitime non procedebat.

Posthæc æquus lector jam statuat de caussa et facto Basileensium, atque demum optet inter sententiam Juliani Cardinalis, et Eugenii Pontificis, sed optando parcat Catholicæ unitati et divino Primatui.

Ad 11. Quomodo Eugenius Concilium Basileense a suo initio usque ad Seff. 14. pro legitimo et æcumenico agnoverit, jam vidimus,

nus, scilicet demptis et exclusis Decretis contra Personam, libertatem, et authoritatem Papæ et Sedis Apostolicæ. Papam fuisse caussam inordinationum in Concilio, Julianus postea sanior factus ad mortem usque negavit.

Horrenda Scandala et Schismata, quæ postmodum in Synodo Basileensi evenerunt, et quæ Febronius huic Concilio adulaturus mitius *abusus* nominat, an non ex principiis, quæ initio statuebant Basileenses, prono alveo fluunt? vel bona arbor tam malos fructus facit? quid postea iterum caussam dissidio dedit? an non idipsum, quod initio statim post Sessionem primam? Sess. 18. iterum pro fundamento ponebant, et confirmabant Decreta Constantiensia, prout factum fuit Sess. 2. exin cum Sess. 25. de loco futuri Concilii non convenirent, et duo opposita decreta edita sunt, atque Eugenius alterum pro electione Civitatis Florentinæ probasset, Sessionibus 26. 27. et 28. Eugenium rursus accusant, citant, ejus Decretum annullant, et tanquam contra contumacem procedunt, uti a Sessione 3. usque ad 14. fa-

 ctum

ctum fuit: et illud quidem contigit Concilio nondum diffoluto, feu translato, et necdum difcefferat Julianus; quippe translatio primum Seff. 28. per bullam Eugenii facta fuit, cui major pars Patrum adhæfit: reliqui primis principiis infiftentes usque ad depofitionem Eugenii et electionem Pfeudo-Papa pervenerunt. Certe hi in fuis factis non aliis principiis agebantur, nec alias pro authoritate fui Conciliabuli rationes prætexebant, quam eadem ipfa, quibus ab initio in diffidio cum Eugenio, authore vel faltem promotore Juliano, movebantur: igitur ex fructibus arborem cognofcito.

Quod fine Præfidio Papæ in Conciliis generalibus legitime et ordinate poffit procedi, ex Conftantinopolitano et Conftantienfi Conciliis neutiquam probatur. Conftantinopolitanum I. generale totius Ecclefiæ nec fuit, nec effe potuit, quia in eo folus oriens conveniebat: eft autem generale totius Ecclefiæ et æcumenicum per hoc, quod eodem tempore Romæ ab occidentalibus ob eandem cauffam et in eundem finem confpirans Concilium celebratum fit, quæ duo

Con-

Concilia, quamvis loco disjuncta, moraliter unum, ficque generale conftituebant: Romano autem præfidebat Damafus P., et ab eo fic utrumque confirmatum fuit. In Concilio Conftantienfi ufque ad electionem Martini V. nullus exiftebat verus et indubius Pontifex: ante unionem trium obedientiarum generale nondum fuit, nec omnia decreta, utpote non *conciliariter* acta approbata funt: facta autem illarum unione primum negotium ad Concilium pertinebat, ut ad extinguendum Schifma de certo Capite Ecclefiæ et Concilii provideatur: hoc rite electo novus Papa ftatim Concilio præfedit, et tum tandem integra Ecclefia præfentata, et Concilium vere generale et æcumenicum fuit. Quod omnia Concilia acephala, quantumcunque maxima, et quæ fe etiam generalia nominant, mox tanquam legitima venerari, eisque cervicem fubmittere debeamus, poft Concilia Mediolanenfe fub Imp. Conftantio, Ariminenfe, Ephefinum fecundum, Conftantinopolitanum anno 755., etfi nulla alia nobis regula fupereffet, non creditur. Et quod tunc remedium?

illud, quod facto monstravit Constantiense Concilium, se uniendo certo Capiti, non certum abscindendo, vel relinquendo, ut Basileense, secus videat, quanam ex parte stet Schisma?

Ad 12. Omnes ii Pontifices talia, quæ Febronius allegat, de Conciliis dicebant, et intelligebant, quæ a Pontificibus non dividebantur, quæ ab ipsis regebantur, et quæ ab his probata et confirmata sunt: ergo dispar est ratio cum Concilio Basileensi. Cæterum tanta veritatis vis est, ut quandoque mediis in tenebris etiam illucescat. Quam alius hic Julianus ab eo, quod alibi dixerat. *Si quidquid in sacris statuitur Conciliis, etiam Pontificis authoritate statuitur: si hæc ibi semper refulget ut prima et præcipua, ut Caput et directrix: si authoritative semper Synodis universalibus interest, ut Ecclesiæ Rector et Pastor: si quidquid a Corpore Ecclesiastico fit, magis ac præcipue operatio quævis Capiti appropriatur: si sub nomine suo ac Persona omnia decernuntur, dum ipse præsens est: si dum ipse abest, sui Præsidentes per Sacrum Concilium deliberata concludunt:* si Statuta

Con-

Concilii in tantum non derogant ejus Potestati, ut legitime, ea *moderari et dispensare possit*: quid aliud superest, quam quod Pontifex non subsit Concilio, nisi in iis, in quæ ipse *authoritative* consentit et approbat, et ibi legem non tam a Concilio, quam a seipso accipit? quis his plura requirit? si adversarii cum Juliano hæc omnia concedant, omnes tricæ cessabunt. Taliter omnes Rom. Pontifices Concilia æcumenica amplexati sunt, et pie observarunt. Sed hinc etiam nolente Juliano et Febronio sequitur, ea, in quæ Pontifex authoritative non consentit, quæ *sua authoritate non statuuntur*, quæ ipsi tanquam *Capiti appropriari* non possunt, nec *sub nomine suo et Persona* decerni, vel concludi, prout in Basileensi Concilio contigit, hæc Pontificem exequi non debere, neque se iis submitere, et si quid in conciliis *sine authoritate Pontificis* statuitur, tunc semper deesse authoritatem *primam* et *præcipuam*. Febronius in verbis Juliani frustra confidit quæ potius nobiscum, cum suo Systemate autem neutiquam conveniunt.

Ad ea nunc Greſſum facimus, quæ Febronius de Conciliis generalibus in poſterioribus ſuis Tomis vel ad opinionem ſuam defendendam, vel ad adverſarios refutandos addit: hæ iterum meræ repetitiones ſunt, æquivocationibus involvuntur, et omnia confunduntur. Sic quæ tom. II. Apolog. pag 188. 225 533. item 218. 221. denique *flores ſparſi* pag. 458. etc. affert, plene diſſipantur, ſi omnia in ſuo ſenſu rite intelligantur. Dicit nempe, Concilia generalia certo eſſe infallibilia; etiam nos hoc dicimus, at ſimul addimus, Concilium generale non intelligi, et certo non eſſe generale, neque totam Eccleſiam repræſentare ſine Papa, ſine Capite, ſine membro primario et præcipuo Eccleſiæ, certo et indubio exiſtente.

Dicit, Concilium generale ſuam infallibilitatem non mutuare a Papa: concedimus. Concilium generale cum Papa unitum ſuam infallibilitatem habet ab aſſiſtentia Spiritus S.; hanc tamen infallibilitatem (quod factis et experientia conſtat) adeoque aſſiſtentiam Spiritus S. non certo habet ſine Papa, quia tunc

tunc generale et tota Ecclesia non est. Tota Ecclesia sub uno Pastore congregata habet assistentiam Spiritus S., non quævis Ecclesiæ particulares in unum congregatæ. Hoc dein addimus, extra Concilium Rom. Pontificem esse infallibilem, et habere assistentiam Spiritus S., utique non ipsum solum, et singulariter spectatum, sed quatenus ei tota Ecclesia unitur per consensum, non subsequentem, sed actu præsentem, scilicet non tantum mediante ejus Concilio domestico, dum fidei aut morum quæstio tractatur, sed etiam eorum Episcoporum, quorum interest, in quorum Provinciis quæstio orta est, ventilatur, dubitatur, a quibus inquisitio et relatio fit ad Papam, quibiscum consultatur, et quorum sensus atque judicium prævie exquiritur. Cæterorum Episcoporum, ad quos quæstio non pervasit, qui hujus nullam, aut vix notitiam habent, qui in quæstionis orginem, caussas, finem et alias circumstantias inquirere nequeunt, an non eorum consensus juste præsummitur, et jugiter jam adesse censetur? aut quam justam caussam hi habent negandi, vel non

dan-

dandi consensum, postquam Romæ, uti solet, et ab Episcopis, quos propius attinet, et genuinam rei notitiam tenent, omnia diligenti inquisitione, studiosa consultatione, matura deliberatione peracta sunt? en! consensum Ecclesiæ dispersæ cum Papa extra Concilium actu præsentem, ita ut subsequens post longius tempus exspectari non debeat. Hoc sensu Pontifex extra Concilium est infallibilis, habetque assistentiam Spiritus S. Ratio omnium horum est, quia Ecclesia extra Concilium congregatum est infallibilis. Non potest autem per se tota Ecclesia dispersa loqui, docere, dogmatizare, decernere, ideo hoc debet fieri per unum nomine totius Ecclesiæ: hic alius non est, nisi Vicarius Christi, Successor Petri, Primas et Pastor totius Ecclesiæ, Rom. Pontifex. Necesse est igitur, ut hic specialem habeat assistentiam Spiritus S., et hinc ejus definitiones, decisiones in fide et doctrina sunt infallibiles. Si igitur bene intelligas, utrobique infallibilitas habetur ab assistentia Spiritus S., qui in Concilio congregato non soli Papæ, sed toti Corpori Ecclesiæ, id est, Papæ et Episco-

copis simul assistit, ita ut Concilium suam nfallibilitatem non a solo Papa mutuare deeat, quamvis coadunatio cum Concilio sit ecessaria, ut perfecte repræsentetur, et sit Ecclesia. At etiam extra Concilium Papa pecialiter habet hanc assistentiam propter onum et unitatem Ecclesiæ.

Hinc habes, quomodo Concilium, et uomodo Papa extra Concilium sit infallilis? dein quid Concilium possit cum Papa, t quid valeat sine Papa, vel contra Papam egitimum et certum? hisce omnes etiam liorum authorum dicta et amphibologiæ solruntur. Consequenter ad hæc dicta, atque n hoc sensu admitto, quod Papa in *Concilio enerali congregato* non sit *supra* Ecclesiam, ed in Ecclesia, id est, non *supra Concilium*: t econtra Concilium etiam non est *supra Papam*, sed ambo debent, esse unum in Spitu, sensu, fide atque doctrina; et si Conilium a Papa dividitur, tunc cessat esse generale, unum corpus, cessat esse infallibile, uia Spiritus S. non est Spiritus dissensionis, ed Spiritus pacis et unionis. Manet nihilminus, Papam extra Concilium congregam esse *supra Ecclesiam*, nempe *dispersam*.

Si dicas: Papa poteſt etiam injuſte ſe ſeparare a Concilio, et apud quem tunc ſtabit infallibilitas? reſpondeo: in rebus fidei et doctrinæ id non fiet, ut Papa Eccleſiæ proponat doctrinam malam, et veritati contrariam; permanet enim promiſſum Chriſti, et Petra Eccleſiæ non corruet, ita ut Portæ inferi adverſus hanc prævaleant, neque Chriſti aſſiſtentia in neceſſariis unquam deerit. At in aliis et materia diſciplinæ neque Papæ, neque Concilio promiſſa eſt infallibilitas, ſed pax et ordo præſciptus; quod ſi tamen in his Papa palam injuſte ſe ſeparet a Concilio, non ideo contemnenda aut conculcanda ſunt ejus jura divinitus inſtituta, non obedientia et ſubordinatio tollenda, ſed Pax et Charitas Chriſti exſuperet, et regnet in cordibus, quæ non æmulatur, non eſt ambitioſa, non inflatur, non agit perperam, et interim Epiſcopi jugi diſciplinæ et ovibus in ſuis Eccleſiis ſtudioſius invigilent, atque præprimis id agant, ut pax, Concordia et unitas reducatur.

Dixi *palam injuſte:* nam præſumptio ſemper ſtat pro eo, qui caput eſt, et cujus

in

in Regimine præcipuæ ſunt partes, atque Epiſcopi particulares non poſſunt ſemper ſcire, quid toti conveniat aut expediat, prout tamen ſcire poteſt, et debet ille, qui totum ſemper præ oculis habet, ſucceſſiones rerum et circumſtantiarum cum ſuis cauſſis novit: multa creduntur perperam fieri, quia cauſſæ latent, hæ ſi omnibus apertæ eſſent, ſæpius et ipſi conſentirent.

In ſuperius ergo dicto ſenſu ea quæſtio, *an Papa ſit ſupra Concilium generale, vel econtra?* minus accurata et inutilis eſt. Non intelligitur Concilium generale totam Eccleſiam repræſentans ſine Papa, et Papa non eſt *ſupra*, nec *infra*, ſed *cum Concilio*. In hoc ſenſu Gregorius M. fatetur, ſe quatuor Concilia venerari, ſicut quatuor Evangelii libros: in hoc ſenſu alii Pontifices profitentur, ſe obſervare velle et debere, ſe executores eſſe Canonum Conciliorum Conciliarium; nempe hæc Concilia non erant præciſe congregatio Epiſcoporum particularium Eccleſiarum ſine Capite totius Eccleſiæ, erant unita cum Capite, horum Decreta et Canones erant ſimul, ut Cardinalis Julianus dixit,

De-

Decreta Sedis Apoſtolicæ, ſive per directionem et conſenſum, ſive per approbationem, ſicque aperte habebant aſſiſtentiam Spiritus S., ideo iisdem Rom. Pontifices merito ſe ſubmittere debebant. Aliud eſt de Conciliis, in quibus Pontifex nec caput eſt, et in quæ nec conſentit, nec approbat.

Hæc ſi non admittas, non poteſt dari rolida ratio, quare ſupra nominatis Conciliis ſeprobis non tota reliqua Eccleſia, et ipſe ſummus Pontifex adhærere debuerint, fuerintque legitima? Sit, quod fides de Conſubſtantialitate filii cum Patre in Concilio Nicæno 300 Epiſcoporum definita jam fuerit: nam ſi in Concilio generali etiam *ſine Papa* adhuc reſidet tota authoritas, ſi illud adhuc habet aſſiſtentiam Spiritus S., ſi priora Concilia, ut ait S. Auguſtinus, a poſterioribus emendantur, non eſt ratio, quare non magis duobus aliis Conciliis numero æque, imo amplius generalibus, nempe Mediolanenſi 300 Epiſcoporum, et Ariminenſi cum Seleucienſi 600. Epiſcoporum credendum adhærendumque fuerit, in quibus fides Nicæna reprobata fuit? nihilominus contra hæc Ge-

ne-

neralia et maxima Concilia reliqui ſtabant ex parte Rom. Pontificis, qui ea Concilia reprobavit, et ex eo tempore ſemper creditum fuit, hos Catholicos, illa vero Concilia hæretica fuiſſe; quod manifeſto argumento eſt, illo ævo totius Eccleſiæ Catholicæ ſenſum fuiſſe, illa ſolum Concilia vere legitima eſſe, atque authoritatem habere, in quæ Rom. Pontifex conſenſiſſet, et a quibus diſſentiret, vera et legitima non eſſe; quin et in hoc caſu potius adhærendum eſſe Pontifici contra Concilia, quantumcunque generalia et maxima, quod ipſum Damaſus P. Epiſt. ad Epiſcop. Illyrici aperte declarat: *neque præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando conſtat, Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat eos exſpectare decretum, neque alios talibus præbuiſſe conſenſum.* Pariter huc pertinent verba Gelaſii I. P. ſupra citata, quibus et alia plura, ac certiſſima teſtimonia addi poſſent, unde hanc, quam modo proponimus, totius veteris Eccleſiæ doctrinam et ſenſum fuiſſe, ſolide demonſtratur. Imo in tantum authoritas Rom. Pontificis extra Concilium gene-

rale prævalere visa fuit, ut quæ ipse prius sive in fide, sive in Disciplina ultimo judicio statuit, subsequentia Concilia vere generalia ne quidem refricare, aut immutare, nisi eo consentiente, auderent. Quo enim Pacto, Cœlestinus P. ad Synodum Ephesinam jamjam congregatam de Depositione ac Damnatione Nestorii a se facta scribere ausus fuisset, se suos Legatos mittere, *ut quæ antea a nobis statuta sunt, exequantur, quibus præstandum a vestra Sanctitate non dubitamus assensum.* Quo sensu Firmus Cæsareæ Episcopus nomine Concilii dixit: *Apostolica et Sancta Sedes Cœlestini — — — de præsenti negotio sententiam dixit, regulamque præscripsit, quam nos quoque secuti — — formam illam secuti executioni mandavimus?* quo pacto S. Leo P. ad Concilium Chalcedonense ausus fuisset scribere de sua definitione in Epistola ad Flavianum data, ac prohibere, ne in Concilio amplius super hac re jam definita disputaretur? *unde fratres Charissimi rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam vana errantium infidelitas conquiescat.* Et cur Patres sta-

ſtatim adquieverunt? Cæropius Epiſcopus dixit: *ſuper iis forma data eſt a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Romanæ urbis, et ſequimur eum, et Epiſtolæ omnes ſubſcripſimus: Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: iſta omnes dicimus, ſufficiunt, quæ expoſita ſunt, alteram expoſitionem non licet fieri.* Similiter idem S. Leo quomodo Canonem 28. ejusdem Concilii, abſentibus ſuis Legatis conditum reprobare auſus fuiſſet? quo Pacto potuiſſet S. Agatho P. ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum ſcribere in epiſtola, quæ lecta fuit in Synodo generali VI. act. 4. et ab omnibus ſubſcripta act. 8., uno Macario Monothelita contradicente, qui ideo depoſitus fuit? ſic autem habet S. Ponfex: *per nos prævidimus dirigere, non tamen tanquam de incertis contendere, ſed ut certa et immutabilia compendioſa definitione proferre.* Et infra: *qui vero hæc confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ atque Apoſtolicæ confeſſioni perpetuæ condemnationis reos eſſe cenſemus.*

In Concilio generali VIII. contra Photium nullus Epiſcopus a Legatis Papæ admiſ-

 ſus

ſus eſt ad Concilium, niſi prius formulæ fidei ab Adriano II. P. miſſæ ſubſcripſiſſet, in qua etiam Photius damnabatur. Ita veteres Rom. Pontifices ſuam authoritatem in iis, quæ jam antea definierunt, aut ſtatuerunt, cum tanto vigore et conſtantia in ipſis Conciliis generalibus oſtentabant, ac tuebantur, Concilia vero eam venerabantur, amplectebanturque, ut inde ſatis colligere liceat, quanta in veteri Eccleſia tum in - tum extra Concilia fuerit Rom. Pontificum authoritas atque Poteſtas.

Hæc acta, hæc facta traditionem, Praxin et ſenſum Eccleſiæ manifeſte demonſtrant, dum econtra Febronius nulla traditione aut exemplo probare poteſt, Concilia legitima legitime ſuperioritatem in Papam, niſi fors eo volente et conſentiente exercuiſſe. Quando Concilium generale VI., ſi ejus acta etiam ab omni impoſtura Græcorum, de quo adhuc controvertitur, abſolvimus, Honorium P. inter hæreticos anathematizavit, tunc jam ſuppoſita quæſtione facti, de quo pariter adhuc litigatur, ad quæſtionem juris proceſſit. Sed omnes norunt,

im-

imprimis Epiſtolam Honorii dogmaticam non fuiſſe, ſed privatam, vel ad ſummum proviſoriam, dein Papam, ſi fiat hæreticus, hoc ipſo a ſua dignitate et officio excidere; qui enim Caput Eccleſiæ eſſe amplius poterit, qui hujus etiam membrum eſſe ceſſat? et qui ut hæreticus comdemnari non valeat, qui amplius nec Papa, nec membrum Eccleſiæ eſt?

Concilium Romanum contra Joannem XII., uti ſupra vidimus, legitimum non eſt, minus vero generale: præterea Clerus Romanus et Epiſcopi ſciebant, Joannem potius intruſum, quam electum fuiſſe, atque ad evitanda majora Scandala et mala magis ut Papam tolerari, quam vere agnoſci: igitur non minimam rationem habebant, contra eum non legitime electum procedendi; quare inde non firmatur, aut indicatur opinio de Superioritate Concilii ſupra Pontificem certum, canonice intrantem, atque legitime electum. Taceo, tales accuſationes contra Joannem allatas fuiſſe, quæ probarent, eum nec Chriſtianum fuiſſe.

Concilium Lateranense I., ait Febronius, *ratione investituræ emendavit Paschalem II.* dixisset verius: Paschalis emendavit seipsum; hunc enim captum minis etiam Henricus V. Imperator coegit, ut sibi investituras concederet: concessit Paschalis, sed in libertatem assertus anno 1111. convocato primum Capuano Concilio, dein sequenti anno, Romano Concilio centum circiter Episcoporum concessionem investiturarum, et *illud malum Scriptum*, ut ait Urspergensis in Chronico, *in tentoriis factum* ipse irritum declaravit, et *condemnavit sub perpetuo Anathemate.* Jam quid emendavit Concilium Lateranense, quod non prius fecerat ipse Paschalis? Ob quamcunque caussam Concilium Constantiense deposuerit Joannem XXIII., non erat, nec agnoscebatur a tota Ecclesia, quin nec a toto Concilio tanquam certus Pontifex.

Synodus Basileensis nequaquam Eugenium IV. ad officium compulit, sed ipse amore pacis et ad majus Schisma evitandum, adnitente Imperatore Sigismundo, Concilio pacem dedit, et sic tantum dedit, ut prius

om-

omnia contra ſuam Perſonam, libertatem et authoritatem Sedis Apoſtolicæ a Concilio decreta per ipſum Concilium tollerentur, et annihilarentur. Anne hoc eſt, Pontificem ad officium compellere, vel potius Concilium ad retractanda decreta cogere, ita quidem, ut ni id faceret, Papa diſſolutionem a ſe factam non revocaret, neque Concilio adhæreret?

Nolim ego amplius refricare, quæ Febronius tom. III. de authoritate Conciliorum generalium ſupra Pontificem ex Concordatis Germaniæ probare contendit. Jam dixi, Concilia generalia non ſunt ſupra nec infra Pontificem, ſed cum Pontifice, et ſine hoc ne quidem intelligi poſſunt; hinc illa quæſtio tam inutilis, quam invidioſa eſt. Quidquid antea poſtulaverit Natio germanica, Concordia tamen in eo ſtetit, ut Eugenius concilium et decreta Conſtantienſia, *ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia*, et eorum authoritatem, *ſicut cæteri ejus anteceſſores reciperet*, quod dein addita mox proteſtatione magis explicavit, *per hoc ſe non intende-*

re in aliquo derogare Doctrinæ Ss. Patrum, aut Sedis Apostolicæ privilegiis et authoritati. Quando autem tempore Decretorum Seff. IV. et V. in Concilio Constantiensi nondum *Catholica repræsentabatur Ecclesia*: quando antecessores Romani Pontifices juxta formulam Professionis in libro diurno tantum ea recipiebant, et amplectebantur, *quæcunque ipsi Synodaliter statuerunt, et probata sunt*: quando proximus Eugenii antecessor Martinus V. solum probavit, quæ *in materiis fidei*, et *conciliariter* acta sunt, illa vero decreta nec ipsum Concilium *ad materiam fidei* pertinere volebat, nec etiam a Concilio *ut generali*, neque *conciliariter* acta sunt: quando de Concilio Basileensi, hæc Decreta innovante, in eo Concordiæ tractatu omnino mentio non fit: quando denique de constanti usque ad mortem Eugenii sensu, nempe a Bulla revocationis usque ad ultimam hanc protestationem constat, quod Decreta Constantiensia non in sensu Basileensium intellexerit, quod in sensu Basileensium intellecta semper reprobaverit; hinc ex omnibus necessario sequitur, Eugenium per ea Concordiæ verba de-

decreta Constantiensia in sensu Basileensium nullatenus approbasse, ideoque ex Concordatis Germaniæ non probari superioritatem Concilii supra Papam per Decreta Constantiensia etc. vid. supra, ubi de Concil. Constant. in Not. Tom. III. pag. 283. Febronius ait: *Thesis de superioritate Concilii supra Pontificem (cujus contrarium docere non in Gallia solum, sed in variis etiam Catholicis Germaniæ Academiis authoritate superiore prohibitum est) non est mera quæstio de nomine: foret autem talis, si universalis Ecclesia, Synodaliter congregata, adversus Papam invitum, utcunque improbum, boni Ecclesiastici inimicum nihil statuere posset, quinimo et in ipso malo disciplinæ per eum in Ecclesiam invectæ, illi adhærere teneretur.*

At Lentius festina: quid si, et quidem optimo jure argumentum invertamus: Thesis de Superioritate Papæ supra Concilium non tantum foret mera quæstio de nomine, sed toti Ecclesiæ male provisum esset, imo jam portæ inferi adversus eam prævaluissent, si Papa adversus congregatum concilium, utcunque reprobum, veræ fidei inimicum

et everſivum , qualia fuerunt Mediolanenſe 300. Epiſcoporum tempore Conſtantii Imp., Ariminenſe 600. Epiſcoporum anno 363., in quibus Nicæna fides damnata, et Ariana hæreſis confirmata fuit, Conſtantinopolitanum 338. Epiſcoporum anno 755. quod Chriſti et Sanctorum imagines abolendas eſſe ſtatuit, item adverſus Concilia, quæ maximum malum Diſciplinæ contra ſacros Canones in Eccleſiam invehere audent, uti fuerunt Antiochenum anno 345. contra Athanaſium, Epheſinum ſecundum, Latrocinium dictum, Dominante Dioſcoro contra flavianum etc. etc., ſi, inquam, Papa adverſus talia Concilia nihil ſtatuere poſſet, ſed eis adhærere teneretur; hoc autem fieri debuiſſet, ſi Concilium eſt Papa ſuperius: et ſi feciſſet, Eccleſia jam ſeculo quarto corruiſſet. Hisce nihil ſolide opponi poteſt: Concilia hæc generalia eſſe videbantur, generalia ſe nuncupabant, et certo vere generalia fuiſſent, ſi Rom. Pontifices iisdem adhæſiſſent: reliqui Epiſcopi diſperſi iisdem, ſicut aliis Conciliis generalibus, ſe ſubmittere debuiſſent, nec contra ea prævalere potuiſſent.

Ve-

Verum an non inde colligitur, Papam potius Conciliis superiorem esse, qui contra hæc anchoram fidei tenuit, et maximas etiam erraticas Synodos sua authoritate dissipavit.

Adversarii, ut vim argumenti eludant, iterum ad suum circulum recurrunt, sed propius eos teneamus. Ideo aiunt hæc Concilia illegitima esse, *quia ab Ecclesia recepta non sunt.* Ingeniosæ hæ nugæ sunt. Quæ a qua Ecclesia? abs tunc præsente et existente, vel primum post longius tempus subsequente? quæcunque sit, utraque caussam habere debuit, ea *Concilia non recipiendi.* subsequens et posterior Ecclesia, quia illa prior et tunc existens non recepit, hæc ipsa vero certam et Canonicam caussam habere debuit ea non recipiendi. Non enim jam tunc, quando celebrabantur, ideo illegitima erant illa Concilia, nec etiam talia ideo remanserunt, quia Ecclesia subsequentibus temporibus ea non recepit, sed potius ob illam ipsam caussam, propter quam Ecclesia jam tunc et primitus ea non receperat, illegitima erant. At illo ævo alia caussa non assignabatur, quam quod Rom. Pontifex, *cujus ante omnia de-*

be-

bebat exſpectari Decretum, cum his Conciliis non erat, neque conſentiret, uti Damaſus, Gelaſius PP. aliique teſtantur.

Secundum principia adverſariorum *vera Eccleſia* in Concilio erat, illud habebat aſſiſtentiam Spiritus S.: non ergo amplius *receptio* et *conſenſus Eccleſiæ* exſpectandus erat. Et ſi fors dubitari potuiſſet, an *in Concilio*, vel *in Rom. Pontifice* cum reliquis Epiſcopis ſit *vera Eccleſia*, tunc ſuſpendi debuiſſet judicium, donec de longe poſteriori receptione et conſenſu, quid nempe futura Eccleſia actura ſit, conſtaret. Sed non ita factum eſt: quam primum conſtitit de diſſenſu Rom. Pontificis, illa Concilia mox ut illegitima habita ſunt, veraque Eccleſia non in Concilio, ſed in Rom. Pontifice cum reliquis Epiſcopis eſſe creditum fuit, et ideo poſterior Eccleſia ea etiam non recepit. *Acceptatio Eccleſiæ* quidem a poſteriori ſignum infallibile eſt de authoritate Conciliorum, ſed iſta acceptatio præſupponit cauſſam, eamque ſubſequitur, propter quam Concilium acceptatur, et Eccleſia hanc cauſſam determinat. At cauſſa, propter quam illa Concilia le-

legitima non esse consebantur, ut dixi, fuit dissensus Pontificis. Igitiur hæc est caussa et verus Character, quem ipsa vetus Ecclesia, genuinæ traditionis interpres, sua praxi et sensu determinavit ad judicandum de valore et authenticitate Conciliorum generalium, quemque in sua acceptatione vel non acceptatione tenuit.

Vides, quantum adversarii in applicanda regula de acceptatione Ecclesiæ sæpius hallucinentur, quando eam fere solum ad declinandam convictionis confessionem opponunt, ut difficultates objectas effugiant, ad quas respondere non valeant, quasi tempore talium Conciliorum, et mox post illa adhuc nesciret Ecclesia, quid sibi tenendum, agendumque esset, et Ecclesia præsens] primum a longius subsequenti edoceri debeat, atque ab hujus acceptatione, vel non acceptatione ipsa dependeat. Quid monstrosius, quid magis contradictorium?

Quòd firmavit in Synodo Sedes Apostolica, ait Gelasius I., *hoc robur obtinuit*, *quod*

re-

refutavit, habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod præter ordinem Congregatio Synodica putaverat usurpandum. Hic sensus, hæc Doctrina, hæc traditio et praxis fuit veteris Ecclesiæ. Ad hæc directe et solide, si valent, respondeant hodierni Pseudo-Theologi cum suo Febronio. Tandem dum ait Febronius, Thesin de Superioritate Papæ supra Concilium in Gallia et alibi doceri prohibitum esse. At num ideo quæstio et caussa decisa est? num argumenta pro hac thesi afferri solita sunt enervata vel solide refutata? neutiquam. Mihi videtur, potius et illam de Superioritate Concilii supra Papam prohibendam fore; utraque enim Thesis in sensu, quo proponitur, aliquid æquivocationis habet, et ideo potius dicendum esse; Concilium generale nec supra, nec infra, sed cum Papa est, quia revera Concilium sine Papa legitimum et generale non est: econtra Papa non est supra Concilium generale *dominative;* est tamen supra illud *directive*, quatenus ejus directio et influxus in Concilio necessarius est, et sine eo Concilium non est vere generale et legitimum hoc

hoc medio utriusque partis argumenta, ſepoſita omni æquivocatione, optime invicem conciliantur.

Poſthæc adhuc verum manet, Papam eſſe ſupra Concilium illegitimum, quantumcunque maximum et generale, quia talia reprobat, et ſine hoc non haberemus certam regulam diſcernendi Concilia legitima ab illegitimis, quod mox ex traditione Eccleſiæ et ratione monſtratum fuit; verum quoque manet, Papam *extra Concilium* eſſe infallibilem, utique non ſe ſolum privative et perſonaliter, ſed cum conſenſu Eccleſiæ legitime præſumpto atque præſente, in ſenſu a nobis ſuperius explicato.

Validiora non ſunt, quæ Febronius tom. IV. affert; quippe ea omnia hactenus præoccupata ſunt. Quod *acceptatio Eccleſiæ* a poſteriori ſit ſignum infallibile de authenticitate alicujus Concilii generalis, ſed *acceptatio* præſupponat cauſſam, ob quam Eccleſia acceptat, vel non acceptat Concilium, hæc vero cauſſa in veteri Eccleſia poſita fuerit in conſenſu et conjunctione Rom. Pontifi-

tificis, jam diximus, ſecus Eccleſia præſens, ſtante tali caſu, in ſeipſa nunquam certam regulam ſe determinandi haberet, ſed eam a ſubſequenti Eccleſia exſpectare debet, quod plane ridiculum ſimul et contradictorium foret. Et quam demum poſterior Eccleſia præ priori cauſſam haberet ſe determinandi ad *acceptationem*, vel *negationem conſenſus?*

Quando Febronius eodem tom. Part. 1. Diſſert. 5. Cap. 2. teſtimonium Damaſi P. ſupra relatum per hoc vult relevare, quod in ea Epiſtola non ſolus Damaſus, ſed alii quoque cum eo Epiſcopi loquantur, item quod dicatur, non Damaſum tantum, ſed et alios Epiſcopos conſenſum negaſſe, per hæc adverſarius nec minimum lucratur, imo amplius refellitur. Si alii Epiſcopi cum Damaſo loquuntur, tunc non ſolus Damaſus, ſed et alii Epiſcopi dicunt, ad illud Concilium generale, et quæ ibi acta ſunt, neceſſario, et *ante omnia Romani Epiſcopi expetendam fuiſſe ſentiam.* Et ecce! hic illius ævi Catholicorum Epiſcoporum ſenſum et Eccleſiæ. Quando ulterius ajunt, Damaſum, et cum eo Epiſcopos, *neque etiam vincentium, ne-*

que

que alios hujusmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe; quæro: ſi etiam hi, Damaſo excepto, conſenſiſſent, an tum Concilium legitimum fuiſſet? utique et hi cum aliis errare potuiſſent? an non nihilominus adhuc *ante omnes Rom. Pontificis exſpectanda erat ſententia?* certe in ſenſu horum Epiſcoporum nondum fuiſſet legitimum ante conſenſum Rom. Epiſcopi; hujus enim ſolius, non aliorum dicitur, prius expetendam fuiſſe ſententiam. Igitur manifeſtum eſt, aliorum Epiſcoporum diſſenſum a Damaſo et ejus Concilii Patribus allegatum fuiſſe, non ad oſtendendam eorum conſenſus neceſſitatem, prout de conſenſu Romani Epiſcopi loquebantur, ſed ad declarandam diſſenſus Pontificii firmitatem, quia cum Damaſo, ſeu potius Liberio P. alii quoque Epiſcopi conſpirabant, et profecto id nunquam factum eſt, et Deo aſſiſtente nunquam fiet, ut omnes Epiſcopi deficiant, et non ſemper multi cum Rom Pontifice cohæreant, ita ut in his ſimul vera Eccleſia perſiſtat. Adhuc notandum eſt, hanc Damaſi epiſtolam datam eſſe in Synodo nonaginta trium Epiſcoporum

ex Gallia et Italia: *Galli* ergo tunc exiſtimabant, diviſo a Papa Concilio, authoritatem non ipſo Concilio, ſed potius in Rom. Pontifice, cujus neceſſaria eſt ſententia, exiſtere, et hoc quidem in re dogmatica et Doctrinali omnino certum eſt.

Eodem tom. Part. 2. Diſſert. 9. Cap. 3. ſummatim omnia iterum de materia dicta recoquit, quibus per decurſum articulatim reſponſum jam fuit, et Febronius nec ſibi, vel cuivis alteri imponat, ſe cauſſam viciſſe, potiora tamen hic iterum ſeligo, queis in compendio reſpondeo.

Ait, ſchiſma Seculi XIV. non tamdiu perduraturum fuiſſe, nec forte ſchiſma Græcorum, ſi Concilia ſæpius celebrata fuiſſent. Reſpondeo: hæc extra quæſtionem noſtram vagantur. Seculo XIV. Eccleſia in partes Sciſſa fuit ob plures Pontifices, qui eo ipſo dubii erant: in hoc caſu Eccleſia potuit et debuit ſibi providere de certo Capite ad ſchiſma tollendum, quantumcunque hi dubii Pontifices reſiſterent. Sed inde non ſequitur, quod Concilium etiam habeat Poteſtatem in le-

legitimum et certum Pontificem, hicque ſe illi ſubmittere teneatur. Schiſma Græcorum hic nec nominare debuiſſet Febronius; probat enim potius contra Concilia. Quid contra Græcorum ſchiſma profuerint Concilia generalia, omnibus compertum eſt; quippe ſemper ad vomitum redierunt Sandini in vit. Rom. PP. annotat. 2. ad Eugenium IV. ait: *Græci enim vix in Patriam reverſi, authore Marco Epheſino Metropolita, renovarunt ſchiſma antiquum, in quo ad hodiernam diem perſeverant poſt duodecimam, ſeu decimam quartam cum latina Eccleſia conciliationem. Namque S. Antoninus* 3. *part. Chron. tit.* 22. *Cap.* 13. *hanc duodecimam appellat, alii vero apud Spondanum ad ann.* 1274. §. 8. *eam faciant tertiam decimam, quæ in Concilio Lugdunenſi II. Aecumen. XIV. facta eſt.* A Græcis ſchiſmaticis ergo pro fructu, utilitate, neceſſitate et authoritate Conciliorum generalium nec minimum Febronius lucratur.

Ait: Reformatio Curiæ Romanæ non niſi per generale Concilium fieri poteſt.

tra voluntatem Papæ, ut, si resisteret, obviaret ejus insolentiæ.

Resp. hæc sententia multam affinitatem habet cum illa, utrum liceat Monarcham, Principem, si Reipublicæ nocivus sit, despotice regat, multos injuste opprimat, e solio deturbare aut occidere? Principes hanc sententiam, utpote seditionibus faventem et coronis inimicam merito non patiuntur; at contra Papam valeat? sed quid nobis cum Gersone, qui, uti jam vidimus, in multis et a multis vapulat? tu cum Gersone et similibus Sociis semper fingis pessima, et qualia vix aut nunquam evenient: hæc lectori tanquam certa et præsentia obtruduntur. Quod si tamen talis fictio in actum et veritatem aliquando reducatur, et inde magnum damnum toti Ecclesiæ immineat, poterit convocari Concilium generale, et hoc *cum Papa* tanquam suo Capite caussam tractare, non tamen se *supra Papam* efferre, et ipsum *tanquam reum* sibi subjicere ita statuit ipsum Concilium Generale VIII.

Quod vero Papa in tali casu, atque in justa et gravi caussa media convenientia,

 suæ

ſuæ authoritati non præjudicioſa, non ſit admiſſurus, hoc eſt, non Papam aut virum prudentem, et rationis capacem, ſed hominem fanaticum et mentis ſuæ non compotem fingere. Eo uſque tuæ fictiones procedunt. Sed et de læſo ſummis Pontificibus reſpectu et honore reus es, quod eos *inſolentiæ* arguas.

Ait: Si Papa Concilio adeſſe non velit, aut non poſſit, non ideo Concilium acephalum redditur, quia Papa eſt quidem primus, non tamen ſolus Epiſcopus in Eccleſia, hæc etiam defuncto Rom. Pontifice non vacare cenſetur. Ipſe eſt Præſes, ſi officio ſuo defungi nolit, ordine ſecundus aut tertius etc. potietur. Eſt Caput ſecundum metaphoram, quo ablato non ceſſat vita Eccleſiæ, cum Eccleſia ſine Papa vivat.

Reſp. imperite hæc omnia: Rom. Pontifex non eſt ſolum primus ordine et numero in Eccleſia, ſed et officio; habet enim ſpeciale officium, ſpecialem Authoritatem et Poteſtatem in Eccleſia, et quidem non ab

Ec-

Ecclesia, sed a Christo; hinc eo absente non secundus, non tertius etc. ejus vices subire potest, quia nullus alius hoc officium, hanc authoritatem habet, neque ab Ecclesia vel Concilio recipere potest, utpote soli successori Petri divinitus reservatum. Defuncto Papa non quidem Ecclesia ipsa vacat, sed Caput et Pastor Ecclesiæ vacat; huic ergo præprimis de Capite providendum erit, et interim Concilium pro necessitate et bono Ecclesiæ provisorie statuit, quod dein a subsequenti Rom. Pontifice confirmatur. Ita factum fuit in Concilio Constantiensi: ita Ecclesia Romana tempore Cypriani in caussa lapsorum ante electionem novi Pontificis nihil statuere voluit: ita Concilia Generalia defunctis et decedentibus Rom. Pontificibus a successoribus confirmationem vel petebant, vel recipiebant.

Papa est Caput Ecclesiæ, utique non physicum, quia Ecclesia etiam corpus physicum non est: sed morale, ideoque in hoc sensu *secundum metaphoram.* Christus est caput Ecclesiæ *primarium* et *essentiale*, Ro-

manus Pontifex vero hujus *Vicarium* non tantum *Symbolicum*, ſed *verum*. Hoc caput in *Eccleſia viſibili* ceſſare non poteſt: ſancti Iræneus, Auguſtinus, Optatus et alii Patres regulam tradunt, per quam vera viſibilis Eccleſia ab omnibus dignoſci poſſit; illam vero in Succeſſoribus D. Petri, ſeu in Eccleſia Romana ſtatuunt, quacum tota reliqua cohæret vera Eccleſia. Igitur hoc Caput Vicarium Chriſti ab Eccleſia abeſſe non poteſt, et hæc ſine illo non intelligi. Illo Capite ſublato per mortem ſic quidem vivit Eccleſia, ſicuti vivunt reliqua corpora moralia, decedente ſuo Capite, ita tamen, ut actus hierarchicos ſupremi Primatus, qui ſublato Capite in Eccleſia non eſt, exercere non poſſit, neque ab ea ſuppleri, niſi fors proviſorie, quia non Eccleſiæ, ſed ſolius divini Primatus actus et jura ſunt. Eruditus Lector modo advertet, meros Paralogiſmos et Amphibologias eſſe, quas Febronius ex Scholaſticis ſibi coemit, et in quibus ſibi nunc applaudit.

Ait: Rom. Pontificum judicia in Conciliis æcumenicis retractata, alia probata, alia

alia improbata, nulla vero irrefragabilia habita fuisse.

Resp. hæc oppido falsa esse, tum hoc Capite, tum alibi in Notis per totum hoc opus sæpe et luculenter demonstravimus, imo contrarium potius probavimus. Cœlestinus et Leo PP. formam præscribebant Conciliis æcumenicis, quam ista Concilia sequebantur, et exequebantur. In Rescripto Vigilii P. non de fide, sed de Personis, ideoque de quæstione facti actum fuit, uti ait S. Gregorius Lib. 2. Epist. 51. alias 36. et Lib. 4. Epist. 39. alias 37. Et Petrus de Marca in Differt. de Vigilii Decreto pro confirm. 5. Synodi §. 5. *Quin etiam Vigilius in Epistola, quam edimus, disertissime adnotavit, in hac controversia non disputatum fuisse de fide, sed de Personis, unde patet, liberam fuisse, aliter atque aliter in hoc negotio censendi facultatem sine ulla Christianæ Religionis injuria: ideoque Vigilium, qui suam aliquoties mutavit sententiam de sola levitatis vel metus suspicione periclitari. A qua suspicione tamen abesse tantum debet, ut potius singularis prudentiæ laudem ex iis,*

quæ in hac caussa gessit, consequi posse videatur.

Damnatio Honori I., si tamen vera et genuina est, itidem quæstioni facti innititur, utrum Honorius hæresin Monothelitarum docuerit, tenuerit, aut foverit? negant hoc Andreas Duvallius, Cardinalis Aguirre, Petavius *in ration. temp.* ad an. 680. Christianus Lupus, et plurimi, idque maxime probant ex S. Leone II. Epist. 2 *ad Episcop. Hispaniæ*, et Joanne IV. P., qui tertius ab Honorio Pontifex fuit, tempore Honorii vivebat, et exacte inquirere, remque scire poterat, cui potius credendum, quam nuperis Scriptoribus, quamlibet eruditis, ut ait supra cit. Petavius.

Ait ex Bossueto: luduntne nos Synodi, cum absolute et decretorie pronuntiant: *si quis non ita senserit, anathema sit*, vel ea verba ipsum effectum denotantia: *ab Eccesia projecimus, privavimus, nudavimus.* Item *nudatus est, privatus est, projectus est?*

Huic ut videtur, non adeo ingeniosæ Bossueti interrogationi respondeo. Ita est: Iu-

ludunt nos Concilia acephala, quando anathemata ita pronuntiant, nullum effectum habentia. Sic lusit Concilium Antiochenum depositionis sententiam pronuntiando in S. Athanasium. Lusit Ephesinum II. damnando S Flavianum: luserunt et omnia alia Concilia acephala, et ideo illegitima, quæcunque sententiam et anathemata pronuntiarunt, quæ tamen, utpote a legitima authoritate non profecta, nullum valorem nullum effectum habebant. *Quod in Synodo refutavit Sedes Apostolica, habere non potuit firmitatem*, ait S Gelasius I. econtra Concilia vere legitima et generalia cum Papa hæc anathemata pronuntiant, et ideo etiam valorem et authoritatem habent. Vicissim et ego quæro: ludatne ne nos Febronius, cum hæc Conciliorum anathemata ipso facto suum effectum habere atque valere, ex Bossueto prætendat, simulque *alibi excommunicationes et censuras ipso facto incurrendas* omni æquitati, juri et antiquitati adversari doceat?

Ait, Concilium universale habere Potestatem immediate a Christo, et esse omni respectu tam supra Papam, quam supra Sedem

Apo-

Apostolicam. Hanc esse communem Nationum et Academiarum Galliæ, Hispaniæ et Germaniæ Doctrinam, citat Universitates Parisiensem, Coloniensem, Viennensem, Erfordiensem etc. item Doctores Hispanos etc. etc.

Resp. An nondum capit Febronius, Concilium universale non esse sine Papa, sed cum Papa? Concilium generale Papa simul cum eo statuente et consentiente potest regulare *usum* Pontificiæ Potestatis, quia volenti et consentienti non fit injuria: atque in hoc sensu Concilium non est proprie supra Papam, prout aliqui in æquivocatione hærentes defendebant, quia decisiones tales non a solo Concilio, sed simul a Papa procedunt. At vero Concilium universale non potest regulare aut limitare ipsam *Potestatem* Pontificiam divinitus institutam; nam Papa hanc abdicare aut mutare non potest, et Concilium in eandem nullam habet authoritatem, atque in hoc respectu Concilium generale nullo modo est supra Papam, vel supra Sedem Apostolicam. Explicato hoc duplici sensu notandum est, ex citatis a Febronio Authoribus et Academiis quosdam do-

docere, Concilium univerſale tantum in quibusdam caſibus, ſicque non ſemper et ſimpliciter eſſe ſupra Papam: alios per Concilium univerſale intelligere Concilium ſimul cum Papa, quo ſenſu minus recte dicitur, Concilium eſſe ſupra Papam, quia Papa ſic eſſet etiam ſupra ſeipſum, quamvis verum ſit dicere, quod major ſit authoritas Concilii vere univerſalis, quam ſolius Papæ, quia in illo ſimul includitur, et conjuncta eſt authoritas Papæ et Concilii, ſeu totius Eccleſiæ.

Hinc colligitur, illos Authores et Acadimias non plene cum Febronio conciliari, ſed totam quæſtionem ad id tandem deduci, quidnam *per Concilium generale* intelligatur? res autem Seculo XIV. ſubtilitatibus Scholaſticis pro more illius ævi eo uſque implicita fuit, ut tandem ad terminorum æquivocationes recideret: hæ igitur, ſi quid prohibendum eſt, potius vetandæ et vitandæ ſunt. Quæſtio ad determinatum ſenſum reducatur, et claris verbis proponatur, et tunc patebit, multos, qui in contrariam ſententiam allegantur, revera noſtro ſenſui atque ſententiæ non adverſari.

Sed

Sed admiſſo etiam, quod hi Authores et Academiæ ex aſſe ſtent pro Febronio: quid antea, quid poſtea, eædem Academiæ, quid aliæ Academiæ, quid eodem tempore alii Scriptores, quid ante et poſt illos alii Authores docuerunt, et quam ſententiam tenuerunt? longius foret, mutatas ſæpe harum Academiarum ſententias retexere, et infinitus ferme labor, omnium nobis conſentientium authorum catalogum conficere. Ut quid ergo authoritate certare vis? Admitto pariter, hanc de ſuperioritate Concilii Principum et Statuum Germaniæ tempore Concilii Baſileenſis ſententiam tunc in ſuis poſtulatis fuiſſe, ſed ea in concordatis canonizata non fuit, nec robur obtinuit, uti ſupra vidimus? econtra Papam ſupra Concilium eſſe, ante Synodum Conſtantienſem tempore Wenceslai et Ruperti Imperatorum in Germania etiam apud Principes et Status communem fuiſſe, conſtat ex Cap. Conſultat. Ruperti aput Martene Theſ. anecdot. tom. 2. pag. 1174. etc.

Poſtquam Concilium Conſtantienſe ſuam Poteſtatem in tres dubios Papas exercuit, et

Con-

Concilium Basileense illud ipsum in certum Papam sibi arrogare præsumpsit, tunc, ut in similibus contingit, alii recto Zelo, alii immoderato, aut etiam furore abrepti Superioritatem Concilii supra Papam statuebant, quin et ultra justos terminos extendebant, dum tamen antea communis esset de Superioritate Papæ supra Concilium sententia, de adversariis minime suspectus et testis ipse Gerson *tractat. de Potest. Eccles. Considerat.* 12. *fallor*, ait, *si non ante celebrationem hujus sacrosanctæ Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum literalium magis, quam literatorum ista traditio* de Superioritate Papæ supra Concilium, *ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus.* Dein ait, etiam post decreta Constantiensia adhuc inveniri, qui eam sententiam afferant, etteneant. Nominet per me Gerson illos omnes viros *literales magis quam literatos*, et ipsam sententiam *adulationis virus*, l. hæc ejus modestiam et doctrinam utique non commendant; attamen id saltem ex Gersone, contrariæ sententiæ si non authore, saltem Zelosissimo promotore di-

discimus, ante ipsum sententiam de Superioritate Papæ supra Concilium ita communem fuisse, ut oppositæ sententiæ defensor de hæresi suspectus, vel omnino damnatus fuisset, atque illius sententiæ defensores adhuc in et post Concilium Constantiense extitisse. Qui, quot et quales authores subsequentibus dein temporibus Superioritatem Papæ supra Concilium docuerint, omnibus compertum est.

Porro ut materiam de gravaminibus et querelis contra Pontifices et Curiam Romanam, item de necessitate Conciliorum generalium pro Reformatione magis axhauriam, juvat adhuc aliqua in hunc finem adnotare.

Nicolaus de Clemangis in universitate Parisiensi artis oratoriæ Professor primus esse fertur, qui in *Tractatu de ruina Ecclesiæ* multa cum Emphasi, et Stylo oratoribus proprio, vitia et abusus Pontificum, Cardinalium, Curialium, Episcoporum et totius Cleri acerbe perstringit, atque deterrimo colore depingit. Quicunque non omni partium studio abripitur, aperto oculo videt, Clemangem multa nimium exaggerasse, a singularibus factis ad propositiones et accusationes descendisse,

diſſe, quod ex eo etiam patet, quod de Epiſcopis ſine diſcrimine et cum vilipendio peſſima quæque ſcribat, atque quod Aulam Romanam attinet, poſtea ſe ipſum quaſi retractet.

Notum eſt tamen, ab eo tempore, quo Pontifices Avenione reſidere cæperant, et interim Patrimonium Eccleſiæ a variis Tyrannis diſtractum, direptumque fuit, item dum poſtea ſchiſmate exorto plures ſimul Pontifices eligebantur, qui omnes congruam pro ſe, ſua aula, Curiaque ſuſtentationem quærebant, ab eo, inquam, tempore longe plures reſervationes, collationes, proviſiones, exſpectivas, annatas etc. invaluiſſe, ita ut per tales non tantum Epiſcopi, ſed et integræ Nationes gravarentur; unde non immerito Gravamina et querelæ exortæ ſunt, quæ poſtea non niſi ſublato Schiſmate, per Concordata cum Nationibus inita aut ſublatæ, aut ſaltem ſopitæ ſunt. Unde mirum non eſt, quod Clemanges et alii tales querelas in publicum produxerint, quæ omni veritate et ratione non carent.

Nihilominus tum ipſe Clemanges, tum Petrarcha, aliique altius, quam par erat, vocem attollebant, et prout in ſimilibus contingit, rumore abrepti potius, quam de veritate edocti, atque aliorum querelis commoti plura et majora dicebant, quam quod ipſi norunt. Quippe Clemanges, qui poſtea Aulam Benedicti XIII. ſeu Petri de Luna aliquamdiu ſecutus, poſtquam illam denuo reliquerat, ſeipſum veluti retractando, quæ prius dixerat, in Epiſtola *ad Joannem Præpoſitum Inſulenſem* ita corrigit: *Re enim vera etſi illam non volo Curiam a vitiis abſolvere, major tamen illic morum modeſtia, honeſtatis ſpecies, geſtuum gravitas, quam in Secularium Principum Curiis eſſe deprehendi.*

Si ad Baſileenſes accedamus, ipſum Concilium hunc ſibi ſcopum præfixit, *ut ad hæreſes, bella et morum deformitates de Populo Chriſtiano extirpandas ſalubriter intendatur.* Et dum Eugenius Concilium transferre tentaret, ſcripſit ad eum Cardinalis Julianus: *incitavit me etiam huc venire deformitas et diſſolutio Cleri Allemanniæ, ex qua laici ſupra modum irritantur adverſus ſtatum Eccleſia-*

ſia-

ſiaſticum, propter quod valde timendum eſt, ni ſe emendent, ne Laici more Huſſitarum in totum Clerum irruant, ut publice dicunt. Epiſt. Julian. ad Eugen. IV. apud Raynald. ad an. 1431. N. 22. nihil in ea de gravaminibus et reformatione Pontificum et Curiæ Romanæ, quæ ab adverſariis ſemper in capite et primo loco ponuntur, ſed potius deformitates in toto Populo Chriſtiano, et potiſſimum Cleri Alemanniæ pro ſcopo allegantur.

His non attentis, dum Concilium ad facta deſcendit, primum a Capite, id eſt, a Rom. Pontifice cæpit. Hoc adhuc tolerandum fuiſſet: ſiquidem juſta petitio eſt, ut ſi neceſſitas id poſtulet, *Papa cum Concilio* totam Eccleſiam reformare debeat *in Capite et in membris*, prout etiam in Conciliis Lateranenſi et Tridentino factum fuit. At Baſileenſes novam viam ingreſſi ſiniſtris mediis ad reformationem utebantur. Pro reformando Clero præcipue Allemanniæ, et reliquo Populo Chriſtiano nihil actum fuit, imo ut reformationem propriam potius a ſe amolirentur, Concilium ſine Capite, id eſt, Papa attentabant, et prætenſis in hunc finem

Decretis Conſtantienſibus, quæ tempore ſchiſmatis, et contra dubios Pontifices lata ſunt, prius Caput ſibi ſubjiciebant, ut eo liberius in eo reformare valeant, quod hactenus contra certum et legitimum Pontificem auditum non fuit, ſicque a ſcopo, quem ſibi præfixerant, declinantes Schiſma conflarunt, dum ſeipſos a Capite abſcindebant, illud pedibus ſubjicientes, jam non Caput, ſed ſubditum et reum eſſe jufferunt.

Non repeto, qui qualesque hujus ſcenæ authores fuerint, inter quos aliqui Eugenio palam offenſi, quibus machinis et adminiculis ſuam ſententiam firmare adniſi ſint, præcipue dum, ut Principes et Nationes eo facilius in ſua vota traherent, eorumque adhæſionem adſequerentur, iisdem placentia, quamvis non ſemper utilia, Decreta condebant.

Natio Germanica equidem illa Decreta Baſileenſia publice in Conventu Moguntino acceptavit, attamen non niſi cum certis declarationibus, modificationibus, limitatio-

ni-

nibus, quarum formulam ipſa ad Concilium dare vellet, ſecundum quam iſtud Decreta formaret, ſicut Concilium jam ipſi Nationi quodam̃odo ſubjiceretur. Ita enim habetur in Inſtrum. Acceptat. in Concord. German. integris pag: 41. *Decreta ſacri Baſileenſis Concilii acceptamus cum omni honore, reverentia et devotione, qua decet, ſalvis tamen in quibusdam ex eis declarationibus, modificationibus et limitationibus noſtræ Germanicæ Nationi ac cuilibet noſtrum ſingulariter in ſuis Provinciis, Diœceſibus ſeu territoriis congruentibus et accomodis factis et fiendis ſuis loco et tempore opportuno exprimendis, ac per ſacrum Concilium decretandis.* Jam ſemel diximus, Nationem Gallicam in Conventu Bituricenſi per ſanctionem pragmaticam Decreta Baſileenſia pariter non abſque limitatione ac modificatione recepiſſe. Interim non obſtante gravi oratione Panormitani pro cauſſa Baſileenſis Concilii Principes Electores Germaniæ in Conventu Francofurtano pro electione novi Imperatoris congregati Baſileenſes dehortabantur a proceſſu contra Eugenium Papam inſtituto, atque Neutralita-

tem amplexati ſunt, a qua eos legati Concilii poſtea in Comitiis Norimbergenſibus nullis rationibus dimovere, et ad ſuas partes pertrahere poterant, ita quidem, ut Natio Germanica tum etiam, quando Decreta Baſileenſia ſolenniter acceptavit, circa diſſidium inter Eugenium Papam et Concilium adhuc in ſua Neutralitate perſiſteret. Vidimus quoque, qualiter Germani poſtea confirmationem horum Decretorum ab ipſo Eugenio P. et Sede Apoſtolica expetierint, et quantum iſta per Concordata exin fuerint limitata et alterata.

Ex his manifeſtum eſt, Nationem Germanicam in ea, quæ Concilium pro prætenſa ſua ſuperioritate ſupra Papam contra Eugenium geſſit, nunquam conſenſiſſe, atque Decretis Baſileenſibus non eam authoritatem, quæ Conciliis vere æcumenicis, horumque Decretis debetur, attribuiſſe, ſed ſicut Henricus Spondanus Apamienſis Epiſcopus ad an. 1438. n. 22. de Sanctione Pragmatica et receptione Concilii Baſileenſis in Gallia dixit, iſtud etiam pro Germania valere cenſendum ſit, ita ut verbis *Eccleſia Gallicana*, tantum

tum *Ecclesia* vel *Natio Germanica* substitui debeat. Sic autem habet: *Denique tanta libertate in recipiendis, in rejiciendis, truncandis, ampliandis Basileensium placitis usi sunt, ut patentissime se etiam Judices Conciliorum generalium, quale Basileense agnoscere præseferebant, constituerint. An vero hinc dicetur, Ecclesiam Gallicanam* (Germanicam) *approbasse, ac recepisse Concilium Basileense? nugæ hæ sunt, et impostura. Absit a puritate et dignitate Ecclesiæ Christianissimæ tanta calumnia. Si quid ejus illa* (Ecclesia Gallicana, Germanica) *recepit, non ut ab ejus authoritate obligatoria* (*qualis omnino debuisset esse, si vere ejus Decreta tanquam legitimæ Synodi œcumenicæ agnovisset*) *recepit, sed velut a proponente, NB. quæ utilia et conducibilia existimabat, ita ut libitum esset, quæ vellet recipere, quæ nollet, rejicere, ut et fecit tam hac in re, quam nonnullis aliis authoritate regia, et propria.*

Taliter etiam Decreta Basileensia in Germania recepta fuisse, atque Concilium authoritatem habere, convenienter ad supra allegata dici poterunt. Non est igitur, cur

Febronius et alii authoritatem Concilii Basileensis ex illa solemni acceptatione Decretorum a Natione Germaniæ facta multum urgeant; imo hæc Concilii authoritatem omnino deprimunt, quando illa, quæ pro Superioritate Concilii supra Papam contra Eugenium acta et decreta sunt, nequaquam recepta, alia vero tantum sub certis conditionibus et limitationibus recepta, et neque tunc satis firma esse credita fuerint, donec ab ipsa Sede Apostolica confirmata, et per Concordata noviter alterata, modificata, atque stabilita sunt. Hæc de tractatis et conclusis totius Nationis Germanicæ.

Quod si singulorum sensa disquiramus, non obstante Neutralitate pauci erant, qui non privatim ad unam vel alteram partem deflectebant. Fridericus Imperator et seculares Principes magis Eugenio adhærebant, Ecclesiastici econtra potius, prout etiam Universitates Viennensis, Erfordensis, Heidelbergensis Concilii partes sectabantur: sicut et alii inferiores, prout humana conditio fert, magis studio partium, aut tumultu abrepti, quam rei veritate edocti, atque vel

pro-

proprium intereſſe, vel ſuos Mæcenates ſectantes modo hanc, modo illam ſibi partem eligebant. Acceſſit poſtea, quod Eugenius Archiepiſcopos Colonienſem et Trevirenſem, præcipuos Concilii Baſileenſis fautores deponeret, unde non mirum, quod plures Eccleſiaſtici Concilio arctius inhærerent, et illi depoſiti Archiepiſcopi multos ad ſuas partes pertraherent.

Totam hanc rem ſi Politico, et fors a vero non abludente oculo inſpiciamus, in hunc fere ſtatum recidere videtur. Concilium Baſileenſe, quando in Seſſione ſecunda, ubi pauciſſimi aderant Epiſcopi, qui a ſe ipſis et ſuo Clero reformationem incipere horrebant, et ex his quidam Eugenio Papæ aliunde male affecti erant, quando, inquam, Concilium utut tale ſemel gradum fecit ad deprimendam Summi Pontificis authoritatem, ne erraſſe videretur, aut ſeipſum corrigere deberet, quævis media tum ad Nationes et Principes in ſuam ſententiam pertrahendos, tum ad propriam ſuam authoritatem tuendam, ſtabiliendamque arripuit, ſic ut relictis ferme cæteris, plurimum in querelas, vitia et ab-

ufus Rom. Pontificis et ejus Curiæ multo apparatu fe effunderet, contra Eugenium calumniis etiam non parcens, qui tamen juxta omnes innocens et optimæ notæ erat, idque eo tantum fine, ut hisce mediis Concilium fui neceffitatem, et fententiæ, quam de fuperioritate Concilii tulerat, juftitiam demonftraret, dum tamen initio non alium fibi fcopum, quam *hærefes*, *bella et morum deformitates de populo Chriftiano* extirpandi, vel ut Cardinalis Julianus ait, *deformitatem et diffolutionem Cleri Allemanniæ* tollendi præfixerat. Aft Dei Providentia poftea temeritatis et pertinaciæ fuæ pœnas dedit, ut illud ipfum Concilium poft fimilia attentata in conventiculum Schifmaticum et reprobum defineret.

Neque exiftimes, hanc crifin de Concilio Bafileenfi nimis acerbam, et tot viris atque Epifcopis injuriofam effe. Concilia Patrum numero, eruditione et fanctitate longe majora et præftantiora, quam Bafileenfe fuit, erarunt. Cogita folum Concilia Africana et Afianum, ducibus S. Cypriano et Firmiliano, non dicam de aliis, et tamen hæc errarunt, al-

altius quam par erat, contra S. Stephanum P. ſeſe extollentia, et durius eidem obloquentia. Sed quod de Concilio Baſileenſi dixi; acta et facta manifeſtum faciunt. Ideo tamen non omnes Epiſcopos et Patres accuſo. Primitus pauci erant, qui a recta veteris traditionis via, id eſt, ab unanimitate et conſenſu Capitis cum Concilio declinarunt, Papam tanquam ſubditum ac reum ſibi ſiſtendo. Exin facile fuit, cæptam ſemel telam proſequi, atque ſerius advenientes in ſuam ſententiam pertrahere, præcipue quando ipſe Legatus Rom.Pontificis, et Præſes Concilii, cujus authoritas et eloquentia utique apud illos præcipue, qui tanta eruditione non valent, in factionem non ſolum conſpirat, ſed eam quoque promovet, firmatque, prout etiam in Conciliis Carthaginenſibus authoritate D. Cypriani factum fuit.

Verum ſicut ibi Cyprianus, ita in Concilio Baſileenſi Cardinalis Julianus, prout in Bulla retract. apud Pium II. P. ipſe teſtatur, *cæcus* fuit, *erravitque*, *deceptus decepit* alios, et ſic alii quoque errarunt. Id fatetur pariter Aeneas Sylvius in Comment. tanquam

quam Legatus Friderici Imperatoris ad Eugenium P. ita perorans: *erravi, quis neget, ſed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus. Julianum S. Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiepiſcopum Panormitanum, Ludovicum, Pontanum tuæ Sedis Notarium, qui juris oculi et veritatis Magiſtri credebantur* (ecce! quantum Authoritas etiam ad decipiendum, atque ad errorem valeat) *quid univerſitates et alia orbis Gymnaſia referam, quorum pleraque adverſum te ſentiebant? quis cum tantis hominibus non erraverit?*

Dein ut appareat, Concilium Baſileenſe, quod aſylus et munimentum contra Romana tentamina et gravamina inde illata credebatur, quæcunque pro Reformatione Curiæ et Rom. Pontificis egit, magis ex proprio intereſſe, quam juſto zelo egiſſe, illud quædam gravamina, quæ Romanis objiciebantur, a reliquo Clero non ſolum non tollebat, ſed inferebet etiam. Inter cæteros abuſus et gravamina quoque numerabatur, quod Rom. Pontifices ſe ingerant in jura temporalia Principum, et cauſſas Civiles ad ſe traherent:

ea-

eadem gravamina etiam contra Epifcopos et eorum Archidiaconos movebantur. Sed Concilium Bafileenfe hanc materiam nequidem tangebat, quamvis eidem propofita fuiffe videatur, dum Sigismundus Imperator in Comitiis Francofurtanis anno 1435. Statibus inter alios etiam hunc articulum propofuit: quod Legati Imperatoris et Electorum in Concilio conjunctis viribus in id incumbant, ut a Concilio decernatur, ne Judex Ecclefiafticus cauffas civiles, et inter Seculares Perfonas agitatas ad fe trahat, et ut fecularia a fecularibus Judicibus tractentur. Imo dum Ericus Dux Saxo-Lauenburgenfis obtentu denegatæ ab Imperatore juftitiæ ad Concilium appelläffet, iftud in cauffa fe Judicem conftituere volebat, quocirca Sigismundus Ulmæ notabilem proteftationem contra Concilium edidit apud Harduin. tom. 8. Concil. Col. 1610. Sic et alia gravamina atque querelas contra Clerum non tollebat; in tantum circa depreffionem Rom. Pontificis occupatur Synodus, ut aliam minus curare aperte videbatur.

Ne-

Necesse est, ut de Conciliorum necessitate et frequentia adhuc pauca addamus. Cur Concilia Provincialia et Nationalia, primis seculis tam frequentia cessaverint, caussas ex Thomassino et Amorto alibi nam memoravimus? Si historiam temporum exacte inspicimus, certe Rom. Pontifices de horum intermissione in caussa non fuerunt. In Germania S. Bonifacius Apostolicæ Sedi apprime addictus, adnitentibus etiam Rom. Pontificibus plurimum laboravit, ut pro restauranda et conservanda disciplina in Clero et populo sæpius Synodi Diœcesanæ et Provinciales celebrarentur. Quid posterioribus etiam temporibus circa hanc disciplinæ partem, laudantibus et promoventibus quoque Rom. Pontificibus, egerint Carolus Borromæus et Prosper Lambertini etc. etc. notum est, ut adeo Rom. Pontifices falso tanquam Conciliorum Provincialium hostes traducantur, nisi forte eorum, in quibus sanctissimi Canones conculcabantur, non nisi fastus et violentiæ dominabantur, innocentes opprimebantur, quale exemplum inter cætera de Hincmaro Rhemensi alibi retulimus.

In-

Interim a tempore Concilii Conſtantienſis et Baſileenſis plus quam alias neceſſitas et frequentia Conciliorum tum generalium, tum Provincialium expetebatur, nec male, ſi omnia debito ſuo ordine et modo procederent. At multa erant, ob quæ Concilia Provincialia rarius celebrabantur, et facilius intermittebantur; nam præter incommoda, expenſas etc. in celebrandis Conciliis Provincialibus, in Germania ſæpe Epiſcopi et Metropolitani ſibi invicem erant male affecti, ſæpe bella inteſtina, præcipue durante illo Jure manuario, eos a ſuis territoriis et Eccleſiis abeſſe non patiebantur. Grave onus Epiſcopis jam erat, tot Comitia et Aulas Imperatorum ſequi, ut libenter aliis Conventibus celebrandis ſuperſederent.

Inter ea, quæ celebrationem Synodorum Provincialium impediebant, quædam etiam contra Concilia Generalia valent, quo minus Epiſcopi in ea convenire geſtiebant, et nihilominus omnium ore et calamis ferebatur, Concilia neceſſaria, ſalubria et optima remedia eſſe. Memorabile eſt, quod Aeneas Sylvius de mor. German. pag. 1037.

Me-

Mejero Cancellario Moguntino eadem objicienti quasi in faciem reponit: *omnes tuæ Nationis homines*, ait, *qui paululum docti sunt, quædam Concilii cupido exagitat. Nam cum Synodi celebrantur, Episcopi vestri domi remanent: vos Concilium petitis, ibique laute vivitis sumptibus alienis, et regentes orbem in magnos et mirabiles evaditis viros. Hinc voces illæ: Conciliorum authoritas salubris et æterna est, mundum Concilio regendum, ad Concilium cuncta referenda, sine Concilio nihil esse, quod recte perfici queat. Privata vos trahit utilitas et crescendi cupido. Scitis enim, raros esse conventus, quin res immutentur, et in Seditionibus, magnisque motibus obscuros emergere, atque illustrari homines, cumque lucra vestra damnosa esse Prælatis non ignoratis, ingenio subtili et peracuto Concilium ab eis expetendum suadetis, in quo Sedis Apostolicæ summum in eos arbitrium coarctetur. Et quemadmodum vos eos coarctatis, ita et illis Apostolicum Solium corrodendum esse offertis. Ac finito Conventu Episcopi expenso argento nihil plus dignitatis, quam prius habent. Vos aucti auro, Beneficiis cumulati,*

ti, existimatione magnificati Domum reditis. Aeneas, qui talia Cancellario Mejero, tanto viro, publice exprobrare ausus fuit, sine dubio vera dixerit, etiam Febronio et hodiernis sciolis objicienda. Certe a tempore Concilii Constantiensis fere omnes de Conciliorum necessitate Enthusiasmus invasit, quasi nihil boni, nisi a Conciliis vel sperari, vei haberi possit, Decretum *frequens* ejusdem Concilii omnium ore ferebatur, sed Aeneas post hoc decretum talia edicere non timebat, et cum res ad praxin deduci cæperat, semper difficilior visa fuit. Quando Martinus V. juxta dictum decretum *frequens* post quinquennium Senas Concilium indixerat, exiguo Patrum numero comparente iterum dissolvere debuit, aliudque septennio post Basileæ celebrandum indixit, ubi initio iterum paucissimi Episcopi in Persona aderant: in Florentino quot ex Gallia et Germania coierunt? quamdiu in Concilio Tridentino exspectari debuit, donec omnium Nationum Episcopi convenerint? ex Germania tantum duo Episcopi in Persona, quatuor per procuratores aderant. Jam visum fuit, quam grave et molestum sit

 Epi-

Epiſcopis per totum orbem ſingulis decen
in Concilium generale coire, quod ſem
tribus, quatuor et amplius annis durar
optime author hiſtor. German. D. Schm
advertit, quod taliter regimen Eccleſiæ pr
ſus aliam formam ſenſim induere debuiſſe
ita ut in Ariſtocratiam, et quodammodo in D
mocratiam abiiſſet. Quippe jam in Con
lio Conſtantienſi contra praxin et formam a
tiquiſſima traditione receptam (quod tam
in ordine ad pertinax ſchiſma tollendum a
huc tolerabile, quin et proficuum erat) r
non per ſuffragia Epiſcoporum, ſed Natic
num tractabatur: in Concilio vero Baſileer
ſi contra Traditionem et Canones jus ſuffra
gii deciſivi etiam Theologis et Doctoribus da
tum fuit, atque ſucceſſu temporis Epiſcop
ad tot Concilia potius ſuos Procuratores mit
tere, quam ipſi tamdiu a ſuis Territoriis et
Eccleſiis abeſſe maluiſſent. Quod igitur in
Statibus Politicis ſunt Comitia et Parlamenta,
id etiam iſta Concilia fuiſſent, et dubitandum
vix eſt, utrum non cum tempore ad evitandas tot Conciliorum convocationes ſtabilis
aliquis conventus Procuratorum Epiſcopa-
lium,

lium, prout nunc Ratisbonæ in Comitiis Imperii fit, remansisset? ex his patet, non adeo a vero, rectoque abesse, quæ supra scripsit Aeneas Sylvius, et profecto sic cessarent omnino vera Episcoporum Concilia, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, totum Ecclesiæ Regimen, forma, status, æconomia mutarentur, dum Procuratores facile suos Principales Episcopos in sua sensa pertrahere possent, omnisque jurisdictio, Potestas et Authoritas Ecclesiæ in manus eorum hominum inciderent, qui ex instituto Christi nulla vocatione, Charactere ad talia tractanda et judicanda insigniti sunt, et de quibus dici non posset. *Visum est Spiritui S. et nobis.*

Pariter ex his manifestum est, quid in praxi tenendum sit de Decreto Constantiensi *frequens*, et quod non sola renitentia Curiæ Romanæ, sed justæ omnino caussæ intersint, quin et toti Ecclesiæ plurimum referre, quo minus ejus observatio urgeatur? dein quid sentiendum, credendumve sit de illis Scriptoribus, qui a tempore Concilii Constantiensis ob fructum inde reportatum magis in Enthusiasmum rapti, quam provido oculo in fu-

tura prospicientes semper necessitatem, quentiam Conciliorum Generalium celebra inculcant, mandantque, nescientes, utri posteris temporibus Episcopi toties et tam cile in unum convenire possint, velintque, quod tandem etiam inferiores Episcopis, Laici in Conciliis dominari velint. De al impedimentis nihil dicam.

Post tot clamores et Scripta Theologorum aliorumque, quos vel bona intentio, nemp faustus Concilii Constantiensis in finienc tam diuturno schismate successus, vel etiam proprium interesse, uti notat Aeneas Sylvius stimulabat, mirum non est, quod necessita et frequentia Conciliorum generalium etiam apud Principes Laicos in maximam et ratio nem status assumptæ fuerint; hinc Principe et status Imperii Eugenio P. inter alios ar ticulos hunc quoque proposuerunt, ut Concilii Constantiensis Decretum *frequens* reciperet, confirmaretque. Respondit Eugenius in speciali brevi, se Decretum *frequens* suscipere, amplecti et venerari; attamen in eodem brevi prius dixerat: *cum itaque vos hactenus multiplicatis vicibus apud nos per vestros ora-*

to-

tores institeritis, ut novum quoddam generale Concilium in Allemanniæ partibus in uno de quinque locis, videlicet Constantia, argentina, Moguntia, Wormatia, Treviris propter Ecclesiæ necessitates convocaremus, nos vestræ petitioni propter multiplices rationabiles caussas, et quia Regum et Principum aliorum diversa sententia fuit, rationabiliter annuere non potuimus. En! jam grave impedimentum, ob quod brevi post Concilium Constantiense tempore Decretum *frequens* jam non observari potuerit, fuit diversa sententia Principum. Prosequitur Pontifex: *Nunc vero quia persuasum nobis est, hac via maxime provideri posse Ecclesiis, casibus emergentibus, et Reges et Principes præfatos facile ad hoc consensum præbituros, si per vos fuerint opportuna cum instantia requisiti* (nempe ipsi Germani impedimenta tollere adlaborent, si Decretum *frequens* tantopere urgere velint) *nos etsi absque convocatione novi Concilii alia via rebus Ecclesiæ melius consuli posse arbitremur, cupientes tamen vobis et Nationi vestræ — complacere, — Concilium in uno expranominatis locis — convoca-*

 ca-

cabimus. Quando Eugenius dicit, *hac* *z*
id eſt, per Concilia generalia *maxime pr*
deri poſſe Eccleſiæ caſibus emergentibus, i
absque convocatione novi Concilii alia via
bus Eccleſiæ melius conſuli poſſe, quidan
his verbis contradictionem ſe invenire au
mant: ſed immerito. At utique eidem m
ſæpe pluribus viis et remediis occurri pot
unum quandoque medium *maxime* val
ſed in promptu haberi non poteſt, et att
tis circumſtatiis per aliud *melius* conſulit
Quid in hoc contradictionis eſt? iſtud ex E
genii verbis magis conſequitur, Conciliu
generale rebus Eccleſiæ conſulendis bonun
non tamen ſemper opportunum, nec ur
cum, nec neceſſarium remdium eſſe.

Porro in quantum per tales declamatic
nes, ut ſupra dixi, opinio de neceſſitate Cor
ciliorum invaluit, in tantum etiam reſpectu
erga ſummam Sedem, et æſtimatio decrevit
ut quisque ferme pro libitu contra eanden
et Curiam audacter ſuas accuſationes et que-
relas proponere, quin et calumniis onerare
non veretur; hinc tot gravamina, Elenchi
abuſuum, libelli famoſi in puplicum prodie-
re.

re. Scimus, jam ante Concilium Constantiense viros aliquos gravissimos, uti Ivo Carnotensis, S. Bernardus, aliquos abusus in Curia Romana reprehendisse; verum hi satis modesti, abusus perstringebant, non rectum usum, minus Potestatem Pontificis invadebant, hanc potius salvabant, extollebant, argumentis fulciebant, venerabantur; neque propter abusus summos Pontifices et Curiam in Judicium vocabant, alteri Tribunali subjiciebant, multo minus Principes seculares evocabant, sed pravatos iterum ad Sedem Apostoliam recurrere jubebant. Ast dum post Concilium Constantiense, et adhuc amplius post Basileense apud multos insederat opinio, Rom. Pontificem Concilio generali subjectum esse, ad hujus Tribunal deferri, corrigi, reformari, puniri posse, ruptis omnis reverentiæ ac modestiæ legibus innumeræ accusationes prodierunt, et Vicarius Christi jamjam tanquam Caput non necassarium Ecclesiæ omnino abjicitur, prout nempe fit, quando legitimo Magistratui semel obedientia atque submissio subtrahitur.

Diffitendum non eft, aliquos fumm
Pontifices ex parte in culpa fuiffe, eo qu
ufum fuæ Poteftatis ultra, quam neceffe fu
aut expediebat, extenderent: majorem a
huc conquerendi anfam dederunt tempo
fchifmatis plures fimul exiftentes Pontifice
quorum quilibet pro fua, fuæ Curiæ et A
læ fuftentatione fuæ obedientiæ, uti voca
bant, Nationem plurimum gravabat, ut ade
contra hos fæpe querelæ nec leves, nec in
juftæ erant. Interim hæc gravamina per Con
cordata cum Nationibus inita fublata fuiffe,
videri poterat; fed prout quærulum hominum genus eft, ut dum femel querulari incipiunt, vix amplius defiftunt, et fi ab uno onere fublevantur, ab omni fe liberos effe cupiunt, hinc rurfum et aliæ querelæ et gravamina fubnata funt. De decem, et poftea aliis centum gravaminibus, quæ Norimbergenfia vocantur, jam dixi, quantum ifta exaggerata, aliqua vero injufta et falfa fuerint, quamvis non folum Rom. Pontifices et Curiam, fed et plurimum etiam Epifcopos et alios Ecclefiafticos tangebant. Anno 1518. in Comitiis Auguftanis quidam Canonicus Leodien-

dienſis publice contra Sedem et Curiam perorabat, ſimulque Libellus ſpargebatur, in quo author aſſerere non dubitavit, magis Papæ reſiſtendum eſſe, quam Turcis, hos Germaniæ, aliisque Nationibus tantum nocere non poſſe, quam Papam. Talia furorem et inſaniam produnt.

Communis ferme et maxima querela, apud Germanos præcipue ſemper fuit, quod tantum Auri et Argenti ex Germania Romam deportetur, quod inde Eccleſiæ in Germania, et ipſa Germania depauperetur, item propter Proviſiones, exſpectativas, collationes Beneficiorum, per Pontifices factas vel reſervatas, propter Indulgentias et pecunias inde lucrandas.

Certe Germania eo ipſo ævo, quo maxime hæc lamenta audiebantur, adeo pauper non fuit, quin potius Auro et Argento abundabat. *Quod ſi verum eſt*, ſcribit ad Cancellarium Moguntinum Mejerum Aeneas Sylvius de mor. German. p. 697., *quod aiunt, ibi opes eſſe, ubi negotiatores: fatearis, ne-*

 neſ-

cesse est, opulentissimos esse Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta alienas longe lateque Provincias pervagatur, — — — ac non nisi dives revertitur.

Quod si nihilominus Ecclesiæ quædam particulares et Episcopi pauperes fuerunt, vel alieno ære gravati, num ideo propter Annatas, Confirmationes, Pallia depauperatæ sunt? hoc equidem in decem gravaminibus, item a Paulo Langio et aliis quibusdam prætenditur. Sed supra ex Barthelio jam ostendi, hæc nimium exaggerari et credibilia non esse. Inspiciantur annales singularium Ecclesiarum, et historia temporum, ex quibus ad convincendos adversarios satis manifestum est, quod si Episcopi, si Ecclesiæ depauperatæ, et debitis gravatæ fuerint, certe continua Bella, jus, ut vocant, manuarium, Civitates, Nobiles, subditos, vasallos in caussa fuisse, qui pro more illorum temporum Ecclesias et Clerum vexabant, eorum bona diripiebant, sæpe etiam prodigalitatem Prælatorum, ut de luxu et fastu, quem Germanis Episcopis suo tempore exprobrat Aeneas Sylvius, nihil dicam.

Ab

Ab adversariis præprimis exemplum de Ecclesia Moguntina proponitur; sed præter ea, quæ annalibus testibus de Ecclesia et Archiepiscopis Moguntinis referuntur, Joannes Archiepiscopus in Comitiis Moguntinis ab Imperatore Ruperto summam triginta millium Florenorum, jam a Carolo IV. sibi debitam postulabat: Rupertus reponebat, quia hæc summa non ab ipso Carolo, nec ejus filio Wenceslao repetita fuit, etiam nunc sibi remittendam esse. Wenker appar. pag. 290. inde sequitur, quod Imperator judicaverit, noveritque, non adeo pauperem esse Ecclesiam Moguntinam, quando illa tantam summam mutuam dare, et dein eandem sibi remitti posse existimavit.

Maximilianus I. Imperator in litteris ad Civitatem Gelnhusanam quæritur, quod Papa tot subditos et ditiones possideat, quæ quinquies centum millia Ducatorum annuos redditus importarent, et præterea multas pecunias ex Germania præcipue Romam deportari, quæ non ad cultum divinum ac extirpandos infideles, sed ad Pompam et alias res seculares expenderentur.

Mirum est, Maximilianum Rom. Pontifici suæ Ecclesiæ et Ditionis proventus objicere, cum non desint alii Archi-Episcopatus, qui tot, quin et plures annuos redditus numerent, si etiam illum calculum proventuum Romanorum pro genuino recipiamus.

Quod vero alias ex Provinciis Romam deportatas pecunias attinet, Maximilianus hæc tum proferebat, quando Julius P. a fœdere cum ipso et Rege Galliæ contra Venetos inito recessit. Prius et quamdiu Julius in fœdere stetit, bellaque gessit, nihil talium querelarum auditum fuit, Romanæ pecuniæ optime locari et expendi videbantur. Quin et Maximilianus ipse in tractatu ligæ seu unionis Cameracensis profitetur, se ad instantiam Papæ tanquam supremum Ecclesiæ advocatum et defensorem bona et jura Ecclesiæ Romanæ velle vindicare, atque defendere. Dumont. tom. 4. part. 1. p. 114. non omne, quod bonum aut malum dicitur, semper revera tale est, et aperte non nisi circumstantiæ temporum et ratio status diversos hos sensus atque sermones protulere. *Cameracensi fœdere perdurante*, ait Pallavicinus ex Jovio

et

et Guicciardino, *nihil in Julio reprehensum, ceu minus sedatum, moderatumque, quam communem Patrem deceret: mox inita per eum cum Venetis pace, videri cœpit intolerabilis, et qui regredi ad memoratum fœdus recusaverat, alioque arma converterat, ipsum ab dicare moliti sunt, tanquam facem Christianæ Reipublicæ*, nempe per Schismaticam Pseudo-Synodum Pisanam; sed hanc Pisani apertis execrationibus, uti cætum Sacrilegum excepere, nulla aversionis et contemptus significatione prætermissa, Mediolanenses quoque eam cum despectu regiæ authoritatis aversabantur: neque Rex Catholicus suos Hispanos Antistites eo miserat, neque Maximilianus Imperator Germanos persuadere poterat, ut eo se conferrent, sed permittere debuit, ut Germaniæ Præsules in Conventu Augustano Pisanum Concilium tanquam Schismaticum rejicerent, ita ut iste cætus non nisi quibusdam ambitiosis et seditiosis Cardinalibus et Episcopis Galliæ, vel adulatione, vel metu Regis permotis constaret.

De

De cætero utique fatius fuisset, Rom. Pontifices a tot extraordinariis pecuniarum collectionibus abstinere, ne Populo et Clero in exteris Provinciis molesti essent, aut conquerendi materiam præberent. Nihilominus quod indigentias, ob quas pecuniæ collectæ sunt, et expensas, in quas collocatæ fuerant, attinet, ad hæc tam aperte respondit Aeneas Sylvius Mejero Cancellario, eadem objicienti, ut livido oculo videat, vel alias malevoli in Rom. Pontifices animo sit, cui ista non placent, aut non sufficiunt.

De Annatis, Confirmationibus, Palliis jam supra dixi ex Barthelio: etiam Ecclesiæ Episcopales sua Patrimonia, fundos et territoria habent, et tamen Episcopi a Clero suo inferiori, Beneficiis, Abbatiis Annatas sive primos fructus recipiunt. Quis unquam hoc improbavit, vel negavit Episcopis? Annatæ in Camera Apostolica modo tam moderate taxatæ sunt, ut nulla sit de excessu conquerendi caussa, nunc vero per Concordata in legem Imperii evectæ: et tamen quot Canonicatus, dignitates, Benficia Secundum Cameræ taxam nullas omnino solvunt annatas?

tas? et si Annatæ quandoque cum rigore exigebantur, ait Aeneas Sylvius, ipsos Episcopos in caussa fuisse, qui obtenta semel confirmatione et Possessione Episcopatuum illas multis annis non solvebant, et Calixtus P. ait, se nunquam aliquid exegisse, quod sibi non debebatur. Si quis amplius, præcipue contra Turcas obtulerit, hoc cum utique non recusasse, nec recusare debuisse. Ad Lucrandas Indulgentias, ait ulterius Aeneas Sylvius, et dandas inde eleemosinas neminem cogi, cuivis id liberum esse; pecunias vero ex indulgentiis ultro oblatas erogari ad necessrriam conservationem Religionis Catholicæ contra Turcas, et alia pia opera, etiam quosdam Germaniæ Episcopos ex his pecuniis occasione harum indulgentiarum oblatis aliquam partem sibi reservasse etc. etc.

Inter gravamina contra Summos Pontifices itidem numerabantur, reservationes et Provisiones Dignitatum et Beneficiorum: harum caussa alia non fuit, quam quod multi inidonei promoverentur ad Beneficia, multi per Canones omnino incapaces eo tempore, quo Simonia et concubinatus etc. invaluere. de-

deturbatis a Patrimonio Ecclesiæ Romanæ summis Pontificibus, et Avenione sedentibus, et demum duro plurimum Pontificum Schismate exorto illæ titulo necessariæ sustentationis et adhæsionis ad certum Papam usque ad abusus increverunt, à qua culpa Nationes, quæ tenaciter Schisma fovebant, pro ratione illorum temporum nequaquam penitus sunt absolvendæ. Tandem oneri portando quod sibi quælibet Natio, toti orbi suum Papam obtrudere volens imposuit, fessi vel impares desuper querulari cæperunt: extincto Schismate Concilium Constantiense jam remedium aliquod tulit, dein per Concordata illæ reservationes et Provisiones magna ex parte sublatæ, temperatæ, atque Capitulis electiones libere restitutæ sunt. At num per electiones semper Ecclesiis melius provisum fuit, et ideo nulla nunquam reservationum caussa extitit?

Clemens V. Viennæ allobrogum Concilium generale Celebraturus prius gravissimos viros et Episcopos consuluit, quid quisque pro Bono, et restauranda disciplina Ecclesiæ necessarium judicaret. Unus illorum apud

apud Raynaldum ad ann. 1311. circa electiones ita ſcripſit: *proh dolor! hodie in tali ſtatu ſunt Eccleſiæ conſtitutæ, quod in eis vacantibus vix reperiuntur Perſonæ eligibiles, et ſi quandoque, quod raro nunc accidit, bona Perſona et idonea in eisdem reperiatur latens, ſicut lilium inter Spinas, tantum excedit numerus malarum et inutilium Perſonarum, quod non permitterent Perſonam talem ad Prælationem aſſumi: ſed ſimiles ſimilibus applaudentes eligunt ſibi virum juxta cor ſuum ad deſtructionem Eccleſiæ et plebium ſubjectarum.* Quis neget ad vigilantiam et officium Paſtoris univerſalis pertinere, tales electiones impedire, atque Eccleſiis per eum melius providere? neque meliorem de Capitulorum electionibus deſcriptionem nobis reliquit Aeneas Sylvius de mor. German. ad Martinum Mejerum.

Equidem per Collationes et Proviſiones Pontificias Eccleſiis etiam non ſemper optime conſultum fuit, quod pariter ſupra citatus author ad Clementem V. reſcripſit; nihilominus Aeneas Sylvius loc. cit. ad hæc auſus eſt dicere: *Si promotiones hinc Sedis Apo-*

 ſtoli-

ſtolicæ, illinc Capitulorum electiones conferas, fateberis profecto, tantum præſtare Romanæ Sedis ordinationem, quantum eſt primæ Sedis Collegium ſingularium Capitulis Eccleſiarum præſtantius ac ſublimius. Quod etſi unum Rom. Pontifex minus dignum Presbyterio donavit, ſupra mille invenias rudes, ignaros, hebetes et prorſus ineptos ab ordinariis eſſe promotos. Hæc contra Rom. Pontificum obtrectatores, qui omnia exaggerant, et quæcunque geſſerunt Pontifices, carpunt, ſufficere poterunt.

Tandem pro Coronide hujus Capitis, neceſſe eſt, Febronium, quod ſæpe jam fecimus, proprio ſuo jaculo ferire. Hic Papam præ cæteris etiam in hunc finem Concilio ſubjicit, ut inde reformationem accipiat, et quoad vitam, mores, regimen, uſum ſuæ Poteſtatis et Diſciplinam, quam ipſe vel tenet, vel invehit, vel relaxat, ſubſit correctioni Eccleſiæ. Hæc paſſim et ſingulis fere paginis prædicat, et inclamat Febronius: id jam a Febronii Sectatoribus ubivis conclamatur. Sed jam quoscunque æquos lectores inter utramque partem et Cenſores et Judices eſſe volumus.

Fe-

Febronius multoties, atque pro certo ſtatuit, Concilia etiam generalia *in diſciplinaribus* univerſaliter non obligare, nec etiam obligare, niſi a particularibus Eccleſiis vel Provinciis recipiantur, non ſemper *ſalubriora in diſciplinaribus* ſtatuere, et ideo quæ in uno ſancita ſunt, in alio Concilio mutare poſſe, poſteriora derogare prioribus. Hæc omnia lector, ne diu inquirat, in Indice operum Febronianorum verbo *Concilia generalia* inveniet.

Si hæc vera ſunt, cur Concilia *in Diſciplinaribus* obligabunt Rom. Pontificem, Curiam, et Eccleſiam Romanam, et alias minores et inferiores Eccleſias non obligent? cur Rom. Pontifex et Eccleſia Romana Conciliorum Statuta et Canones recipere debent, et aliæ recipere non debent? ſi Concilia non ſemper ſalubriora ſtatuunt, cur Papa et Eccleſia Romana his, qualiacunque ſint, ſine exceptione parere, et tanquam a Spiritu S. ſubmiſſa venerari debet, quod tamen alii, ut minus ſalubriora reſpuunt? ſi quæ in uno Concilio ſancita ſunt, in alio iterum mutari poſſunt, et poſteriora derogant prioribus, cur Febro-

nius Canones poſteriores, et diſciplinæ mutationem a Conciliis et Eccleſia receptam, jugi praxi confirmatam, vel etiam in iis expreſſe ſtabilitam ad Iſidori commenta rejicit, et omnia ad primævos Canones, fors hoc ævo non ſalubriores reducere conatur.

Ad hoc primum reſpondeant Egregii hi diſciplinæ eccleſiaſticæ Zelatores, et Romanæ Eccleſiæ reformatores, prius ſuas contradictiones tollant, et tunc ſi ipſis videbitur, ſi tales ac tanti ſunt, Eccleſiæ leges imponant. Caveant autem, ut dum ipſi caput extollunt, totius Eccleſiæ et caput et corpus non evertant.

INDEX

ad Tomum III.

A.

B.

C.

p.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

In-

O.

P.

S.

Schel-

Ad Tom. III.

Errata.	*Lege.*
Pag. 14.l.23.contra Rom. Poteſtatem.	contraRom.Pontificis poteſtatem.
— 33.l.16. ut Febronius auſus ſit.	ut Febronius effari auſus ſit.
— 70.l.23. conlilio.	Conſilio.
— 81.l.15.ſi obſentiam.	ſi ob abſentiam.
— 110.l.22. præfato interrogatori fidei.	præfato interrogatorio fidei.
— 153.l.11. Decretum illud legitime.	Decretum illud non legitime.
— 167.l.19. veram authoritatem tribuit.	veram authoritatem non tribuit.
— 170.l.1. Nulla lege aut humana.	Nulla lege divina aut humana.
— 198.l.25. convocationem eſſe.	convocationem legitimam eſſe.
— 223.l.24. Synodi celebrari.	Synodum celebrari.
— 254.l.16. ſe immiſcerent *cumSynodo utique.*	ſe immiſcerent , quippe qui non pars contendens , ſed judices eſſe deberent , *cum Synodo utique.*
— 267.l.16. hic Rom. Pontificem Conciliis generalibus ſubjici: ſi vero Concilium &c.	Rom. Pontificem Conciliis generalibus non ſubjici ; ſi enim Concilium &c.

Errata.	*Lege.*
Pag. 298 l. 20. ut ex actis Concilii, ad ſcrutanda.	ut ex actisConcilii patet, ad ſcrutanda.
— 305. l. 5. qui apponebant Concilia.	qui opponebant Concilia.
— 437. l. 15. Item 444. l. 1. cheregoto.	cheregato.
— 451. l. 10. vel duplicato.	vel duplicatæ.
— 471. l. 2. adverſus Venetos initio.	adverſus Venetos inito.
— 484. l. 23. *retracto.* Quare	*retracto pede.* Quare
— 511. l. 22. Eccleſiæ temperabant.	Eccleſiæ Canones temperabant.
— 515. l. 21. inter ſingulariter offendit.	inter reliqua ſingulariter offendit.
— 516. l. 8. in qua ſunt & ultra.	in qua ſunt decem & ultra.
— 559. l. 11. fraude immunis, quando.	fraude immunis erit, quando
— 677. l. 2. tempora controverſiæ de regalis.	tempore controverſiæ de regaliis.
— 704. l. 9. rolida ratio.	ſolida ratio.
— — l. 10. ſeprobis non tota.	reprobis non tota.